VETUS, ET NOVA ECCLESIÆ DISCIPLINA

CIRCA BENEFICIA, ET BENEFICIARIOS,

IN TRES PARTES DISTRIBUTA,

Variisque Animadversionibus locupletata;

AUCTORE, EODEMQUE INTERPRETE

LUDOVICO THOMASSINO

Oratorii Gallicani Presbytero;

EDITIO OMNIUM NOVISSIMA,

Et accurate emendata,

Cui adjectus est

TRACTATUS BENEFICIARIUS

R. CÆSARII MARIÆ SGUANIN

Pro indemniter salvandis Juribus SANCTÆ MATRIS ECCLESIÆ quoad

BENEFICIA ECCLESIASTICA.

TOMUS DECIMUS.

Qui complectitur Indices Locupletissimos tum Rerum, tum Ecclesiarum; & Tractatum Beneficiarium

CÆSARII M. SGUANIN

Cum suo Indice.

NEAPOLI MDCCLXXIII.

EXPENSIS GREGORII P. & MICHAELIS F. STASI

Ex Typographia de Dominicis

PUBLICA AUCTORITATE, ET PRIVILEGIO.

INDEX

Locupletissimus rerum novem hisce Tomis contentarum.

Numeri Romani hujus Neapolitanæ editionis Tomos designant : numeri Arabici Librum , Caput , & cujusque Capitis numeros .

A

Abbates.

A Primæva origine Episcopi Abbates eligebant, II. Tom. c. 93. n. 19. T. III. c. 32. n. 6. §. *Hæc* At lapsu temporum , legibus Imperatorum, Conciliorum Canonibus , & ipsa S. Benedicti Regula Monachis ipsis permissa est Abbatum suorum electio ; ac id veluti in jus commune , ipsi utique rerum naturæ consentaneum transiit, T. II. c. 93. n. 19. T. III. c. 31. n. 8. c. 32. n. 6. §. *Hæc* . Erant tamen adhuc tempore S. Benedicti Abbates in Occidente , quos eligerent Episcopi , T. II. c. 93. n. 18. Immo is erat tum & totius Orientis usus , quem tandem Justinianus sustulit, T. III. c. 16. n. 9. 10. T. V. c. 28. n. 17. Sed & is adhuc altero post sæculo vigebat usus in Hispania , T. III. c. 30. n. 11. Nec Abbatum modo, sed & Officiorum etiam Claustralium electionem Concilium IV. Toletanum Episcopo vindicat , T. IV. c. 34. n. 2. Cum ea S. Benedicti Regula permittat Abbati , T. IV. c. 36. n. 11. Quin & sub ipsa Caroli Magni stirpe Regia efflagitasse adhuc privilegia leguntur nonnunquam Monachi , ut Abbates suos ipsi possent eligere , T. III. c. 32. n. 2. 6. 7. Etsi ipsam S. Benedicti Regulam toto Regno & Imperio Carolus Magnus & Ludovicus Pius promulgassent , T. V. c. 28. n. 11. 13. Denique S. Bernardi tempore Catalaunenses Episcopi in civitatis suæ Cœnobiis constituebant adhuc Abbates , T. IV. c. 36. n. 16. Porro ab Episcopo confirmari debebant electi omnes Abbates , T. V. c. 29. n. 8. 9. Ex ipsomet Monasterio , cui præficiendus erat , oportebat Abbatem eligi , T. IV. c. 86. n. 18. Et quidem vitæ Monasticæ diu rudimentis imbutum , c. 87. n. 1. Semel a Monachis electus & ab Episcopo confirmatus , non poterat ab iis ob morbum quantumcumque destitui , T. V. c. 53. n. 3. Abbas si Abbatem sibi deligeret successorem , istum tamen vetat secunda Synodus Cabilonensis administrationi facultatum Monasterii se ante illius mortem immiscere, ne in eodem Monasterio duo sint Abbates , T. V. c. 57. n. 5. Abbatum exempla , qui successores sibi delegere . Nec tamen citra electionem id fiebat , T. V. c. 38. n. 2. 3. Vide iterum de Abbatum electionibus tit. *Abbatia.* Prohibetur Abbas in Conciliis Agathensi & Epaonensi pluribus præesse Cœnobiis . Unde hæc prohibitio ? T. VI. c. 2. n. 1. 2.

Abbates jam plerique in Oriente quinto sæculo Presbyteratu ornati erant, T. III. c. 13. n. 2. 3. Ita & multi jam in Occidente sæculo VII. senescente , c. 55. n. 8. Universos immo Romanum ann. 827. Concilium Presbyteratu jussit initiari ; at non viguit iste Canon , c. 17. num. 3. Jussit & postmodum Pictaviense anno 1078. sua alioqui exuendos Abbatia , c. 18. n. 1. Abbates sæculis VI. VII. & VIII. in Conciliis aliquando supra Presbyteros & Diaconos memorantur, T. III. c. 15. n. 5. 8. In honorem S. Columbani in Hibernia olim Abbatis & Presbyteri , & gentis illius Apostoli ; ejus in eadem Insula successores tum Presbyteri esse debebant , tum Provinciam omnem & ipsos etiam Episcopos habebant sibi subjectos , T. III. c. 14. n. 12.

Abbatibus qui essent tum Presbyteri, tum Episcopali benedictione donati , potestatem facit septima Synodus Tonsuram Clericalem & Lectoratum Monachis suis conferendi , T. III. c. 17. n. 3. Hanc iis Synodus Tridentina conservavit , c. 18. n. 4. c. 36. n. 16. Id tamen conditionis apposuere Generalia Gallicani Cleri Comitia , ne id absque Diœcesani Episcopi consensu præstarent , eodem n. 16. §. *Comitia* .

Poterant Abbates indicta causa Monachos suos Claustralibus Officiis sibi creditis exuere , T. IV. c. 16. n. 11. c. 18. n. 5. Sub Carlomanno & Pipino Francorum Principibus octavo sæculo duo erant Abbatum genera : alii dicebantur Abbates Legitimi seu Regulares; alii Abbates Comites ac Laici , vel etiam

compositam habebat Monasterium Gerasimi in Oriente Abbatis, c. 23. n. 5. Non tamen Lauræ semper Monasteriis adhærescebant, n. 6. Anachoretas hortabatur Carolus Magnus ut in Monasterii Congregatione mallent permanere, c. 25. n. 14. Eorum in Italia renovavit institutum ann. 974. S. Romualdus, c. 25. n. 7.

Anglia, vid. indic. Geograph.

Annatæ.

Annuus Beneficii reditus tempore Justiniani in Oriente solvebatur ministri Episcopi ordinatoris, qui quempiam ordinatione mittebat in Beneficii possessionem, T. VII. c. 56. n. 4.

In Occidente vero dudum antea quam Annatas exegerit Romanus Pontifex, exegerant eas Abbates primum in Prioratibus & Obedientiis sui juris, ac post eos Episcopi in Diœceseos suæ Parochiis & Beneficiis, T. VIII. c. 58. n. 1. 2. Dudum item Episcopi non pauci vel omnium vel plurium Ecclesiæ suæ Præbendarum Annatas certis Abbatiis vel Capitulis in perpetuum pietatis ergo addixerant, n. 10. Necdum Annatas seu sub Bonifacio VIII. seu sub Clemente V. percipiebant Romani Pontifices, n. 3. 4. Primus e Romanis Pontificibus Annatas hodiernas, scilicet ab omnibus Episcopis & Abbatibus solvendas instituit anno 1392. Bonifacius IX. Romæ agens tempore Avenionensis schismatis, n. 6. 11. Triplex distingui potest Annatarum genus Romanis olim Pontificibus impensarum. Prima & omnium vetustissimæ eæ fuerunt, quæ ab iis solum tribuebantur Episcopis, quos Romæ contigebat ordinari ex quacumque essent Italiæ Metropoli; & ab aliis item aliarum gentium Episcopis & Abbatibus, qui in electione sua cum passi fuissent adversarios, Romæ causa tandem superiores fuissent. T. VIII. c. 58. n. 11. 15. Secundum genus Annatarum eæ sunt quas Joannes XXII. ann. 1319. exegit. At eæ quidem ab universo orbe Christiano erant colligendæ, sed tum ex minoribus solum Beneficiis, Episcopatus enim & Abbatias exceperat: tum triennio solum duraturæ erant: quanquam toties exinde innovata fuit ista earum reservatio, ut eodem senescente sæculo in jus commune traductæ viderentur, n. 5. 13. 15. §. *Secunda*. Tertium genus est hodiernarum scilicet ex Episcopatibus & Abbatiis solvendarum, quas Bonifacius IX. secundis illis ann. 1392. adjecit, ut ita proinde illo ipso ejus tempore omnium prorsus Beneficiorum Annatæ Sedi Apostolicæ fuerint reservatæ, nisi quod Episcopatibus & Abbatiis nonnisi dimidiatam indixerit Annatam, n. 6. 12. 15. §. *Tertii*. Has instituit rerum necessitate constrictus, n. 12. Excusantur hæ omnes a simonia, n. 7. 14. 15. Consensu etiam Petri Cantoris, Gersoni, & Petri Alliacensis, n. 7. 8. 9. Eas Alexander V. in Pisano ann. 1409. Concilio abdicavit, T. VIII. c. 59. n. 1. Non sustulit tamen Concilium Constantiense, n. 2. Abdicavit quidem in eo Martinus V. fructus vacantium Beneficiorum, at non Annatas, *ibid.* Annatas, quas exemplo Bonifacii IX. Romæ sedentis instituerat competitor ejus Avenione sedens Pontifex, sustulit Edicto suo anno 1417. & 1418. Carolus VI. Galliæ Rex, immo jam ann. 1406. sustulerat, c. 58. n. 12. c. 59. n. 2. At tum Edictum illud Annatas abolens Carolo adhuc vivente retractari fecit Dux Burgundiæ, tum ipsas restituit Annatas Betfordius Dux, Regni Francici Rector, Anglis post Caroli mortem Francia potitis, c. 59. n. 3. Easdem Concilium Basileense dum tollere visum est, confirmavit potius, c. 59. n. 4. 5. 6. Ita in conventu Bituricensi & Pragmatica Sanctione, n. 7. Variæ Pontificum Romanorum de Annatis Constitutiones, n. 10. Varia cum fuisset post Eugenii IV. mortem sors Annatarum in Gallia, restitutæ sunt tandem in Bononiensibus ann. 1515. inter Leonem X. & Franciscum I. Concordatis, n. 11. Quo discrimine solverentur olim & modo solvantur, n. 3. 8. 13. Apud Anglos Bonifaciana illa Annata nunquam fuit in usu, propterea quod Denarium S. Petri solverent, n. 14. In Gallia non solvuntur Annatæ nisi pro Episcopatibus ac Consistorialibus Abbatiis, *ibid.* Nullibi solvuntur pro Beneficiis, quæ non sunt 24. ducatorum annuorum, *ibid.* Discrimina inter Annatas, servitia communia, minuta servitia, & Quintadecimam, n. 13.

Annulus Episcoporum.

Solis illum Episcopis Latinis tribuit jus Orientale. Eum enumerabat jam Isidorus Hispalensis in iis quæ Episcopo dabantur in ipsius consecratione. Immo jam in usum fuisse videtur Optati Milevitani tempore, T. II. c. 58. n. 3. Eo se Episcopi Ecclesiarum suarum sponsos profitentur, *ibid.*

Anselmus Cantuariensis.

Invitus creatur Episcopus, T. V. c. 34. n. 3. In Concilio Bariensi juxta Pontificem ipsum Urbanum II. sedebat. Illum eo munivit privilegio Paschalis II. ut ne a Legato quidem Pontificio, sed a solo ipso Romano Pontifice posset judicari. Summus ejus ardor in tuendo Ecclesiæ suæ Primatu, T. I. c. 36. n. 3.

Antiphona.

Jam tum Concilii II. Turonensis tempore id eo vocabulo significabatur quod & modo.

debuerit Fulradus Abbas Sandyonisianus, sub Pipino scilicet Rege, hoc nomen hancque dignitatem gestasse, c. 110. n. 1. Qui & quod esset Presbyter, ea propter vocatus legitur Archipresbyter Franciæ, *ibid.* Presbyteri igitur & Abbates primum isti fuere, *ibid.* Et deinde id nominis & dignitatis Episcopis ut plurimum indultum est. Et quod in Regio Palatio & extra suas proinde Ecclesias jam eos morari necesse esset, tum a Romano Pontifice, tum ab ipsis Galliæ Episcopis ea super re dispensationem Reges petebant, c. 110. n. 2. 3. Vocabatur aliquando summus Capellanus, magnus Capellanus, n. 4. Aliquando simpliciter Capellanus, & Custos Palatii, n. 6. & 13. Item & Primicerius Palatii, n. 6. Aliquando Romani Pontifices eo ut Apocrisario utebantur apud Reges nostros, illumque eo nomine induebant, n. 5. 13. Erat apud Principem veluti Agens & Mediator omnium Regni Præsulum, n. 7. Primarium sustinebat Palatii Officium, & post Regii sanguinis Principes sedebat primus, n. 8. Consilio Principis semper aderat, & primas in eo tenebat, n. 13. Omnes ipse causas Ecclesiasticas terminabat, *ibid.* Ut suum habuerunt Archicapellanum Franciæ Reges e Caroli Magni sanguine orti; ita & suum Reges alii ex eodem sanguine prognati, n. 7. Sub secunda illa Regum nostrorum dynastia non raro idem erat Archicapellanus & Cancellarius, seu primus Notarius, c. 109. n. 10. Extincta est Archicapellani dignitas cum ipsa eadem illa secunda dynastia, nullaque ejus occurrit memoria post Hugonem Capetum, nisi rarissima, c. 12. n. 8. 9.

Archidiaconus.

Archidiaconorum in Occidente antiquitas ex eo patet, quod jam non Hieronymi solum sed & Martini, sed & Cæciliani tempore memorantur, T. II. c. 17. n. 1. In Oriente vero suum memorat Archidiaconum Chrysostomus, immo & antea suus Meletio Episcopo Antiocheno memoratur, c. 17. n. 13. c. 18. n. 3. Qui ad Concilium Chalcedonense missi sunt ab Episcopis suis Archidiaconi, eorum in Concilio tenuere locum, & eorum nomine subscripserunt, T. II. c. 17. n. 13. Cum in Archipresbyterum vulgo assumeretur, qui inter Presbyteros erat Ordinatione primus, eo quod Presbyteri ex nomine suo sint Seniores & Senatores Ecclesiæ: e Diaconis e contra quod sit ministerii nomen, is in Archidiaconum promovebatur, qui præ ceteris strenuus erat & industrius, c. 17. n. 2. Haud tamen adeo liquet an non Constantinopoli is esset e Diaconis Archidiaconus, cujus erat in Diaconum Ordinatio antiquior, c. 17. n. 10. Eum ipse sibi eligebat Episcopus, c. 17. n. 4. 11. & T. IV. c. 33. n. 15. Quippe erat Archidiaconus Episcopi oculus & manus ejusque in contentiosa jurisdictione & regenda re temporaria Minister & Vicarius Generalis, & tandem negotiis Ecclesiasticis præpositus, T. II. c. 17. n. 3. 4. 8. At quamquam eum poterat solus instituere, non tamen poterat solus exauctorare, id est, non sine causa quapiam juste & sine judicii figura, n. 3. 4. 5. 6. Hinc conquestus est Leo adversus Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, quod Ætium malo dolo fecisset Presbyterum, ut eum Archidiaconi gradu moveret, illumque priorem suum Archidiaconi gradum Anatolius ei restituere necesse habuit, n. 5. Hinc item Pelagius & Gregorius RR. PP. expostulaverunt cum Natale Salonæ Episcopo, qui Archidiaconum suum Honoratum invitum creaverat Presbyterum, sicque Archidiaconatu dejecerat, T. IV. c. 16. n. 1. 2. Erat item Archidiaconus Clericorum Minorum Dux, Rector & Magister, ejusque domum ut eruditionis ac pietatis scholam frequentabant, c. 17. n. 7. c. 18. n. 7. Ei quoque vel Archipresbytero omnem viduarum, pupillorum & peregrinorum curam credebat Episcopus, c. 17. n. 10. Ejus erat ex Concilio IV. Carthaginensi in Subdiaconi & Clericorum aliorum Minorum Ordinatione instrumenta sacra porrigere, quæ erant Ordinationis eorum signa. Quin & ex Hieronymo ad ejus testimonium ordinabantur Presbyteri, eo nempe sensu quod in eorum vitam & mores inquireret qui ab Episcopo erant Ordinandi, n. 9. Veri quoque simile est potuisse eum multum in ordinationibus apud Orientem, n. 15. Poterat & communione privare, n. 13. Nullam per illa V. sæcula seu in Oriente seu in Occidente jurisdictionem obtinuit in Presbyteros, sed solum in Diaconos alios & Clericos inferiores, T. I. c. 29. n. 12. 14. Nec per illud tempus sedit supra Presbyteros, nisi dum in Conciliis vices absentis Episcopi sui sustinebat, *ibid.* Quam similiter VI. VII. & VIII. sæculis Archidiaconi essent veluti Vicarii Generales & Officiales Episcoporum in depromenda omni eorum jurisdictione sive voluntaria sive contentiosa, T. II. c. 18. n. 1. Quin & Oeconomi & Cantoris ex parte saltem munis fungebantur, n. 2. Quantam Archidiaconus in Clericorum judiciis partem haberet, n. 3. 4. Quam incumberet in omnem Clericorum atque etiam Presbyterorum & Monachorum mores, n. 4. 5. 6. Et in Parœcias ruris, n. 2. Suam VI. jam sæculo in Presbyteros & in Archipresbyterum ipsum de-

etiam

etiam Metropolitarum, quibus, quod vel Legati vel Vicarii essent Romani Pontificis, potestas dabatur juris alicujus in Metropolitas exercendi: ipsum vero Metropolitæ nomen iis tum cœpit Episcopis hærere, qui sub se non alios habebant Metropolitas, sed solum Episcopos, T. I. c. 19. n. 1. c. 31. n. 1. Commune tandem factum est Archiepiscopi nomen in Gallia eorum omnium quibus aliqui suberant Episcopi, omniumve Metropolitarum sub Childerico III. & Pipino Majore Palatii, T. I. c. 30. n. 5. c. 31. n. 3. T. II. c. 55. n. 1. 2. Immo & iis etiam datum est aliquando quibus nulli suberant Episcopi, cum Metropolitæ nomen nulli conveniret, nisi qui certo præesset Episcoporum numero, T. I. c. 25. n. 5. §. *Non ita res.* Apud Græcos tamen ætatis mediæ, ut quidam erant Metropolitæ honorarii dicti, quod nulli iis subessent Episcopi, ita & illi quoque Archiepiscopi dicti sunt. Quæ vero eorum privilegia, T. I. c. 40. n. 10. Qui a Metropolitis differrent Archiepiscopi apud Græcos tempore Balsamonis, c. 41. n. 12.

De cruce Archiepiscopis prægestanda, v. tit. *Crux Archiepiscoporum* in vocabulo *Crux*.

Licet multa modo sint ad Romanos Pontifices devoluta, quæ ab Archiepiscopis olim judicabantur: non id ex eo factum est quod Romani Pontifices suam vellent auctoritatem crescere detrimento Metropolitarum. Per quas vero causas & occasiones sensim factæ sint istæ devolutiones, T. I. c. 48. n. 1. usque ad n. 11. Nec Concilium Tridentinum ipsam detrivit auctoritatem Metropolitarum, licet in prioris eorum jurisdictionis exercitio certos apposuerit limites, T. I. c. 48. n. 11. & *seqq.* Episcopos quidem exemit Tridentina Synodus a necessitate visitandorum Archiepiscoporum: sed tum in eo nihil aliud quam Episcopos primævæ suæ restituit libertati; tum nec per universam Ecclesiam obtinuerat illa consuetudo, tum & ipsa erat Episcopi nonnihil contumeliosa, n. 12. Non sustulit Metropolitæ potestatem visitandorum Diœceseon Metropoli suæ subditarum; sed id solum cautionis apposuit, ne eas visitaret nisi causa prius cognita & probata in Provinciali Concilio, num. 13. Paucis referuntur, quæ in Concilio Tridentino de Metropolitis statuta sunt, num. 14.

Archipresbyter.

Etsi Græcum est Archipresbyteri nomen, a solis tamen usurpatum est Latinis: Græcis enim semper dictus est Protopresbyter, qui Latinis Archipresbyter, T. II. c. 3. n. 1. In Sacrario, quod & Presbyterium appellabatur ob positas in eo circa eminentiorem Episcopi thronum sedes Presbyterorum, principem inter Presbyteros locum post Episcopum obtinebat; absenteque Episcopo Sacra ipse perficiebat, c. 3. n. 4. & c. 4. n. 5. Vulgo ille erat e Presbyteris Archipresbyter, qui ordinationis ævo omnibus aliis anteibat. Hæc inconcussa Latinis Ecclesiis regula, nec suum ille debebat locum alteri relinquere, c. 3. n. 7. Is quoque apud Græcos usus: apud quos tamen aliquando meritis gradus iste tribuebatur: tumque & Archipresbyter iste simul erat, ac Episcopi Vicarius Generalis, sed & ejus plerumque successor, c. 3. n. 2. 3. 5. Unus solum erat in unaquaque Cathedrali Ecclesia Archipresbyter: numerum auxit sequentibus sæculis aucta fidelium multitudo, c. 3. n. 6. c. 4. n. 4. Iubet Concilium IV. Carthaginense ei vel Archidiacono viduarum, pupillorum, ac peregrinorum curam ab Episcopo demandari; ut proinde ab Episcopo tanquam Vicarius ad opus quodlibet adhiberetur, c. 3. n. 12. 13. Ecclesiæ ipsius Romanæ Archipresbyter subscribit ante electum Joannem IV. Pontificem Romanum nondum consecratum, c. 4. n. 4. Ex Isidoro Hitpaleusi quamvis erat Archipresbyter super omnes Presbyteros, & eorum curam agebat, erat tamen & ipse sub Archidiacono & ejus præceptis parebat, quippe Vicarii Episcopi, c. 4. n. 5. Ab Episcopo sine Presbyterorum suorum consilio non poterat ejici, n. 2. Laicorum & Cleri moribus invigilabat, poteratque per se in Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros haud castos animadvertere, c. 4. n. 1. Cadente Clodovæi stirpe ausi fuerunt laici dignitatem & nomen Archidiaconi usurpare; huicque malo necesse fuit mederi Concilia, *ibid.* Sui jam erant & in agris Archipresbyteri, n. 3. Sub Imperio Caroli Magni quælibet Diœcesis in plures Archipresbyteratus Rurales distribuebatur, qui Decanatus & Decaniæ dicebantur; & Archipresbyteri ipsi in omnes Decanatus Archipresbyteratusve sui Parochos & Presbyteros excubabant, sed & in laicorum mores, T. II. c. 5. num. 1. 4. 5. Quanquam & laicis sui quoque erant laici Decani, qui morum erant admonitores, num. 6. In unoquoque Decanatu Archipresbyteratuve Rurali conveniebant simul Presbvteri primo die cujusque mensis de rebus Officium suum attinentibus acturi, num. 5. Poterant Archipresbyteri illi a maleficis pœnas repetere, num. 2. Curabant maxime ut pœnitentiam peccatores agerent, publici publicam, occultam occulti, num. 7. Excubabant vero in Rurales Archipresbyteros Archidiaconi, num. 3. Vacantium Ecclesia-

20. 26. Pœnitentia in bellis etiam justis indicta olim militibus, & quare, c. 70. n. 9. 11. 12. 13. c. 75. n. 2. In bello etiam justo peccatur a Ducibus & militibus, qui alio quam obedientiæ & justitiæ affectu rapiuntur, ut seu avaritiæ, seu vindictæ, seu vanæ gloriæ, c. 70. n. 12. 13. Fulco Remensis Archiepiscopus dira portendit Regi, si Normannorum adhuc Gentilium opera utatur, ut reliquas Regni partes sibi subjiciat: sed ei minitatur se quoscumque poterit ab ejus fidelitate deterriturum, T. VI. c. 61. n. 4. Deponi jubet Zacharias PP. Episcopos, qui in exercitu pugnabant ac manu sua hostes seu Christianos seu Paganos occidebant, T. IV. c. 68. n. 4. Episcopi quoque non defuerunt in Oriente pugnaces, c. 70. n. 4. Etsi non possunt Episcopi pugnare, ad bellum tamen justum possunt militem invitare ac suppeditare, c. 70. n. 12. c. 75. n. 1. Belli sacri adprobatores, incentores, hortatores fuere Pontifices Romani, Concilia, & sanctissimi quique viri, c. 75. n. 1. 3. 7. 8.

Benedictio.

Dum Episcopi olim Reges conveniebant, non discedebant, nisi cum precatione, & benedictione iis impertita, T. VI. c. 64. n. 3. Episcopis per urbes, vicos, aut per plateas ruris incedentibus præibat campana, qua monerentur omnes ut adproperarent & ad eorum benedictionem suscipiendum genua flecterent, *ibid.*

S. Benedictus.

De ejus Regula, v. tit. *Regula.*

Benedictus XII.

Ejus pietas, T. IV. c. 44. n. 2.

Beneficia, Origo nominis.

Beneficia primum dici cœpere ipsi agri & fundi, quibus in Historiæ Augustæ Scriptoribus memorantur Duces & milites ab Imperatoribus donati, ut sumptu suo deinceps stipendia facerent, T. VI. c. 13. n. 5. Inde illis accommodatum est agris & fundis Ecclesiæ, quos fruendos Laicis, qui eos usurpaverant, permisere Concilia & Episcopi ea conditione, ut pro Regni & Ecclesiæ tuitione stipendia facerent, *ibid.* Postremo denique & Beneficia perrexere dici tum illi idem agri & fundi, cum erepti tandem Laicis, cœpere Clericis & Monachis restitui; tum ipsorum imitatione omnes prorsus Ecclesiæ tituli & dignitates. Eratque jam in usu Ecclesiastico id nominis octavo exeunte sæculo, *ibid.*

Beneficiorum initia & progressus.

Hodiernorum ergo Beneficiorum quæ in agris & prædiis sunt, rudimenta quædam haberi possunt illi Ecclesiæ fundi, quos Episcopi sexto jam ineunte sæculo vel quinto exeunte & toto deinceps Clodovæi ac familiæ ejus Imperio in Gallia, Hispania, Italia, & Oriente leguntur, etsi nondum usitato Beneficii nomine, quibusdam Clericis usufructuario jure concessisse, post eorum vitam ad Ecclesiam revocandos, T. VIII. c. 16. & 17. Non poterat Episcopus nisi Canonico judicio talibus fundis spoliare Clericum, iis ab Episcopo decessore suo donatum: at poterat suopte Marte, si illos ipsemet ei dedisset, isteque Clericus inobediens ac contumax evasisset, c. 16. n. 10. c. 17. n. 4. Dabantur etiam aliquando & illi fundi laicis eodem usufructuario iure, c. 16. n. 6. c. 17. n. 4. Fundi quos Parochiis & Cœnobiis dabant Episcopi, ad Ecclesiam Matricem ex qua fuerant avulsi, ad Episcopumve nunquam redibant, c. 16. n. 4. c. 17. n. 3. 6. Qui hos in Oriente fundos accipiebant, debebant eos in morte restituendo duplum quoque reditnum in Ecclesiam refundere, c. 17. n. 9. Idem usus sub Caroli Magni & stirpis ejus Imperio, & quidem multo communior, ut agri fundive Clericis laicisve darentur, post eorum mortem ad Ecclesiam reversuri, T. VIII. c. 19. toto. Qui iis donabantur Clerici, eos Aquisgranense ann. 816. Concilium jubet nihil ultra jam ab Ecclesia accipere nisi alimenta, & vestimenta, non autem pecuniarias illas distributiones quæ Clero erogabantur, T. VIII. c. 19. n. 2. & 5. c. 20. n. 2. T. IX. c. 6. n. 3. & 4. Immo & illos his vestium & cibi sportulis distributionisve abstinere etiam districte jubent Capitularia, si ex illis quos habent Ecclesiæ fundis vestitum & alimenta sibi queant comparare, iisque, ni faciant, minitantur illius Beneficii sui & illarum item Præbendarum, seu distributionum amissionem, T. IX. c. 6. n. 6. 7. Id enim erat tum discriminis Beneficium inter & Præbendam, quod Beneficium illos significaret Ecclesiæ fundos & agros: Præbenda vero istas distributiones, T. III. c. 67. n. 12. Etsi autem erant ea ætate Clerici, quibus certi istiusmodi Ecclesiæ fundi & agri fuerant assignati: longe tamen major erat eorum numerus quibus nihil aliud suppetebat Beneficii, quam quod vel primis Ecclesiæ sæculis, scilicet sportulæ illæ distributionesve alimenti, vestimenti & pecuniæ. Atque is quoque erat usus XI. & XII. sæculo, T. VIII. c. 35. n. 4. Nec enim nisi post annum millesimum, immo & post Alexandri III. tempora ubique obtinuit illa fundorum Ecclesiæ Partitio ipsos inter Beneficiarios, T. II. c. 68. n. 1. T. VIII. c. 23. n. 1. 3. & c. 28. Vide tit. *Partitio.*

Beneficiorum collatio.

Collatio Beneficii dicitur, cum ita ab aliquo tribuitur Beneficium, ut nulla ulteriori ſit opus ſive inſtitutione, ſive confirmatione, T. IV. c. 55. n. 1. Solius erat Epiſcopi per prima V. ſæcula Eccleſiæ Beneficia conferre: quippe Beneficium & Ordo idem tunc erat, T. IV. c. 33. n. 1. 8. & c. 45. n. 14. Solius item ejus erat per tria ſequentia ſæcula, T. IV. c. 34. n. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Sub toto ſimiliter Caroli Magni & ſtirpis ejus Imperio, c. 35. n. 1. 8. Aut ſi qua a patronis conferebantur, ſi qua item erant ruri Oratoria in Magnatum domo, in iis ſaltem ab Epiſcopo inſtituebantur, qui eorum curam ſubibant, c. 35. n. 2. 5. 6. 8. Sic & Abbates non jam quidem ut olim creabat ac eligebat Epiſcopus, ſed inſtituebat tamen ac ordinabat, n. 7. Quin & ea ætate Dignitates Capitulorum conferebat, tum etiam cum ſeu ſæcularibus, ſeu Regularibus Congregationibus Capitula conſtabant, c. 35. n. 9. 10. 11. Sed & ab anno adhuc milleſimo perrexerunt Epiſcopi omnium Diœceſeos ſuæ Beneficiorum eſſe Collatores, ſin minus, Inſtitutores, T. IV. c. 36. toto. Hinc adeo exoſæ fuerunt olim Inveſtituræ, c. 36. n. 3. Omnes quoque Capitulorum ſuorum Dignitates & Præbendas ſæculo XI. conferebant Epiſcopi, c. 36. n. 4. 14. 15. 16. Quamquam erant tamen jam Capitula ubi nullæ erant Epiſcopi partes in Præbendarum collatione, & ubi Canonicos ipſa eligebant Capitula, n. 11. Et quædam ubi conjunctim Capitulum cum Epiſcopo, *ibid.* & n. 16. Quin & Parochias quoque conferre, præter Epiſcopos, datum eſt etiam Abbatibus, & Monachis, Præpoſitis, Capitulis, aliiſve Prælatis inferioribus, Parochias inquam Eccleſiaſve quæ ad eos pleno jure pertinent. Id autem eis datum eſt vel Epiſcoporum conceſſione, vel Romanorum Pontificum privilegio, T. IV. c. 55. n. 3. 4. 5. In iis itaque iſtimet non autem Epiſcopi, Beneficiarios illos inſtituunt, n. 4. Sed & quamquam ita Canones collationibus interdicunt laicos, ut nequidem eas iſti poſſint præſcribere, poteſt tamen & ipſis indulgeri jus conferendi, reque ipſa multis non Regibus ſolum ſed & laicis aliis conceſſum eſt aliquando, aliquando vero toleratum & diſſimulatum, n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Quin & in nonnullis iſtiuſmodi Beneficiis quæ laici conferunt, id ex primæva eſt eorum origine, n. 12. Poſſunt tamen Epiſcopi eos examinare, quos laici iſti collatores inſtituunt, n. 13.

De Papæ poteſtate in Beneficiis conferendis : ubi & de Mandatis, Expectativis, Reſervationibus.

Infinitam pene poteſtatem exerunt quaquaverſum in Beneficiis conferendis Romani Pontifices annis abhinc 500. vel amplius, T. IV. c. 41. n. 1. Obſcura quæpiam ejus in ſancto Gregorio veſtigia, c. 41. n. 2. ad n. 23. Sed non extra Italiam, Siciliam, aliaſque circumpoſitas Inſulas, ſeu non extra fines ſuæ Metropoleos, n. 12. & 22. Si excipiantur certa illa quæ in diverſis locis ad Romanam Eccleſiam pertinebant, & patrimonium S. Petri dicebantur, n. 12. Veſtigia ejuſdem poteſtatis antea jam in Agapeto PP. Conſtantinopoli, ubi depoſito a ſe Anthimo Patriarchæ Conſtantinopolitano Menam ſubrogavit, num. 22. Veſtigia item poſtea in Martino PP. in vacantes Antiocheni & Jeroſolymitani Patriarchatuum Eccleſias, Oriente a Saracenis occupato, n. 26. 27. Raro ſub Caroli Magni & ſtirpis ejus Regis Imperio interponebatur Romani Pontificis auctoritas ad Beneficiorum proviſiones, c. 42. n. 1. Iſtius tamen auctoritatis in Italia tunc adhibitæ exemplum, n. 5. Necdum ſub Gregorio VII. is erat uſus, ut aliarum Eccleſiarum Beneficia conferret Pontifex Romanus, T. IV. c. 43. n. 1. Aut ſub ipſo cœpit, & quidem intra ipſam Provinciam : ſi eo trahi debet, quod Bertrandus Provinciæ Comes ſuam hanc ei ditionem ſubjiciens, ſe ait ſuas ei Eccleſias ejuſdem ditionis omnes dimittere, eas ut ordinet, *ibid.* Primum omnium diſerte medio ſequenti ſæculo hunc Adrianus IV. uſum invexit, n. 2. Primus ſcilicet Capitulorum Præbendas & Dignitates conceſſit aliis, eas primum exigens ab Epiſcopis & Capitulis precibus & admonitione, addens poſtmodum mandata & præcepta, *ibid.* Utramque agendi rationem iniit ſucceſſor ejus Alexander III. tum diviſim tum conjunctim, n. 3. Alia horumce Mandatorum exempla, num. 3. 4. 5. Obſervatione multiplici molliuntur iſta Mandata, T. IV. c. 43. num. 6. c. 44. num. 4. c. 45. num. 13. Patroni laici contra iſta Mandata immunitatem adipiſcuntur, c. 43. num. 8. Anglorum contra iſta ſeu Mandata ſeu reſervationes, ſeu expectativas querelæ & contentiones, c. 43. num. 7. 8. 9. & c. 44. n. 3. Quid cum Francis & a Francis uſque ad Viennenſe Concilium actum eſt, c. 44. n. 7. 10. 11. 12. Adverſus illa querelæ in illo Concilio, n. 1. De iſtis item ſeu Mandatis ſeu reſervationibus ſeu expectativis uſque ad Concilium Baſileenſe toto illo c. 44. Quid ſuper iſtis actum ab illo & Piſano Conciliis, c. 44 n. 7. Quot & quanta per Cancellariæ Regulas in Hiſpania & Italia in quibus vigent, Romano Pontifici

tifici Beneficia reſervantur, num. 2. Querelæ Gallorum & ſtatuta Caroli VI. contra hujuſmodi Mandata, reſervationes, expectativas, totum Beneficiorum negotium ad reſervationes in corpore Juris Canonici incluſas conſtringentia, n. 7. 8. Reſcinduntur iſta Caroli VI. ſtatuta a Carolo VII. ejus filio ann. 415. T. IV. c. 45. n. 1. Quid circa Mandata, reſervationes & expectativas ſtatutum in Baſileenſi Concilio, *ibid.* Quid agebatur in Hiſpania, Anglia, Polonia, num. 3. Concordata Germaniæ, c. 45. n. 4. c. 46. n. 6. §. *Diximus*. Parum abfuit quin Romæ reſervationes & expectativæ ſub Pio II. fuerint abolitæ, c. 46. n. 6. Suſtulit tandem Tridentina Synodus Mandata & expectativas, mentaleſque omnium Beneficiorum reſervationes, c. 45. n. 15. Pragmatica Sanctio in Comitiis Cleri Gallicani facta Bituricis ann. 1438. ſub Carolo VII. contra Mandata, reſervationes, expectativas, T. IV. c. 45. n. 1. §. *Concilium*, pragmaticæ iſtius varia ſors ſub Pontificibus & Regibus uſque ad Concordati Franciſci I. cum Leone X. in Lateranenſi Concilio confirmati tempora, n. 5. 7. 8. Non poterat ſtare iſthæc Pragmatica, n. 11. Concordati iſtius ſumma, n. 9. Defenditur, n. 10. Nec Pragmaticæ Sanctioni nec Concordato unquam fuit locus ſive in Britannia Armorica, ſive in Provincia: vigentque in iis complura ſedis Apoſtolicæ jura quæ, in Regionibus ſtrictæ Obedientiæ ſunt uſitatiſſima, T. IV. c. 46. n. 1. 2. 3. Reſervat ſibi Papa in Armorica Britannia menſes octo, nihilque per eos in vacationibus tunc occurrentibus poſſunt Ordinarii. Et e contra Ordinarii habent quatuor menſes in quibus nec ipſe prævenire aut reſervare aut aliter ſtatuere poteſt, num. 3. Nec tamen ſive in Provinciæ ſive in Armoricæ Britanniæ Beneficia conſiſtorialia ſeu Prælaturas poteſt Romanus Pontifex. Vi enim Indultorum ſibi a Leone X. & aliis deinceps Romanis Pontificibus conceſſorum jus habent Reges noſtri ad illa ut & ad cetera Regni ſui Beneficia conſiſtorialia nominandi, n. 34.

De præventionis jure.

Etſi Præventio contineretur utcumque in Mandatis & Reſervationibus modo dictis: non tamen niſi ducentis poſt annis ſe jus iſtud explicuit, ſcilicet XIII. ſæculo Bonifacii VIII. tempore T. IV. c. 47. n. 1. 2. 4. Illud Romano Pontifici Baſileenſe Concilium aſſervavit, dum Mandata & reſervationes vel tollebat vel arctabat, n. 5. Et in Concordatis ei ſimiliter aſſervatum eſt, n. 6. Non habet locum in Beneficiis, quæ ſunt Patronatus laici, n. 8. Neque in Galliæ Beneficiis, quæ vel ſunt Regiæ nominationis, vel ex Regalia vacant, *ibid.* Irrita eſt proviſio ex præventione, ſi non præſumatur ſatis fuiſſe temporis ab obitu Beneficiarii, ut ejuſque obitum Papa reſcire potuerit, *ibid.* Etſi Pontifex ipſe jus habet præventionis in Gallia, non tamen ejus Legati a latere: expungiturque ſemper ex eorum facultatibus a Regii Senatus Magiſtratibus, dum regiſtrantur, n. 6. 8.

De Beneficiis in Curia vacantibus.

Clemens IX. e Romanis Pontificibus primus omnium legem tuliſſe legitur, qua Romano Pontifici reſervaretur collatio omnium Beneficiorum in Curia Pontificia vacantium, T. IV. c. 48. n. 1. 2. 3. Hanc vocat antiquam conſuetudinem, ut proinde iam ab aliquot Pontificum tempore eſſet in uſu, cum tamen necdum eſſet Innocentii III. Gregoriive IX. tempore, *ibid.* Erat autem Clemens IV. eximiæ pietatis & a ſeu rerum terrenarum ſeu parentum amore alieniſſimus: ut proinde non ſit cuipiam ejus avaritiæ lex iſta tribuenda, *ibid.* Quare hanc legem tulerit, n. 9. Succeſſor ejus Gregorius X. in Concilio II. Lugdunenſi id temperamenti huic legi adhibuit, ut niſi hæc Beneficia Pontifex Romanus intra menſem conferret, jam ea poſſet Ordinarius conferre, n. 3. Hoc Clementis decreto Legatos, Nuntios & Beneficiarios omnes aut Romæ aut vicinis in locis diem obeuntes Bonifacius VIII. comprehendi declaravit, n. 4. Joannes XXII. & Benedictus XII. non ſola per obitum ibi vacantia, ſed quocumque modo vacantia ſibi reſervarunt, niſi quod id arctaverunt ad vitæ ſuæ tempus, n. 6. Concordata contraxere jus illud ad ea ſolum, quæ Romæ per obitum Beneficiarii vacarent, n. 7. At Epiſcopatuum & Archiepiſcopatuum ibi vacantium eadem Concordata collationem addixere Pontifici Romano, haud ei præſcripta illa menſis unius meta, *ibid.* Si tamen ad Beneficium in Curia vacans Pontifex nominaret hominem Regi ſuſpectum, poſſet Rex illum recuſare, *ibid.* Iterum de Beneficiis in curia vacantibus, T. V. c. 33. n. 6.

Quid poteſtatis Regibus in Beneficiorum negotio.

Uti Romani Pontifices precibus primum, deinde mandatis, uſi ſunt apud Beneficiorum Collatores, ita Reges & Principes, quin & eorum aliqui minas precibus & mandatis adjecere, T. IV. c. 54. n. 1. 2. 3. 4. 5. 7. 8. Haud tamen Regum precibus mandatiſque ſe moveri paſſi ſunt Theophylactus Bulgariæ Primas, Hildebertus Turonenſis Archiepiſcopus,

jam Beneficia non ut olim sportulis & distributionibus, sed terris constare cœperunt : sic enim timendum fuisset ne Beneficia evaderent hæreditaria, T. IV. c. 84. n. 14.

An extraneis.

Decretis Cœlestini Papæ, Capitularibus Caroli Magni, & Legibus Codicis cuique Ecclesiæ non præficiebantur ordinabanturque nisi qui ejus cives essent quoad fieri poterat. T. IV. c. 86. n. 15. c. 103. n. 9. Id ut sensim mutatum, *ibid.* Contendebant Romani Pontifices Clericos Romanos nulli Ecclesiæ esse extraneos, *ibid.* & n. 6. §. *Philippum*. Variæ variorum Regnorum querelæ quod Romani Clerici sua invaderent Beneficia, n. 6. Gallicani Cleri Generalia anno 1408. Comitia decreto suo extraneis omnibus aditum Beneficiorum suorum inhibent. Firmat id Carolus VII. suo anni 1431. Edicto. Atqui is est usus hodiernus, c. 103. n. 6. §. *Philippum*, n. 7. & 8. Istorumce decretorum rationes, n. 7. Idem ann. 1393. decretum fuerat in Hispania, aut paulo post revocatum : sed is tamen ejus impræsentiarum est usus a Caroli V. Edictis, n. 10.

Digniori conferenda.

Nonnisi dignos, & inter dignos digniores eligi, nominari, præsentari, institui Beneficiarios debere; probatur S. Gregorii aliorumque tum Latinorum, tum Græcorum Patrum testimoniis, T. IV. c. 37. 38. 39. 40. Digniores non idem prorsus est ac sanctiores, sed idem ac Ecclesiæ ipsi utiliores ob certas alias cum sanctitate dotes ac conditiones; quibus fit ut quis minus sanctus quam alter, eo possit esse utilior, c. 37. n. 5. 6. 8. c. 40. n. 5. 8. §. *Excusa* & §. *Idem*, & n. 12. §. *Ximenius*, & c. 104 n. 8. Etsi eadem lege eligendi digniorem constringitur Patronus laicus; non potest tamen Episcopus eum rejicere, quem Parochum ille elegerit, modo sit dignus. At Episcopus ipse a S. Pio V. ita constringitur lege digniorem eligendi parochum, ut si digniori alium prætulerit licet dignum, posset dignior ille ad Metropolitanum appellare, aut si cum Metropolitano res ei sit, ad Episcopum viciniorem tanquam Papæ Delegatum, vel ad Papam ipsum, T. IV. c. 40. n. 4. Lex & necessitas ista digniorem semper anteponendi valet non in Episcopatibus solum ac Parochiis, sed in minoribus etiam Beneficiis ac animarum curam annexam haud habentibus, T. IV. c. 40. n. 2. 3. 8. §. *Idem* & n. 9. Edixerat Synodus IV. Lateran. ut si quis jam admonitus pergeret Beneficia indignis conferre, potestate privaretur ea imposterum conferendi, in aliumque sanctius ipsa usurum transferretur isthæc potestas, T. VI. c. 57. n. 6. Exempla seu Romanorum Pontificum, seu Episcoporum, seu Principum Beneficia pie & secundum hanc digniores assumendi legem dispensantium, T. IV. c. 40. n. 11. 12. 13. 16. & T. V. c. 34. n. 2. Edictum Ludovici XIII. huic legi consentaneum, T. IV. c. 40. n. 13. Leges Concilii Tridentini eo pertinentes, n. 15. Beneficium intuitu cognationis conferre : id simoniæ genus est, T. VII. c. 71. n. 17. Lites quæ super Beneficio instituuntur, hominem non eo reddunt indignum, T. IV. c. 40. num. 14. Quid Galli ad Synodum Tridentinam Legati optaverint, & quam votorum eorum, licet egregie piorum difficilis fuisset executio, cap. 53. num. 14.

Quæ Beneficii ætas idonea.

Is sæculo XII. serpebat abusus, ut pueris & adhuc impuberibus adolescentibus Dignitates Ecclesiasticæ & Præbendæ conferrentur, T. II. c. 70. n. 2. §. *Est luculentissima*, & n. 3. Ea erat mali hujus origo, tum quod vellent Episcopi gratiam parentibus suis præstare, vel ab Optimatibus gratiam inire, illa eorum filiis conferendo, n. 1. §. *Vuillelmus*, & n. 4. §. *Sæculum XIII.* tum quod quandiu ætatem virilem & necessariam nondum essent assecuti infantes isti, reditus Beneficiorum illis concessorum ad suos usus Episcopi illi converterent, n. 2. §. *Vuillelmus*. Edicit Alexander III. neminem deinceps ante annum ætatis 14. Personatu alicujus Ecclesiæ donandum, sique fiat eo ipso privatim illo iri, T. II. c. 70. n. 3. §. *Sed*. Statuta varia Conciliorum sæculi XII. XIII. & XIV. de varia variis Beneficiis idonea ætate & conditione, n. 2. 3. 4. 5. Statuit Tridentina Synodus, ne cui Beneficium obtingeret nisi annos nato 14. nec Dignitates animarum curam exercentes nisi annos nato 25. nec Dignitates aliæ absque animarum cura, sive in Cathedralibus, sive in collegialibus Ecclesiis, nisi annos 22. & quidem completos, c. 70. n. 7. & 8. §. *Ex Conciliis*, usque ad §. *Pensionibus*. Si tamen dignitatibus istis vel functione vel consuetudine vel peculiari statu Presbyteratus ordo esset annexus, cujusmodi sunt hodie Abbatiæ, Decanatus, Præpositurræ, Archipresbyteratus, annus quoque ætatis 25. esset necessarius n. 8. §. *Ex Conciliis*, & §. *Ad dignitates*. In Gallia vero ad Prioratus simplices & ad Canonicatus Cathedrales requiritur annus ætatis 14. & quidem completus : sufficit autem decimus ad Collegiales Canonicatus, num. 8. §. *ætas* & §. *Capellas*. Quibusnam Beneficiis Presbyteratum intra annum postulantibus excidatur ipso facto, si intra annum non sit habi-

tum

censi sitam Gregorius VII. ipse dat Archiepiscopo Viennesi, T.V. c. 31. num. 4. §. *Si is.* Callistus II. vetat a Canonico in Episcopum promoto Præbendam illam suam retineri, T. VI. c. 5. n. 7. Ea quoque erat Anglicanæ lex Disciplinæ, n. 9. Ob interdictam tamen in Londinensi an. 1237. Concilio pluralitatem interemptus pene postea fuit Legatus Pontificius, T. IV. c. 84. n. 15. §. *Quo*. Damnatur a Concilio IV. Lateranensi pluralitas Abbatiarum, T. VI. c. 5. n. 9. Exempla excusabilia immo laudanda plurium illa ætate seu Episcopatuum ab eodem Episcopo habitorum, seu Abbatiarum ab eodem vel Episcopo vel Abbate habitarum, eo quod uni serviretur utilitati Ecclesiæ, T. VI. c. 5. n. 4. 5. 7. §. *Ecqua*, & n. 8. Pessima e contra hujus pluralitatis ea ætate exempla, n. 6. In istis exemplis non debet haberi, quod dudum iis Cardinalibus, qui aliquem habent ex sex Cardinalitiis Episcopatibus Romæ circumjacentibus, alius etiam quandoque datur. Est enim istorum Episcopatuum alia quam ceterorum natura, n. 7. 17. Dubia quæpiam illius temporis exempla, & quæ si non improbanda prorsus, mirari subeat potius, quam imitari, c. 5. n. 2. 3. 10. 11. Cœperunt increbrescere medio sæculo 13. dispensationes Pontificiæ ut Episcopi possent priora Beneficia retinere, c. 5. n. 11. Decreta varia Conciliorum ab anno 1000. usque ad 1300. super pluralitate Beneficiorum Episcopatu & Abbatia inferiorum. Horum Conciliorum quædam Clericum vetant plura habere Beneficia in duabus civitatibus: quædam in eadem Ecclesia, quædam in duabus ejusdem civitatis Ecclesiis. Quædam ut Biterrense in id solum intenta sunt, ut pluralitatem excludant Beneficiorum quibus annexa est animarum cura vel residentiæ exigentia: major scilicet haud poterat tum sperari moderatio, T. VI. c. 6. Quin & ista omnia, dum vetat Concilium IV. Later. spem tamen Pontificiæ dispensationis, injicit circa sublimes, inquit, & litteratas personas, quæ majoribus Beneficiis sunt honorandæ, cum ratio postulaverit, T. IV. c. 104. n. 5. T. VI. c. 6. n. 2. §. *Vetuit*. In Conventu Prælatorum Franciæ Parisiis anno 1408. habito, inter multa, quæ de Graduatis statuta fuere, unum istud est, ut non possent ad Beneficia nominari ii, quibus jam erant Beneficia quæ 400. librarum reditus afferebant: nisi essent ex paterno maternoque genere nobiles, aut sive in Theologia, sive in utroque jure Doctores, aut etiam sive in Theologia, sive in Medicina Baccalaurei, T. IV. c. 35. n. 5. Decretales Pontificum, ex quibus hodiernum Juris canonici corpus contexitur, in id omnes collineant, ut licet pluralitatem Beneficiorum pro justis gravibusque causis, necessitate scilicet, vel utilitate Ecclesiæ, tolerandam existiment, nunquam non tamen superfluitatem damnent, T. IV. c. 7. Rationes ex rei natura contra Beneficiorum quorumcumque pluralitatem, n. 6. c. 9. n. 4. 11. 13. 17. c. 10. n. 8. Ex eo maxime creverat illa Beneficiorum accumulandorum libido, quod de eorum pluralitate solerent Episcopi dispensare. Has postmodum sibi reservavit dispensationes Innocentius III. & exinde rationes fuere, c. 7. n. 1. §. *Venio*. Nisi vero, dum qui novum postulans Beneficium, priora quæ habet, enuntiet, vanum esse voluere Pontifices Rescriptum Apostolicum quod impetrabit, c. 7. n. 2. 6. Concilia contra pluralitatem Beneficiorum ab an. 1300. usque ad Concilium Trid. T. VI. c. 8. num. 1. 2. Vetatur a Senonensi ann. 1429. Concilio Canonicus in pluribus ejusdem urbis Ecclesiis Præbendas assecutus, per illas Ecclesias discursare, ut in singulis distributiones accipiat, c. 8. n. 2. Concilium tandem Tridentinum vetat quemquam, ne exceptis quidem Cardinalibus, plura quam unum habere Beneficia, si idonei sint Beneficii illius reditus ei sustentando. Si homini alendo sit impar, concedit alterum simplex adjici, nec vero plura, quamlibet illud esset adhuc insufficiens, c. 8. num. 3. Tali decreto impetrando maxime adlaboraverunt in Concilio isto Gallicani Præsules, num. 4. Non potest amplius dispensare Episcopus, ut plura quia obtineat Beneficia simplicia in duabus Ecclesiis, n. 8. Multa observantur in decretum Tridentinum, *ibid.* Declaratio Ludovici XIV. anni 1681. n. 4. Concilia, quæ post Tridentinum habita sunt, & in eandem sententiam, T. VI. c. 8. num. 6. 7. Proponuntur sententiæ Doctorum omnium, aut gravissimorum Theologorum, qui a tempore S. Bernardi floruerunt usque ad Dionysium Carthusianum. Ipsam isti Beneficiorum pluralitatem in peccatis habuerunt, ubi unum victui suppeditando sufficit, nisi ob justas & graves causas interveniat dispensatio, c. 9. Has citra causas negant excusari quempiam a peccato dispensatione ipsa Pontificia S. Bernardus, Guillelmus Parisiensis, Longinus Cracoviensis Canonicus, S. Thomas, Abbas Panormitanus, c. 9. n. 1. 11. §. *Exceptionem* n. 12. §. *Auctor*, n. 13. 18. 21. Et Bellarminus, c. 5. n. 16. & 17. Hæ solæ sunt Bernardo legitimæ dispensandi causæ, necessitas Ecclesiæ & utilitas personæ, utilitas autem non privata, sed quæ in Ecclesiam redundatura sit ex natalium personæ illius claritate, eruditionis copia & vir-

gularitas: omnibuſque Clericatus privilegiis in Concilio II. Lugdunenſi an. 1274. Bigami privantur. Eandem ſupponit extenſionem Concilium Tridentinum, dum omnes Ordinum Minorum reſtitui vult functiones, & per Clericos innuptos exerceri; aut ſi eorum non ſit copia, per conjugatos, at qui Bigami non ſint, c. 83. n. 3. §. *Ut*. Credidit autem S. Thomas poſſe Epiſcopum ab hac irregularitate diſpenſare ad Minores: plurimi item Theologi ac Canoniſtæ, n. 5. Contra ſentiunt alii adhuc plures, pluribus nixi decretis, n. 3. Ab iſtorumque ſententia pronunciavit Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini & Sixtus IV. qui ne ad Tonſuram quidem aut Beneficia poſſe cum Bigamis ab Epiſcopo diſpenſari declararunt: adeo ut Sixtus ſuſpenſum a Collatione Ordinum pronunciaverit Epiſcopum qui ad Minores Ordines cum Bigamo diſpenſaverat, c. 83. n. 2.

Biſſexti.

Biſſexti jus Epiſcopale quid, T. VIII. c. 34. n. 6.

Bituricenſis Patriarchatus, vid. ind. Geograph.

Bona Eccleſiæ.

Opum Eccleſiæ temporalium copiam non optabant ſancti Patres; immo iis abdicatis, ſe maluiſſent a Laicis ali: ſic animatus Auguſtinus, T. IX. c. 1. n. 1. 3. Sic Chryſoſtomus, n. 7. 8. Qui finis bonorum Eccleſiæ, T. VIII. c. 48. n. 5. Sua fuerunt Eccleſiæ bona ipſo etiam Chriſti & Apoſtolorum ævo: ſcilicet ipſæ eorum quibus Evangelium annuntiabatur eleemoſynæ, opes a piis fœminis Chriſtum vel Apoſtolos comitantibus ſubminiſtratæ, prædia a Diſcipulis divendita & ad Apoſtolos allata: collectæ item quæ fiebant unoquoque die Dominico, T. VII. c. 1. n. 2. 4. 6. 9. Diſpenſata fuere primum ab Apoſtolis ipſis: ea autem ſe cura exoneravere in Viduas & deinde in Diaconos, c. 1. n. 4. 5. Quare in Judæa divenderent Apoſtoli prædia, quæ a fidelibus donabantur Eccleſiæ, n. 12. 15. Sua item fuerunt bona utrique Eccleſiæ Orientali & Occidentali poſt Apoſtolorum tempora uſque ad Conſtantini: hæcque poſita erant tum in oblationibus quæ ſive ad altare fiebant, ſive in Epiſcopi domum inferebantur, T. VII. c. 2. n. 1. 5. cap. 3. n. 1. 5. & *ſeqq.* (v. tit. *Oblationes*) tum in collectis ſeu ordinariis, quæ vel unoquoque menſe, vel etiam unaquaque die Dominica fiebat, ſeu extraordinariis, c. 2. n. 7. 8. Tum in agris, prædiis, patrimoniis, aut patrimoniorum reditibus, quibus Eccleſiam donabant fideles, c. 2. n. 3. 4. c. 3. n. 2. 3. 4. Diſpenſabantur inde ab Epiſcopo, vel juſſu ejus, quæ erant omnibus neceſſaria Clericis, pauperibus, viduis, peregrinis, &c. c. 2. n. 1. 3. 4. 8. c. 3. n. 5. Adepto Imperium Conſtantino facta eſt jam ingens acceſſio opibus & bonis Eccleſiæ, T. VII. c. 4. n. 1. Præcipuæ opes Eccleſiæ erant Primitiæ & Decimæ quæ a fidelibus offerebantur, v. tit. *Primitiæ*, & tit. *Decimæ*. Bona Eccleſiæ ſunt vota fidelium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum, c. 22. n. 7.

Bona, fundi & hæreditates Eccleſiis relicta per priora quinque ſæcula, T. VII. c. 16. Dominia Eccleſiæ temporalia a primis ſæculis uſque ad poſtrema iſta, T. VII. c. 26. uſque ad c. 32. Quomodo circa bona iſta omnia comparatus erat Auguſtinus c. 17. n. 2. 3. 4. Quomodo Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus, n. 5. Quomodo Gregor. c. 20. n. 7. Si quis Clericorum Laicis per cuniculos adrepebat, ut res ſuas darent Eccleſiæ, eos Concilium III. Cabilonenſe jubet pœnitentiæ canonicæ ſubjici, T. VII. c. 22. n. 2. 3. c. 23. n. 2. Hæcque bona Ludovicus Pius legitimis hæredibus reddi jubet, c. 23. n. 3. Solebant fideles ſub Imperio Caroli Magni non modicam bonorum ſuorum partem in morte pauperibus erogare, n. 6. Solebant ſimiliter & poſt an. 1000. quandam iis partem legare, vel in quoſdam alios uſus pios, c. 24. n. 6. §. *Tractatum* & n. 6. §. *In Synodo*. Sub Clodovæi & proſapiæ ejus Imperio quiſque ſua Eccleſiæ bona dare poterat, c. 35. n. 7. 8.

Immunitas bonorum Eccleſiæ primis quatuor ſæculis, T. VII. c. 33. A quinto ſæculo uſque ad Imperium Caroli Magni, c. 34. Sub Imperio Caroli Magni & ſtirpis ejus Regiæ, c. 36. & 37. Poſt annum Chriſti milleſimum in Anglia, c. 41. In Gallia, c. 42. In Gallia iterum, Italia & Germania, c. 43. In Hiſpania & in Oriente, c. 44.

Alienatio bonorum Eccleſiæ.

Vetat Epiſcopos Concilium IV. Carthaginenſe diſtrahere fundos Eccleſiæ abſque Cleri ſui conſenſu & ſubſcriptione. Addit V. Synodus Carthaginenſis, & abſque conſenſu Metropolitani ac Concilii Provincialis. T. VIII. c. 51. n. 4.

Diſpenſatio adminiſtratiove bonorum Eccleſiæ.

Epiſcopo ſumma fuit poteſtas in diſpenſatione bonorum Eccleſiæ per prima quinque ſæcula, ſeu ea per ſe, ut alicubi ſolebat, nec tamen ſine Presbyterorum ac Diaconorum ſuorum conſilio adminiſtraret, T. VIII. c. 1. n. 2. c. 2. n. 2. Seu ea, ut iiſdem illis ſæculis in Occidente, vel per quos vellet Clericos, vel per ipſum ut plurimum Archidiaconum adminiſtraret, c. 2. n. 7. & c. 3. toto. Seu per Oeconomum, quod in Oriente a Concilio

tari debeat, T. II. c. 73. n. 10. 11. 15. c. 77. n. 6. c. 80. n. 1.

Cantuarienses Episcopi, v. indic. Geograph.

Capellæ & Capellani.

De Capellis plura hic infra tit. *Oratorium.*

Hortabatur Chrysostomus divites, ut Ecclesias seu Capellas, seu ut tunc vocabantur, Oratoria ruri in domibus suis extruerent, in quibus sacrificium diebus Dominicis offerretur, & reliquis diebus divina recitarentur Officia, T. II. c. 92. n. 9. Hinc ortum duxere complura ruri Sacella, Oratoria, Beneficia, n. 10. Suæ erant antiquitus Episcopis Capellæ, ubi Missam ipsi celebrabant. Sic solebat Joannes Eleemosynarius, c. 93. n. 6. Suæ item Imperatoribus in suo Palatio, in quibus poterant quoque Sacra exerceri, *ibid.* Suæ erant similiter Magnatibus in suis ædibus ubi Mysteria celebrabantur, etsi id ante Justinianus vetuisset, n. 5. Capellæ illæ antiquæ Principum, quæ vulgo Sanctæ Capellæ appellantur, exstructæ fuerant, ut in iis Officia Canonica persolverentur, quibus & ipsi cum familia sua possent interesse, T. II. c. 87. n. 2. 8. 9. Fuit primitus Capellæ nomen inditum Regum nostrorum Oratorio, fluxitque a cappa seu capsa Reliquiarum sancti Martini quæ in eo asservabatur, & ad quam præstabantur sacramenta in judiciis, T. II. c. 109. n. 1. 2. Præferebatur ista sancti Martini capsa Regibus nostris in bellicis eorum expeditionibus, n. 1. Ad eam & alias Reliquiarum capsas divinum Officium illo in Oratorio quotidie decantabatur, c. 109. n. 3. & c. 111. n. 16. Et ab eo cappæ nomine Clerici qui hæc præstabant, Capellani dicebantur, c. 111. n. 16. Jam sub prima Regum nostrorum dynastia in ipso regio eorum Palatio Oratorium capellaverat cum proprio & peculiari Clero, ex quo eximiæ pietatis deligerentur Episcopi, T. II. c. 109. n. 11. In illum Clerum adgregavit Pipinus senior, Regis Regnique Doctor, viros spectatissimæ pietatis, qui inde in Episcopos assumpti sunt, n. 7. Et ita quoque postea factum est, c. 111. n. 9. 11. Erat ista Cleri Palatini Ecclesia omnium Regni Ecclesiarum aliqua ratione forma, c. 111. n. 1. Qui ei cooptabantur Clerici, sacramentum fidelitatis Regi ipsi exhibebant, n. 13. Ab ejus tamen Episcopi, ad cujus Diœcesim quisque eorum pertinebat, jurisdictione non eximebantur, n. 5. Etsi in Clero illo Palatino militantes, addicti nihilominus erant certæ Ecclesiæ in qua pro communi Beneficiorum lege residere debuissent, T. II. c. 112. n. 6. §. *Eduardus.* In Norvegiæ Regis Capella non Rex ipse, sed solus Nidrosiensis, Regni illius Archiepiscopus Clericos poterat instituere, n. 3. Id juris in Regum nostrorum Capella Episcopis ereptum queritur Gersonius, num. 4. Innocentius III. id privilegii Capellæ Divionensi Ducum Burgundiæ concessit, ut non possent ejus Canonici vel suspendi vel excommunicari ab Ordinariis: illudque omnibus Capellis Regiis communicatum est, T. II. c. 112. n. 6. & T. III. c. 39. n. 12. De Capellis Regiis Anglicanis & earum privilegiis, T. III. c. 36. n. 8. De Gallicanis, n. 12. Potest Episcopus visitare Capellas Regias & Capellanos, non obstantibus privilegiis, c. 40. n. 10. Capellanorum nomine post annum Christi millesimum donabantur etiam in Ecclesiis inferiores Chori ministri propter Capellas iis ibidem destinatas, quas veluti Præbendas obtinebant, T. III. cap. 70. num. 10. §. *Capellanorum*, & num. 11.

Capilli, v. tit. *Tonsura Clericorum.*

Laici olim iis capillos abscindebant, quos sibi in filios adoptabant, T. II. cap. 39. n. 8. §. *Satius*, & c. 40. n. 6. Quam acriter sæculo XI. & XII. desævitum sit a Conciliis in promissos Laicorum etiam crines, videlicet etiam usque ad excommunicationem, T. II. c. 42. n. 7. 8. Unde illud nutriendæ comæ studium, num. 8.

Capitula, v. sup. tit. *Canonici* & inf. tit. *Seminaria.*

De Cathedralium Ecclesiarum Capitulis per priora quinque Ecclesiæ sæcula.

Etsi per illa sæcula nondum sonaret Capituli vocabulum, erat tamen res eo nomine significata, T. III. c. 7. n. 7. Scilicet seu tunc Clerus communem cum Episcopo suo vitam ageret, ut IV. sæculo cœpit alicubi fieri, seu seorsim Clericorum quisque maneret: ipsi tamen Presbyteri & Diaconi civitatis ab Episcopo advocabantur in consortium regiminis, ejusque erant veluti Consilium & Senatus in omnibus causis tractandis. Probatur id multiplici exemplo, T. III. c. 7. toto. In quo different illa Capitula illeve Clerus a præsentibus Capitulis, c. 7. n. 8. Hi civitatis Presbyteri & Diaconi Rectores & Pastores erant omnium civitatis Ecclesiarum, aut si a Cathedrali necdum erant divulsæ Parochiæ, in ea ipsi omnia implebant, Parochorum munia eod. n. 8. Mortuo Episcopo, per ipsos universos, non per selectos aliquos ex iis Vicarios tota Diœcesis administrabatur, nisi si aliquorum curam & administrationem futuro Episcopo reservandam judicabant, c. 7. n. 13. 14. Ita per eosdem absente regebatur Episcopo. Aliqua tamen occurrunt exempla in quibus absentis Episcopi Diœcesis per certos aut Pres-

byteros aut Diaconos ab eo ſelectos legitur adminiſtrata, *ibid.*

De Capitulis Cathedralium ſæculo VI. VII. & VIII. ſeu a Clodovæo ad Carolum Magnum.

Conſtabant ſimiliter per illa ſæcula Epiſcoporum Cathedraliumve Eccleſiarum Capitula Presbyteris Diaconiſque civitatis, T. III. c. 8. toto. Nec iis ſolum qui erant in Eccleſia Cathedrali Presbyteris ac Diaconis, ſed & iis qui erant in civitatis Parochiis ſi quæ erant eod. c. 8. n. 3. Necdum in capitulis illis occurrunt Decanus, aut Præpoſitus niſi Præpoſitus ille, qui inferiorum Clericorum Collegio imperitaret, n. 2. Erant hi adhuc Presbyteri & Diaconi, ut prioribus Eccleſiæ ſæculis, Conſilium & Senatus Epiſcopi, n. 11. Fratres eos vocabat Epiſcopus & ſe cum eorum agentem conſenſu inſcribebat, c. 29. n. 5. Canonici item dicebantur ſed ab Eccleſiæ Canone ſeu Matricula cui inſcribebantur, ſcilicet ſtipendiis ejus, ſportulis, diſtributionibuſve ſuſtentandi: ceteriſque ſive ruris Clericis erat idem nomen commune, iis ſolum exceptis, qui in Magnatum ſerviebant Oratoriis, ut qui Oratoriis iſtis nutrirentur, c. 8. n. 3. 4. Quoſdam ex illis Canonicis ſuis dotabat Epiſcopus prædiis & agris Eccleſiæ, quorum uſufructu gauderent, n. 5. Si quem ruris Parochum in Cathedralem ſuam Epiſcopus Eccleſiam transferebat, pergebat iſte ſi vellet prioris Eccleſiæ ſuæ eſſe Parochus primarius ſeu primitivus, aſſignatoque ejus aliquo proventu, ei quem ſibi in Parochum ſubrogabat, reliquum ipſe percipere, & aliquam ſemper in eundem illum novum Parochum auctoritatem exercere, n. 10.

De Capitulis ſub Imperio Caroli Magni & ſtirpe ejus.

Tempore Pipini & Caroli Magni tum ab ipſis tum a Conciliis adlaboratum eſt, ut Clerici omnes in vitam communem quoad fieri poſſet, colligerentur, T. III. c. 9. n. 1. 2. 3. 4. 9. 10. 11. Præiverat iis ſub Pipino Crodogangus Metenſis Epiſcopus, ſuiſque ipſe Clericis ſecum intra ædes Epiſcopales ſuas collectis Regulam ex Sacra Scriptura & Canonibus confecerat ac præſcripſerat, num. 9. Eandem præſcripſere ſub Carolo Magno Concilia Clericis, dum eos ad communem vitam adduxerunt, n. 1. 2. Totam hanc Crodogangi Regulam tacito ejus nomine intertexuit Synodus Aquiſgranenſis ſub Ludovico Pio et Regulæ, quam canonicis ſervandam ſcripſit, & quæ Canonicorum Regula dicta eſt, c. 9. n. 9. & c. 21. n. 6. Immo & ab illa ipſa Regula ſuum ipſi traxere canonicorum nomen, quod antea trahebant ab ipſo Eccleſiæ Canone ſeu Matricula, cui inſcripti erant, ut ex Eccleſiæ ſtipendiis alerentur, c. 9. num. 1. 2. Orta vero tunc ſunt plura capitulorum genera, prout varie colligebantur clerici. Alia enim erant intra aut ædes ipſas Epiſcopales; in quibus communi cum Epiſcopo utentes Refectorio & Dormitorio, degebant ſub ipſo aut alio Præpoſito: alia ſeu in eadem civitate extra ædes Epiſcopales, ſeu ruri, & quidem vel ſub præpoſito vel etiam ſub Abbate intra Monaſterium aliquod, communi item cum præpoſito vel Abbate utentia Refectorio & Dormitorio, T. III. c. 9. n. 3. 5. 6. 7. 10. 11. 12. 14. Monaſterium vocabatur unaquæque illarum congregatio, c. 2. n. 9. c. 9. n. 5. Ex iis quæ ſub Abbate erant, aliæ erant clericorum, qui Monaſticam vitam nunquam ſuſcepiſſent. Aliæ clericorum, qui & ipſi vere eam ſuſceperant, ſed relaxata ejus fibula, cœperant clericorum potius quam Monachorum vitam agere: id quod & in iis ex indulgentia tunc viſum eſt tolerandum, T. III. c. 9. n. 1. 2. 3. 6. 7. 8. 24. T. VIII. c. 20. n. 1. 4. 5. 6. 9. 11. Quæ fierent illis omnibus capitulorum generibus diſtributiones, T. VIII. c. 20. n. 11. Illud quod intra vel juxta ædes erat Epiſcopales, id eſt, ipſa pars ejus potior, Presbyteri ſcilicet ac Diaconi, erant ipſius Epiſcopi cum quo vitam agebant communem, Conſilium & Senatus, T. III. c. 9. n. 13. c. 32. n. 1. Et ipſo mortuo Diœceſim adminiſtrabant, n. 12. capitulis iſtis omnibus ſuſtentandis aſſignata ſunt ab Epiſcopis in perpetuum agri, prædia, Decimæ, Parochiales Eccleſiæ quarum deinceps eſſent Parochi primitivi, T. VIII. c. 20. & 21.

De Capitulis poſt annum Chriſti milleſimum.

In Capitulis olim ratio non habebatur niſi Presbyterorum, & Diaconorum: iique ut ſoli erant conſilium, Senatus Epiſcopi; ita & ſoli ſedes implebant ſuperiores, & jure ſuffragii potiebantur, T. III. cap. 10. num. 1. 2. Ex quo autem Subdiaconatus in Ordinem ſacrum evaſit, ſuperioribus ſedibus & jure ſuffragii gaviſi ſunt Subdiaconi, num. 2. 3. & 15. §. *Quoad jus.* Capitulum Eccleſiæ Cathedralis eſt natura ſua conſilium & Senatus Epiſcopi, n. 6. §. *Nec*, & §. *In Concilio*, ac n. 8. 9. Optavit Tridentina Synodus & ſecutæ Gallicanæ Synodi, ut Canonicatibus ſingulis Ordo ſacer alligaretur, n. 4. Quem in capitulo debeat locum Epiſcopus obtinere, dum ei intereſt ut Canonicus, c. 10. n. 6. §. *Eſt*, §. *Juvat*, & §. *Sed illud*. Quid poſſint vel non poſſint Epiſcopus & Capitulum ſeparatim & conjunctim, n. 6. 8. Jus & poteſtas

viserent; ac inspicerent ne quid inclusis deesset: item ut semel unaquaque hebdomada eosdem inviserent Episcopi, ac eorum utilitatibus servirent, T. VI. c. 97. n. 2.

Cardinales.

Quisquis olim fiebat Ecclesiæ alicujus Episcopus, non commendatarius, seu non ad tempus, sed Titularis, is dicebatur loci illius Episcopus Cardinalis. Plura ea de re apud S. Gregorium exempla, T. II. c. 115. n. 3. 5. 6. Et deinceps apud alios, c. 116. Quisquis item erat alicujus Ecclesiæ presbyter Titularis, is ejusdem Ecclesiæ, seu Romæ, seu alibi, presbyter Cardinalis dicebatur. Plura item exempla, T. II. c. 115. n. 2. 3. 5. & c. 116. Similiter quisquis erat alicujus Ecclesiæ Diaconus Titularis, vel primarius inter ejusdem loci, seu Romæ, seu alibi, Diaconus Beneficiarius, appellabatur Diaconus Cardinalis. Exempla, T. II. c. 11. n. 2. 4. 6. & c. 116. Erant quoque similem in modum Subdiaconi Cardinales, c. 113. n. 2. c. 115. n. 7. & c. 116. n. 6. Non erant nisi urbium Episcopalium seu presbyteri, seu Diaconi, seu Subdiaconi Cardinales, saltem Gregorii tempore, T. II. c. 115. n. 7. Nam nono sæculo leguntur etiam Cardinales tituli in suburbiis Galliarum, c. 116. n. 1. Jam ante Gregorium extat apud Pelagium Papam nomen presbyteri Cardinalis & apud Augustinum Episcopi Cardinalis; quanquam res illis nominibus designata omni ab ævo fuerat, T. II. c. 115. n. 8. 9. Ambiebant Episcopi gradum & dignitatem presbyterorum ac Diaconorum Ecclesiæ Romanæ Cardinalium propter illam, quæ penes eos erat eligendi Romani Pontificis potestatem, qui & ex iis eligebatur, T. II. c. 115. n. 10. Perdiu Romanæ ipsius Ecclesiæ Cardinales non fuere nisi presbyteri, & Diaconi, aut etiam Subdiaconi, non autem Episcopi; erat enim in sua solum Ecclesia Episcopus quisque Cardinalis, c. 115. n. 10. & c. 116. n. 1. Prima Cardinalium Episcoporum Romanæ Ecclesiæ mentio occurrit sæculo nono sub Stephano IV. qui jubet septem Episcopos Cardinales hebdomadarios unaquaque Dominica die sigillatim Missarum solemnia super altare sancti Petri, Romæ celebrare, c. 116. n. 2. Qui hic vocantur Episcopi Cardinales, octavo sæculo in Compendiensi Concilio leguntur appellati Episcopi Romani, quo iterum & Romanorum Pontificum nomine sub Ottone I. sæculo decimo insigniuntur, n. 6. Iidem illi septem a Petro Damiani vocantur Lateranensis Ecclesiæ Cardinales: In antiquo Rituali libro Episcopi collaterales & hebdomadarii appellantur, quod sua quisque sigillatim hebdomada deberent in illa Lateranensi Ecclesia munus Romani Pontificis implere, c. 113. n. 2. In Romani anno 1059. Concilio sub Nicolao II. data est Episcopis Cardinalibus eligendi deinceps Romani Pontificis summa potestas & auctoritas, quanquam jussi sunt & alios sibi Cardinales adhibere, T. II. cap. 113. num. 2. §. *Eminentissima*. In Concilio vero III. Lateranensi sanxit Alexander III. ut e tribus Cardinalium omnium partibus suffragatio duarum illi creando necessaria esset, ac sufficeret, n. 6. Cum quis olim Cardinalitia insigniebatur dignitate, omnibus suis ante habitis, ipsoque etiam Episcopatu illico exuebatur, T. VI. c. 5. n. 12. Nisi Pontificia interveniret dispensatio, eaque aliquibus aliquando rogatu Principum concedebatur, *ibid.* §. *Certissime*. Hinc multi oblatam sibi purpuram abnuebant, §. *A Theodorico*, & §. *Diximus*. Hinc disciplinam illam, quæ tamen initio sæculi XV. adhuc vigebat, necesse habuerunt Romani Pontifices sensim abrogare, *ibid.* & §. sequenti: novis scilicet Cardinalibus primum Episcopatus suos ad aliquod tempus in Commendam dare: deinde illos eorumdem perpetuos Commendatores, & Administratores declarare, T. VI. c. 33. n. 5. §. *Primigenia*, ac ipsos nihilominus a residentiæ vinculo absolvere, eod. c. 33. n. 2. & T. II. c. 114. n. 12. & 15. Displicuit illhæc mutatio iis Cardinalibus & Consultoribus, quorum consilia requisivit Paulus III. ad Ecclesiasticæ disciplinæ restaurationem, Cardinalatumque ac Episcopatum Beneficia crediderunt incompatibilia ob annexam utrique legem residentiæ, T. VI. c. 5. n. 14. Supponit tamen Tridentina Synodus Cardinales, qui simul sint & Episcopi: nec jam opus est dispensatione, ut qui Cardinalitia dignitate augetur, priorem Episcopatum retineat, n. 13. At & Episcopum hac dignitate auctum Synodus residentiæ lege constringit, T. II. c. 114. n. 15. & T. VI. c. 33. num. 5. Nec id jam mirum, cum, licet in Episcopatu suo resideat, satis ingens aliorum supersit Romæ numerus Cardinalium, qui suam Pontifici præstare possint operam; alias vero perpauci essent Cardinales, quando ea lex maxime vigebat, quæ ipsos arcebat Episcopatu, T. VI. c. 5. n. 13. §. *Utcumque*, & c. 33. n. 5. §. *Primigenia*. Non possunt porro nisi unum Episcopatum obtinere, sive Titulo sive Commenda ex Concilio Tridentino, c. 5. n. 13. Quod enim iis, qui ex sex illis Cardinalitiis Episcopatibus Romæ circumjacentibus aliquem obtinent, alius etiam quandoque datur Episcopatus, id nihil ad pluralitatem Beneficiorum facit: ex

eo

Clericus in iis, quas facit, eam exercens, sectionibus, si adsit ei dexteritas, scientia, diligentia, & absit periculum mortis aut mors ipsa & mutilatio, T. IV. c. 75. n. 9. §. *Synodus*, & n. 12. c. 76. n. 1. §. *Strictius*, & n. 2. Vetat Concilium IV. Lateranense Subdiaconos & superiores Clericos ei vacare Chirurgiæ, quæ ignem & ferrum adhibeat, T. IX. c. 22. n. 2.

Chorepiscopi.

Nulli in Oriente memorantur tribus primis Ecclesiæ sæculis. Nulla eorum in Occidente mentio ante Regiense ann. 439. in Gallia Concilium, Nulli unquam in Africa fuere, T. II. c. 1. n. 12. Erant hi Episcoporum Vicarii Foranei, in vicis villisve instituebantur, in Parochiarum Ruralium curam incumbebant. Tractum sibi ab Episcopo assignatum visitabant, unde & visitatores in Canonibus leguntur appellati, c. 1. n. 3. 10. 15. 16. Dicebantur ad Septuaginta formam instituti, solis erant Episcopis inferiores; & quanquam rurales solum curarent Parochias, ipsis tamen etiam Presbyteris civitatis erant superiores, adeo ut præ illis possent in Ecclesiis Cathedralibus offerre Sacrificium, n. 2. 7. 9. 16. Plures aliquando sub uno erant Episcopo; adeo ut quinquaginta sibi obnoxios haberet Basilius, n. 15. Duplicis erant generis: quidam enim veri erant Episcopi; at cum vetans Canon Laodicenus Episcopos ultra in villulis & in agris constitui, eos qui hactenus ita fuerant instituti, in Visitatorum Chorepiscoporumve ordinem relegat: ut cum item Canon Nicænus permittit Episcopis Orthodoxis, ut redeuntes ad Ecclesiam Novatianos Episcopos donent loco & gradu Chorepiscoporum: ut cum item Episcopum vi quapiam ab ingressu civitatis ad quam erat Ordinatus prohibitum quispiam Episcopus sibi Chorepiscopum assumebat, T. II. c. 1. n. 3. 4. 5. Nec tamen istis ultra licebat quam Chorepiscopis vulgaribus & simpliciter dictis, n. 3. 5. Alii ergo erant vulgares & simpliciter dicti Chorepiscopi, iique haud erant Episcopi, tum quia, contra ipsos de Episcoporum institutione Canones, in vicis & agris instituebantur, tum quia plures in una civitate Diœcesive Episcopos esse vetabant quoque Canones, tum quia Visitatorum appellatio non decuisset Episcopi Majestatem; tum quia ab uno solum civitatis Episcopo ipso cui suberant, ordinabantur; tum quia ad Septuaginta formam esse dicebantur, T. II. c. 1. n. 3. 4. 10. & c. 2. n. 11. Expenditur Canon X. Antiochenus de Chorepiscopis, c. 1. n. 5. 6. Item XII. Chalcedonensis de iisdem, n. 7. 8. 9. Emendatur de iisdem Canon XIII. Ancyranus, n. 11. Eos vel invexit vel multiplicavit Canonum imperitia aut Episcoporum desidia, c. 2. n. 2. Iis tribuit Canon Antiochenus facultatem Ordinandi Clericos inferiores, nempe Græcis, Lectores, Exorcistas & Subdiaconos, T. II. c. 1. n. 5. Eandem iis tribuit Basilius, nisi quod cavet ne eam inconsulto exerant Episcopo, n. 12. Hanc nequidem tribuit Regiense Concilium Armentario, quem, eo quod a duobus solum Episcopis & Metropolitano quidem inconsulto, fuerat in Episcopum Ordinatus, retrudit in Chorepiscoporum locum. Ei tamen facultatem concedit Neophytos confirmandi, de qua silent isti Canones Græci, c. 1. n. 13. & 14. Plura tamen ausi sunt postmodum in Occidente, nempe non Confirmare modo, non minores modo Ordines & Subdiaconatum, sed & Diaconatum & Presbyteratum conferre, Virgines & Ecclesias consecrare, T. II. c. 2. n. 2. Quapropter Synodus Ratisponensis sub Carolo Magno lata prius a Leone III. sententia, tum Chorepiscopos vetuit ultra creari, tum hactenus creatis solam reliquit minores Ordines conferendi potestatem, tum jussit iterari administratam jam ab iis Confirmationem & Virginum Ecclesiarumque consecrationem, & subdiaconorum, Diaconorum ac Presbyterorum Ordinationem, negans videlicet eos unquam veros fuisse Episcopos, c. 2. n. 1. 2. 3. Eccur dum iis relinquitur Minores Ordines conferendi facultas, negatur Virgines consecrandi, n. 3. Etsi vero hac Synodali sanctione modestiores effecti sunt Chorepiscopi, haud tamen fuerunt extincti, eorumque adhuc postea extat mentio in Conciliis Noviomensi, VI. Parisiensi, II. Aquisgranensi, Meldensi & Metensi, T. II. c. 2. n. 4. 6. & 8. Vetat eos Concilium illud Parisiense Confirmationem impendere, Synodus illa Metensis tum Confirmare, tum Ecclesias dedicare, tum alios conferre Ordines quam minores, nec hos aliter, quam de Episcopi licentia, n. 4. Suppositionis arguitur Epistola aut pars Epistolæ Nicolai in qua dicuntur veri esse Episcopi, T. II. c. 2. n. 5. 6. Adversus eos minus in Oriente sævitum est, quod in suis se continerent isti finibus. Tribuit ei II. Synodus Nicæna facultatem Lectores Ordinandi, ex permissu tamen Episcopi, n. 9. In Oriente jam nulli erant post annum Christi millesimum, *ibid.* Scribebat an. 612. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha in ipso Patriarchatu Alexandrino a ducentis annis Chorepiscopos deletis Episcopis juvare Patriarcham. At cum hi debeant Diaconos & Presbyteros Ordinare, neque enim iis per totum tractum illum

illum Ordinandis solus sufficeret, sola sit mutatio nominis oportet, n. 10.

Chorus.

Chorus Isidoro Hispalensi ex eo dictus est, quod initio in modum coronæ circum aras starent Clerici, & ita psallerent alternatim Antiphonas, T. II. c. 76. n. 1. Intra cancellos altaris chorumve Clericorum S. Basilius Valentem Imperatorem sedere passus fuerat immo jusserat, postquam ille sua altari dona obtulisset. Ambrosius vero postea Theodosium Imperatorem eo solum admisit dona sua offerentem, at post oblationem inde jussit recedere, T. II. c. 79. n. 3. Hancque consuetudinem invexit Theodosius in Orientem: adeo ut ex eo tempore nonnisi ipsius oblationis tempore chorum Clericorum Sacrariumve, & ut vocant, sacra aulæa Imperatoribus ingredi liceret: populo autem ne tunc quidem hæc liceret altaris septa ingredi: vigebatque adhuc ista consuetudo tempore Synodi Trullanæ, c. 79. n. 1. 2.

Christus.

Christus, ut qui Verbum Patris erat, ipsaque æterna Veritas, Legis novæ ipse Lex fuit, Sacerdos & Victima, T. I. c. 1. n. 1. Pergit suum in cælis ipse per se Sacerdotium exercere, & in terris per eos, quos cælum repetens, Sacerdotii sui reliquit successores, *ibid.* n. 2. & 3. Dum in terris positus minor ostentat in vita sua formam perfectionis, minorem scilicet pœnitentiæ vel paupertatis austeritatem, eo revera majorem exhibet nobis perfectionem, T. VII. c. 1. n. 13. & 14.

Chronicum Arabicum.

Chronici Arabici Alexandrini scriptor est Jacobita seu Eutychianus: ideoque post Dioscorum ipsum Patriarcham olim Alexandrinum nonnisi Eutychianos Patriarchas Alexandrinos enumerat. Scribebat ille ante annos ab hinc quadringentos, T. I. cap. 25. num. 1.

S. Chrysostomus.

Baptizatus sex annos agit in solitudine, nec tamen Monachus fuit, T. IX. c. 3. n. 10. Antiochiæ concionatur, T. IV. c. 88. n. 9. Fit CP. Episcopus, T. V. c. 65. n. 10. T. VI. c. 35. n. 11. Eccur suam in Asiæ Ecclesias exeruit auctoritatem, T. I. c. 10. n. 5. & 8. & T. VI. c. 36. n. 4. Legatio ejus ad Gainam, eod. c. 36. n. 4. Ejus magnanimitas, T. VI. c. 58. n. 7. Quam frugi & modesta ejus mensa, vitæque ratio, T. IX. c. 36. n. 8. 9. 10. 11. 12. Constantinopolitana duo adversus eum Conciliabula. Deportatur in exilium: mortuus inde revocatur Constantinopolim, T. VI. c. 43. n. 5. 6.

Cistercienses.

In ipso ann. 1098. exortu suo renuntiant Privilegiis, ea se profitentur non petituros, subjectionem Episcopis profitentur, T. III. c. 28. n. 6. 8. 10. Sibi item auro & argento in vasis sacris (calicibus exceptis) item & serico in sacris vestibus interdicunt, T. IX. c. 33. n. 5. Petunt tamen postea privilegia, eosque Innocentius IV. absolvit ab Episcoporum visitatione & correctione, n. 12. Intra centum ab exortu suo annos construxerant ad duo Monasteriorum millia, T. III. c. 28. n. 12. Et intra sexaginta non admodum annos Abbatias habuere quingentas, T. III. c. 68. n. 3. Filiæ Cisterciensis Abbatiæ & quam antiquæ, n. 12. In Capitulo Cisterciensi Generali adesse debebant singulis trienniis Abbates Hungariæ, quarto quoque anno Abbates Scotiæ, Hiberniæ, & singulis quinquenniis Abbates Norvegiæ, Livoniæ, Græciæ & Syriæ, T. VI. c. 42. n. 13. §. *In.*

Claravallensis Abbas.

Ei & Abbati Cluniacensi Hispania fuit olim tributaria, T. VII. c. 32. n. 9. §. *Satius.*

Claudius Taurinensis.

Natione Hispanus a Ludovico Pio, in cujus palatio Presbyter agebat, assumptus est ad Episcopatum Taurinensem, T. IV. cap. 97. n. 3.

Claustralia Abbatiarum officia.

Pia officiorum illorum Claustralium institutio, T. VIII. c. 27. n. 9. Quominus ad vitam darentur, Concilium III. Lateranense prohibet, c. 26. n. 2. & 5. Erant rationibus reddendis obnoxii, qui ea possidebant, n. 3. & 5. Exempla tamen officiorum Claustralium exeunte XIII. sæculo cum suis prædiis partitorum inter Monachos ad vitam, ne ad reddendas quidem rationes obnoxios, T. VIII. c. 26. n. 8. & c. 27. n. 7. Officiales Claustrales ad nutum Superiorum amovibiles jam esse Tridentina Synodus jubet, c. 26. n. 10. Idem antea Benedictus XII. ann. 1336. statuerat, c. 27. n. 7. Claustralia officia Regiarum etiam Abbatiarum non a Rege, sed ex Ordinis Constitutionibus creari debent, T. V. cap. 39. num. 6.

Clemens IV. & VI.

Clemens IV. jubet sororis suæ filium, cui tria erant Beneficia, duo ex iis abdicare, uno solum retento, T. VI. c. 9. n. 15. Quam alieni fuerint Clemens IV. & Clemens VI. a ditandis parentibus, T. VIII. c. 46. num. 8. & 10.

Cleri Conventus Generales.

Multis variisque modis habiti sunt conventus generales Cleri: aliquando enim in generа-

pœnæ

De

ciis, licet conjugati; jussi sunt tandem ab Alexandro III. post medium XII. seculum, & ab ætatis illius Conciliis suo deinceps excidere Beneficio qui conjugia inirent, c. 65. n. 4. & c. 66. n. 1. Eo quod eorum liberi & uxores rerum Ecclesiasticarum substantiam dissiparent, c. 66. n. 1. Quin & paulo post Innocentius III. & Honorius III. omni etiam eas spoliaverunt privilegio Clericali, seu ipsos, seu res ipsorum attinente, cap. 66. n. 3. Perrexerunt tamen privilegium Clericale magna saltem ex parte iis relinquere posteriores tum Pontifices tum Synodi, modo vestem & tonsuram gestarent Clericalem, n. 4. Id quod & Synodus Tridentina firmavit, n. 5. & 6. cui consentaneum est Edictum Caroli IX. modo sint Clerici actu residentes & Ecclesiasticis officiis ac Ministeriis servientes, n. 9.

Quid dum Clerici Ordinabantur jam conjugati?

Dum ordinabantur jam conjugati, si is, quo initiabantur, postulabat Ordo continentiam, exigi vult Agathense Concilium uxoris antea consensum & voluntatem, & ab utroque promitti continentiam, T. II. c. 62. n. 1. Sed & uxor ipsa ex Gregorio religiosam induebat vestem, c. 63. n. 10. Haud tamen sua illam abigebat domo conjux alter, id enim vetabant Canones Apostolici, Leo &c. c. 61. n. 1. Explicatur tertius Canon Nicænus inhibens Clericis contubernium mulierum, c. 64. n. 6. §. *Hac.* At non in eodem conclavi, sed in suo uterque domus ejusdem manebat habitaculo, c. 62. n. 1. 2. 3. Nec satis esse quoad Episcopum visa est Concilio II. Turonensi hæc cautio. Edixit præterea ut tam in Cella quam ubicumque esset ipse, Clericorum turbam sui custodem haberet semper, T. II. c. 62. num. 3. Sic & Etherius Lexoviensis Episcopus octogenarius circa lectum suum multos habebat Clericorum lectulos, num. 5.

Quid si Clericus legi cælibatus addictus, ea quam prius duxerat, uteretur uxore, & a filiorum procreatione non desineret.

Id Arvernum Concilium habet ut incestum, T. II. c. 62. n. 2. Sancit tamen solum Synodus Taurinensis, & I. Arausicana, hominem ad superiores Ordines non promovendum, c. 61. n. 1. Eum Siricius, Innocentius & Concilium Agathense omni honore Ecclesiastico privant, & ad ministerium vetant accedere, *ibid.* Depositionem solum loquitur Concilium V. Aurelianense, c. 62. num. 2. Satis etiam habet Concilium I. Turonense eum deponere, & communionem ei relinquit, quam ei Romanorum Pontificum litteris Decretalibus ademptam fatetur, cap. 61. n. 1. At & illam quoque ei postea & uxori Concilium II. Turonense adimit, c. 62. num. 3. Filios inde prognatos Concilium IX. Toletanum arcet parentis utriusque successione, & Ecclesiæ servos addicit, c. 63. n. 6. Lapsus & pœnitentia spontanea Episcopi unius Arvernensis & Genehaldi Laudunensis Episcopi, qui uxoribus suis usi fuerant, c. 62. n. 5. 7. Summa & miraculis comprobata Simplicii Augustodunensis Episcopi castitas, qui conjugem suam lecto suo non dimovit, n. 5. Effecere tamen, qui contingere conjugatorum Clericorum cum uxoribus suis lapsus, ut posterioribus sæculis uxores eorum qui sacris initiari vellent Ordinibus, in Monasteria includerentur. Idque nono jam sæculo observabatur, cap. 64. n. 5. §. *Ad Græcos.*

Quid si nuptias post ordinationem suam inibat Clericus?

Si vero post susceptum Ordinem qui continentiam postulabat, uxorem quis ducebat, non irritum quidem olim habebatur eratve hujusmodi conjugium, T. II. c. 61. n. 2. Jubet tamen Concilium III. Aurelianense illum deponi, immo & a communione summoveri, si nihil repugnans ordinatus fuerit, c. 62. num. 2. Jubet Toletana Synodus VIII. Monasterio illum includi, totius vitæ decursu pœnitentiæ labores subiturum, c. 63. n. 4. Sæculis X. & XI. in Occidentalem Clerum se incontinentiæ torrens infudit: adeo ut Clerici majores sese passim conjugiis implicarent, T. II. c. 64. n. 5. c. 65. num. 1. 5. Huic malo ut mederentur illorum temporum Concilia, alia continentiæ vinculum strinxerunt arctius, & ei minores etiam Clericos edixere subjiciendos, alia impuros illos Clericos jusserunt aut deponi, aut uxores illas suas vel invitas abjicere; alia vetuere deinceps vel Presbyteros vel Diaconos ordinari quin castitatem se profiterentur servaturos; alia quicumque vel Presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi inirent conjugia, Officio & Beneficio Ecclesiastico privatum iri decreverunt, T. II. c. 65. n. 1. 2. 3. 4. Tandem Eugenius III. in Remensi anno 1148. Concilio decrevit Ordinem sacrum a Subdiaconatu & supra fore deinceps impedimentum matrimonii dirimens, nec matrimonii loco habendum si postea contrahatur, ipsosque tum conjuges iri separatum, num. 4. Atque ita quoque sequentia statuere Concilia, *ibid.* Id jam superioris sæculi Concilia tentaverant, dum uxores istas promiscue vocaverant uxores & concubinas, & eas edixerant a Clericis quibus nupserant, abjiciendas,

das, ipſos vero Clericos non Beneficio ſolum & Ordine, ſed & communione pellendos, c. 65. n. 1. 2. 3. Acriter quoque contra eadem conjugia ſuperiori ſæculo pugnaverat Gregorius VII. & horum Presbyterorum Miſſis Laicos vetuerat intereſſe, n. 5.

De Conjugatorum Clericorum viduis.

Suum trahebant Clericorum uxores nomen ab eorum Ordine, ut vocarentur Epiſcopæ, Presbyteræ, Diaconæ Diaconiſſæve, Subdiaconæ Subdiaconiſſæve, uxores Epiſcoporum, Presbyterorum, &c. T. II. cap. 62. n. 3. 4. c. 63. n. 10. Religioſam illæ veſtem induebant, cum primum earum ordinabantur mariti, c. 63. n. 10. Poſtquam autem ipſi obiiſſent vetat eas Synodus Altiſiodorenſis cuiquam ultra nubere, c. 62. num. 4. Si cui vero nubebant, jam tempore Gregorii ſeparabatur uterque conjux, & aliqua inſuper pœnitentia caſtigabantur, c. 63. num. 10. Immo quæ novo illi nupſerat conjugi, jam tum in Monaſterium conjiciebatur, *ibid.* num. 8. Quin & in Romano ann. 721. Concilio ſub Gregorio II. anathemate percuſſi ſunt, quiſquis viduam Presbyteri vel Diaconi duceret in conjugium, c. 63. n. 10: Novos illos conjuges jam prima Synodus Aurelianenſis juſſerat ad ſeparationem excommunicatione adigi, T. III. c. 51. n. 9. Illam porro Conſtitutionem de non deinceps nubendo non extenderat ſive Concilium iſtud, ſive Romanum illud infra Diaconorum relictas. At illam Synodus Altiſiodorenſis ad ipſas etiam extendit Subdiaconorum viduas. Immo & Matiſconenſe II. Concilium uſque ad Exorciſtarum etiam & Acolythorum; eaſque, ut & aliorum viduas, jubet a novis illis maritis ſeparari, & uſque ad finem vitæ in Monaſterium dari, T. III. c. 51. n. 9.

De Græcorum Clericorum cælibatu.

Probatur Clericorum cælibatus apud Græcos primis Eccleſiæ temporibus ex Epiphanio, Hieronymo, Euſebio, Chryſoſtomo, Clemente Alexandrino, Iſidoro Peluſiota, Cyrillo Hieroſolymitano, Syneſio & Baſilio, T. II. c. 60. n. 2. 3. 4. 7. 13. 14. 16. 19. Non quidem prorſus rigide in omnibus Orientis locis ſervabatur ille cælibatus: ſed ea in re peccabatur contra Canones, ex Epiphanio & Iſidoro Peluſiota, c. 60. n. 5. & 16. Ut falſo dixerit Socrates ſolis Canonibus antiquis poſt ordinationem nuptias prohiberi, ſolaque voluntate, non autem Eccleſiaſtica lege Epiſcopos & Presbyteros in Oriente ab uxoribus ſibi temperare, c. 60. num. 15. 17. 18. Solvuntur incommoda quædam in ſpeciem Socratis & Sozomeni teſtimonia de Paphnutio Epiſcopo, quædam item Gregorii Nazianzeni & Athanaſii loca, num. 15. 16. 20. 21. Quare tam raro de Clericorum cælibatu loquuntur Orientis Concilia, c. 60. num. 6. Conſtringebantur apud Græcos iſta cælibatus lege Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, T. II. c. 60. num. 2. 4. 5. Illud tamen invalidum habebatur Neocæſarienſibus Patribus, ſi quos Presbyter conjugium deinceps iniret, c. 61. n. 1. Solos Diaconos qui Epiſcopo ante Ordinationem ſuam conteſtati fuerint ſe non poſſe ſine uxore vivere, eximit Concilium Ancyranum a lege cælibatus: iſtoſque patitur in miniſterio manere, ſi poſtea nuptias inirent; cum Diaconos alios, ſi uxorem duxerint, jubeat Diaconatu ceſſare, c. 61. num. 1. Subdiaconos quoque continentiæ legi addicit Epiphanius ut ex communi Eccleſiæ Græcæ diſciplina, cap. 60. n. 2. 4. 5. Immo ſatis communiter eadem cælibatus lege conſtringebantur Græci Lectores & Pſalmiſtæ, ſeu Cantores, c. 61. num. 4. Iis tamen & quidem ſolis Canon Apoſtolicus fecerat ineundi conjugii poteſtatem, c. 63. n. 13. Laxata vero eſt admodum illa Græcorum diſciplina. Et quidem ſolis Cantoribus & Lectoribus poteſtatem tribuit tum Trullana Synodus tum hodierna Eccleſiæ Græcæ diſciplina conjugii poſt ſuſceptum Ordinem ineundi, eam vero negant poſt ſuſceptum Ordinem, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis, T. II. c. 63. num. 11. 13. c. 64. n. 6. c. 65. n. 8. Immo tum Juſtinianus tum Græcorum Nomocanon, ſi qui vel Presbyteri vel Diaconi vel Subdiaconi poſt ſuſceptum Ordinem uxores ducerent, hos edixere gradu ſuo movendos, liberos eorum ut ſpurios habendos, ac cum matribus ſuis omni prorſus horumce Clericorum ſeu hæreditate ſeu donatione privandos, Eccleſiamque ipſam iis ſubſtituendam, c. 63. n. 11. c. 64. n. 6. Quanquam non obſervatur apud eos iſtud pœnarum genus, c. 64. n. 6. §. *In eodem*. Hæc quidem poſt Juſtinianea Trullanaque tempora irrepſerat apud Græcos corruptela ut hujuſmodi Clericis fieret adhuc poſt Ordinationem ſuam biennii venia intra quod poſſent inire conjugium: at hanc proſcripſit Leo Sapiens Imperator, c. 64. n. 6. §. *Hac.* Sed illa dudum apud eos ſublata eſt antiquæ eorum diſciplinæ pars altera, qua ſcilicet non poſſent iſti Clerici, Presbyteri, inquam, Diaconi & Subdiaconi, iis, quas ante Ordinationem ſuam duxerant, uxoribus miſceri, T. II. c. 64. n. 6. §. *Hac ſane*. Is itaque jam mos eorum eſt & multis ab hinc ſæculis, ut quos Ordinaturi ſunt Diaconos aut Subdiaconos, jubeant vel perpetuam ante promittere continentiam, vel uxores ante ducere, quibus poſt ſuſceptum Ordinem, uti pergant; crimi-

criminique dant Latinis, quod hos nonnisi Cælibes futuros velint ordinare, c. 63. n. 12. 13. Ista Græcorum indiligentia in servanda & exigenda majorum illorum Ordinum casti tate ex eo duxit originem quod olim apud eos rarius, & nonnisi fere ab Episcopo Sacrificium offerretur, c. 60. n. 11. c. 61. n. 3. Sola igitur apud Græcos illæsa mansit & manet etiamnum Episcoporum continentia, T. II. c. 65. n. 8. Hique vel cælibes apud eos eliguntur, cælibes deinceps persitituri: vel si conjugati assumuntur, quos tamen assumi vetuerat olim Justinianus, uxoris amplexibus nuntium remittere jubentur, c. 60. n. 18. c. 63. n. 12. 13. c. 64. n. 9. Hosque ideo vetat Trullana Synodus ordinari nisi uxorum prius habito consensu, ipsasque tum jubet vel ordinari Diaconissas, si huic dignitati prior earum vita responderit, vel Monasterium ingredi, vestem Monasticam induere, & Monasticæ professioni sese devovere, c. 63. n. 13. c. 64. n. 9. 10. §. *Leges*. Hinc Græci Episcopos suos fere non nisi ex Monachis eligunt, c. 63. n. 12.

De Clericorum pœnitentia.

Suus erat olim Clericis Confessor non arbitrarius, sed ab Episcopo assignatus, T. II. c. 10. n. 6. Quarto jam sæculo & quinto Clerici, si quod admittebant ex iis criminibus, quæ in Laicis publicæ pœnitentiæ erant obnoxia, deponebantur quidem æternum, aut seipsos ipsi abdicare jubebantur, at pœnitentiæ publicæ non addicebantur; monebanturque solum ut privatim secedentes dignam a se pœnitentiam exigerent. Ita de Italia testantur Siricius & Leo, de Africa Carthaginenses Canones, T. IV. c. 51. n. 9. 12. Ut id vocare potuerit Leo traditionem Apostolicam? n. 13. Tribus tamen primis sæculis, immo ineunte adhuc quarto sæculo, tum deponebantur & inter Laicos adigebantur, tum cum illis pœnitentiæ publicæ subjiciebantur, T. IV. c. 56. n. 4. §. *Sed*, & n. 13. Quæ diversitatis illius ratio? c. 56. n. 12. 14. Porro tribus illis iisdem primis sæculis tum pœnæ canonicis illis criminibus, seu pœnitentia publica plectendis debitæ mitiores erant ac breviores, tum nec Clericis reditus ad suas tandem aliquando functiones videtur fuisse interclusus, sicut nec Petro post lapsum, n. 15. Sæculo VI. VII. & VIII. Clerici pœnitentiæ causa in Monasteria plerumque segregabantur, T. IV. cap. 59. n. 8. Eo illos incontinentiæ convictos Gregorius ablegabat, iisque pensio subministrabatur, ne oneri essent Monasterio, T. VIII. c. 29. n. 7. Nono sæculo Clerici, Canonici, Monachi & Moniales lapsi verberibus & carceri subjiciebantur, T. VI. c. 107. n. 12. Clericos ejus sceleris convictos, quod in Laicis morte luitur, jubet Lambethanum in Anglia anno 1261. Concilium ab Episcopis in carcere suo tota jam vita concludi, T. IV. c. 76. n. 8. §. *Cum eo*.

Clericis quæ illicita quæ licita.

Alea, vid. tit. *Alea*.

Arma, vid. tit. *Arma*. Ne pro se quidem defendendis debent occidere, T. IV. c. 60. n. 11. c. 70. n. 3. 6. c. 75. n. 4. Quam eos semper Ecclesia voluerit a sanguine fundendo alienos, T. IV. c. 66. n. 10. *& seqq.* c. 76. n. 1. 2.

Cauponæ, vid. tit. *Cauponæ*.

Jus civile, v. tit. *Jus civile*.

Ludi, vid. tit. *Ludi*.

Medicina & Chirurgia, vid. tit. *Medicina*, & tit. *Chirurgia*.

Venatio, vid. tit. *Venatio*.

Judicia.

Post annum millesimum Concilia quædam prisci rigoris retinentia Clericis majoribus omnem Judicum Consiliariorumve functionem inhibuere. Quædam excepere, nisi Princeps juberet: Quædam, Nisi de sententia consensuve Episcopi: Nonnulla nec pauca hanc solum functionem iis in illis inhibuere judiciis, in quibus eorum esset vel sententia pronuntianda vel causa etiam discutienda, T. IX. c. 22. num. 2. 3. 6. 7. Episcopi & Abbates jam a tempore Caroli Magni in Regni Comitiis sedebant, & quidem ante Duces, Comites, & Barones; potioresque ibidem erant eorum partes in causis discutiendis. Hinc fluxere hodierni Consiliarii Clerici. Qua id temporum vicissitudine factum est? c. 23. toto, vid. tit. *Parlamentum*. Gaudent etiamnum Episcopi omnes consessu in Parlamento, at non suffragio præter sex Pares Ecclesiasticos & Episcopum Parisiensem, c. 23. num. 3. §. *Doctissimus*. In Anglia plures tum Episcopi tum Abbates fuere Magni Justitiarii Regni. Id quod tandem in Episcopis Innocentius III. improbavit: adeo ut ejus jussu Cantuariensis Archiepiscopus hoc munere fuerit exutus, T. IX. cap. 24. num. 6. 7. 8.

Lites & causæ actitandæ.

Laicorum lites Justinianus & Concilium Tarraconense vetant Clericis procurari, T. IX. c. 18. num. 11. 14. Lites eos persequi vetant Concilia sub Pipino ac Carolo Magno nisi pro vel orphanorum vel viduarum vel Ecclesiæ causa, c. 20. n. 1. 2. Cœptum est in Oriente Clericis sub Imperio Carolinæ stirpis licere Causidicos etiam esse, sed primum pro pauperum vel Ecclesiæ causa: deinde vero & pro quibuslibet causis id sibi sumpsere, n. 6. Concilia post annum millesimum univer-

S. Clo-

Monita præclara Concilii Rotomagensis ad commendatarios, num. 15. Decreta Conciliorum Remensis, Turonensis & Aquensis: item comitiorum Generalium & Regum Galliæ, c. 20. num. 16. 17. Alia nonnulla observanda, num. 18. 19. 20. Quid occasionem dedit Abbatiarum commendis, num. 20. Quomodo se gerere debeant commendatarii, num. 15. 20. §. *Nec* & §. *Alterum*.

De Commendis Laicorum post annum millesimum, T. VI. c. 21.

Occupabant laici prædia, feuda, & fundos Ecclesiæ sustentandis Clericis destinata, partim quæ ipsi aut eorum Majores invasissent, partim quæ ipsis Episcopi aut Abbates tradidissent, eos sibi fidei & hominii Sacramento adstringentes, & adsciscentes eos sibi in Patronos & defensores, c. 21. num. 2. 3. 4. Sed & ex iis nonnulli Abbatias, Archidiaconatus, Parochias, Præposituras &c. cum prædiis quæ iis erant affixa, occupabant, num. 2. §. *Qui*. Id mali per Galliam, Hispaniam, Angliam & Italiam grassabatur, c. 21. num. 2. 3. 4. 5. In laicis Parochiarum commendis permodicus erat veris ipsis Parochis proventus, n. 6. Excommunicationum terrore adigendi fuere ad Ecclesias Ecclesiarumque prædia Parochis, Abbatibus & Episcopis restituenda, n. 6. 7. 8. De laicis per Orientem commendis, num 13.

Communio.

Jubet Concilium II. Turonicum patere Sancta Sanctorum laicis viris, ac mulieribus ad communicandum. Bracarense e contra alios, quam Clericos vetat Sanctuarium ingredi etiam ad communicandum. Toletana IV. Synodus statuit, ut Sacerdotes & Levitæ communicent ante Altare, in Choro Clerus, extra Chorum populus, T. II. c. 79. n. 1. Laicos omnes Eucharistia refici jubet Canon Agathensis tribus saltem ipsis Paschæ, Pentecostes, Natalisque Christi diebus, T. VI. c. 3. n. 15. Tempore item Caroli Magni ter saltem in anno ea refici jubebantur, T. II. c. 83. n. 6. Ni tamen pluries fieret, valde periculosum id Jonæ Aurelianensi Episcopo videbatur, num. 7. Hanc saltem Clericis Presbytero inferioribus Toletanum ann. 1324. Concilium figit legem, T. VII. c. 73. num. 1. Hortatur Theodulphus Aurelianensis item Episcopus, ut singulis diebus Dominicis Quadragesimæ, in die Cœnæ, Parasceves, Sabbati sancti, & omnibus Paschalis hebdomadæ diebus, T. II. c. 83. num. 6. Optabat Carolus Magnus ut singulis Dominicis communicarent omnes, *ibid*. Amalarius ut diebus singulis, num. 7.

Communio sub una solum specie jam tum III. sæculo fiebat Hierosolymis ob majorem Peregrinorum concursum, T. VII. c. 15. num. 4. §. *Ex his*. Constitutiones Archiepiscopi Cantuariensis eodem sæculo communionem sub utraque specie permittunt in minoribus urbibus soli Celebranti, T. VII. c. 72. n. 8. vid. tit. *Eucharistia*.

Comœdi, vid. tit. *Spectacula*.

Inter Irregulares a Gennadio referuntur, qui in scena lusetunt aliquando, T. IV. c. 62. n. 25.

Compostellana Ecclesia, vid. indic. Geograph.

Concilia Generalia.

Generalium Synodorum convocandarum auctoritatem ait Gregorius sedi Apostolicæ B. Petri singulari privilegio esse traditam, & nullam unquam Synodum ratam legi, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta, T. I. c. 11. num. 9. Scripsere tres Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, licet nec adesse Synodo VII. Generali possent, nec ad eam Vicarios dirigere, quod ab infidelibus Principibus quorum sub jugo erant, vetarentur: nihil tamen ponderis & auctoritatis defuturum ejus Decretis, propterea quod ei per suos Legatos adesset Romanus Pontifex, & Decretis ejus concordaret, c. 13. n. 6. Pseudosynodum Oecumenicam Iconoclastarum Stephanus Martyr eo repudiavit argumento quod Romano Pontifici, sine cujus auctoritate res Ecclesiasticæ ad normam dirigi non possunt, non fuerit probata, c. 14. n. 8.

Concilia Provincialia, Nationalia, Universalia.

De iis primum usque ad Caroli Magni tempora, T. VI. c. 45. 48. 49. 50.

Post ipsa Apostolorum Concilia nulla primum occurrunt, nisi Victoris Papæ tempore pro festo Paschæ, scilices ad calcem secundi sæculi, & deinceps tempore Stephani de Hæreticorum baptismo. Eaque fere in Oriente sola fuerunt, nisi si pauca Africæ excipiantur. T. VI. c. 45. n. 1. Erant autem ista ex pluribus Provinciis, ut proinde Concilia Nationalia, Universaliave fuerint ante Provincialia, n. 2. Jam tum tamen erant Provincialia Concilia tempore Firmiliani Stephanive, eaque semel in anno habebantur, & ita quidem, ut ad ea necesse esset Episcopos convenire, n. 2. 3. Exeunte eodem tertio sæculo bis in anno habebantur Ordinaria; quem usum firmavit postea Concilium Nicænum, Antiochenum, Chalcedonense, &c. T. VI. c. 45. n. 3. Et in Occidente Leo, Concilium Regiense &c. scilicet ubi facile haberi possent, n. 9.

bus eodem tempore & loco constantia Conventibus, Episcoporum videlicet, Abbatum, & Procerum cum Magistratibus, v. tit. *Comitia*: ibique *de Comitiis sub Carolo Magno & ejus stirpe*. Erant etiam quandoque hujusmodi Episcoporum Concilia seorsim a Comitiis, ut cum videlicet Regni status non patiebatur facile ut hæc haberi possent, T. VI. c. 52. n. 8. Illis aliquando Conciliis præfuisse aut præedisse Carolus Magnus quo sensu legatur, num. 3. Etsi non semper, ut plurimum tamen erant in causa, cur Concilia Provincialia non haberentur, num. 5. Sed & cum sæpe tum Comitia illa, tum Universalia illa Concilia haberi multæ causæ prohiberent, nec propterea tamen Provincialia inirentur Concilia, illorum cogendorum libertatem Reges ipsos rogavere Concilium VI. Parisiense, Meldense & Tullense, nec admodum profecere. T. VI. c. 52. n. 9. c. 53. num. 3. 5. Multa nihilominus adhuc habita sunt post annum millesimum, in eaque etiam Proceres & Laici conveniebant, c. 57. num. 1. Instituere admodum per eam ætatem Romani Pontifices, ut singulis annis haberentur. Id indixit etiam prorsus Concilium IV. Lateranense. Nec admodum tamen parebatur, num. 4. 5. Statuit altero post sæculo Placentinum in Hispania Concilium, ut unoquoque saltem biennio haberentur, ingressu Ecclesiæ prohibens Metropolitanos, si ultra biennium torperent, num. 5. Quod necdum acquiesceretur, eorumque immo celebratio ubique negligeretur, satis fuit Concilio Basileensi & aliis communiter deinceps, ipsique etiam Tridentino, si singulis trienniis haberentur, T. VI. c. 57. num. 7. 8. 9. Edixit ex Congregatione Concilii Pontifex, ut in Conciliis illis, qui Episcopus ordinationis ævo superior esset, sederet quoque prior ante eum etiam, qui Protothronus, seu primæ post Metropolim sedis Episcopus esset: sederent quoque in iis Abbates Commendatarii, sed post Abbates benedictos: soli Episcopi voce definitiva gauderent, nisi Concilium ea quoque donare vellet Presbyteros absentium Episcoporum Procuratores, n. 9. §. *Concilium*. Multa post Tridentinum & ex illo ejus jussu sunt habita, suaque ut plurimum acta Romano Pontifici mittere, qui & ea ad illos remittebat cum animadversionibus Congregationis Concilii, T. VI c. 57. num. 9. Primus a Pontifice confirmanda sua petiit S. Carolus Borromæus, & primus quoque ex Gallicanis tum habitis Archiepiscopus Aquensis sui ann. 1585. habiti petiit confirmationem, num. 9. Cum illiusmodi confirmationem a Romano Pontifice petere antea non consuevissent Concilia Provincialia, *ibid.* Suum quidem olim Nannetis habitum confirmari a Romano Pontifice petierat S. Hildebertus Archiepiscopus Turonensis, sed ob singulares sibi tum rationes, c. 57. num. 2. Ex quo intermissa sunt Concilia Provincialia, funditus interiit Ecclesiastica jurisdictio, num. 11.

Extraordinaria Concilia Episcoporum, qui in urbe Regia reperiebantur.

T. VI. c. 43. 44. 46. 56.

Non poterat non esse semper Constantinopoli ob singularum toto Oriente Ecclesiarum necessitates numerus Episcoporum ad Aulam Imperatoriam accedentium satis ingens, ut quasi perpetua ex iis conderetur Synodus. Ei autem præerat Episcopus ipse Constantinopolitanus, T. VI. cap. 43. n. 1. In ea terminabantur difficiliores Orientalium Ecclesiarum causæ: vel eas Imperatore Præsuli Constantinopolitano ipsi delegante, vel illis ipsis partibus eas ultro ad eundem Præsulem deferentibus, num. 1. 2. Nec de causis solum Patriarchatus Constantinopolitani ipsius in iis agebatur, sed & de reliquorum Orientis Patriarchatuum, num. 3. Plurima istarum Synodorum exempla per prima quinque sæcula, toto illo cap. 43. Alia item sub Imperio Caroli Magni, cap. 44. num. 3. 4. 5. 6. Quam multæ in iis causæ agitarentur, num. 5. 6. Observationes in istiusmodi Synodos, cap. 44. n. 5. Eas ipse Constantinopolitanus Patriarcha congregabat, *ibid.* Quid similitudinis vel dissimilitudinis inter istiusmodi Concilia & Gallicana Cleri comitia Generalia, num. 1. De iisdem adhuc Conciliis extraordinariis in urbe Regia habitis, T. VI. c. 46. n. 2. 3. 4. c. 56. n. 6. 7.

Concordata.

Concordatum Germanicum ann. 1448. inter Nicolaum V. Papam & Fredericum III. Imperatorem, T. IV. c. 45. n. 4. c. 46. n. 6. §. *diximus*, & T. V. c. 38. n. 11. 12. Per illud electiones Ecclesiis Episcopalibus & Abbatialibus relinquuntur liberæ per sex menses alternatim, incipiendo a Februario, sex aliis mensibus alternatim quoque Romano Pontifici relictis, n. 11. Item factas a capitulis electiones debet confirmare, immo potest eas rejicere, si quempiam ipse digniorem substituat, n. 11. & 12. Concordatum Francicum inter Leonem X. Papam & Franciscum I. Regem in Concilio V. Lateranensi editum ac confirmatum, quo aboletur Pragmatica Sanctio, ac Episcopatuum & Abbatiarum nominationes sic Regi conceduntur, ut electionum confirmatio ad summum Pontificem per-

pertineat. Summa istius concordati, T. IV. c. 45. n. 8. 9. 10. Summa iterum ejusdem, T. V. c. 40. n. 1. 4. Multos passum est adversarios, T. V. c. 40. num. 6. 7. Rationes quibus defenditur, n. 1. 6. 8. Confirmatur in Edicto Blesensi, cum Edictum Aurelianense paulo ante restituisset electiones Episcoporum, n. 7. 8. §. *Vix*. Extenditur ad Armoricæ & Provinciæ Beneficia, n. 5. Tum ab Alexandro VII. ad Episcopatus Metensem, Tullensem & Virdunensem, quandiu Ludovicus XIV. in vivis foret, n. 9. Tum vero eidem Ludovico a Clemente IX. in omne ævum, seu quoad recens partas Regi ditiones alias, n. 9. 10. Concordatum Hispanicum, T. V. c. 35. num. 8. Per illud penes Hispaniæ Regem est nominatio ad Episcopatus & Abbatias, qui jam usus antea ibidem obtinebat, eod. n. 8.

Concubina.

Concubinæ vocabulum sexto sæculo legitimam significabat uxorem, sed minus solemniter ductam, T. IV. c. 80. n. 3.

Confessio & Confessor, v. tit. *Pænitentia & Pænitentiarius*.

Quæ modo in confessionibus observantur, eodem sæculo VIII. IX. & X. observabantur. Tunc videlicet æque ac modo peccata occulta quæque, & peccata etiam cogitando solum admissa Confessori aperiebantur, & ab eo in peccatorum circumstantias inquirebatur. Probatur id ex Theodulpho Aurelianensi Episcopo, Concilio II. Cabilonensi, Caroli Magni capitularibus, &c. T. II. c. 11. num. 1. 4. 5. Probatur item ex eo quod Fideles omnes teste Reginone peccata sua semel in anno, scilicet ineunte Quadragesima confiteri tenerentur, cum utique nemo dixerit fuisse eos omnes publicorum peccatorum reos, num. 51. Probatur rursus ex eo quod pœnitentiæ publicæ, quibus in publice peccantes tunc animadvertebatur, Episcoporum examini & curæ reservatæ essent: ut proinde, quæ leges in peccatorum negotio Presbyteris tum tradebantur, ad occulta pertineant peccata, c. 11. n. 5. Sed & cum Episcopi & Concilia illius temporis, a quibus jubentur Presbyteri in peccata etiam occulta & in eorum circumstantias inquirere; eos quoque jubeant ne vel transversum unguem a priscorum Canonum rigore & disciplina in pœnitentiis infligendis discedere, argumento, id est & peccata quoque occulta primis ipsis Ecclesiæ sæculis fuisse confessioni & pœnitentiæ obnoxia, T. II. c. 11. num. 2. 5. Confessiones quasdam generales iisdem illis sæculis VIII. IX. & X. quidam faciebant Episcopis vel Conciliis vel Papæ, a quibus item generales accipiebant absolutiones: at his tamen generalibus confessionibus jungendæ erant aliæ particulares, num. 9. Et hinc forte fluxerunt generales illæ confessiones & absolutiones, quæ multis in Ecclesiis fiunt ultima Quadragesimæ hebdomada, *ibid.* Post peccatorum occultorum confessiones statim reconciliationem capitularia Caroli Magni impendunt, num. 11. Peccata levia & quotidiana laici laicis confitebantur, atque adeo & Presbyteris, n. 13. & 14. Tempore Caroli Magni si quis quantumvis atrocium criminum reus ea Presbytero confiteri maturabat, non poterat postea in jus vocari, dum in cognitionem deveniebant, sufficiebatque sola Presbyteri id narrantis fides, T. IV. c. 72. n. 12.

Quis cui sua poterat peccata confiteri?

Jam usus obtinuit, ut Confessarii in una Diœcesi approbati confessiones excipiant fidelium alterius Diœcesis iter illac habentium; immo & a casibus in altera illa Diœcesi reservatis eos absolvant si in hac sua reservati non sint & fraus absit: cum olim approbati unius Diœceseos Presbyteri ne possent quidem audire eos qui ex alia erant Diœcesi, immo nec eos, qui ejusdem licet Diœceseos, alterius tamen essent Parochiæ, T. II. c. 10. n. 10. & 11. c. 24. n. 5. & T. III. c. 40. n. 13. Solo enim Pœnitentiario generali excepto, ii qui ab Episcopo confessionibus audiendis præficiebantur, intra certa loca certave personarum genera constringebantur, extra quæ suam non poterant jurisdictionem exercere, T. II. c. 10. n. 10. Cum quis ab Episcopo habebat potestatem, quem sibi vellet Confessorem eligendi, haud ultra huic Confessori opus erat Episcopi approbatione; nec enim ab Episcopo Confessores approbari, tunc moris erat, eod. num. 10. Sub post annum millesimum leguntur fuisse Clericis propriis Confessores, nempe in Cathedralibus Ecclesiis vel ipsi Episcopi vel Decani, vel Confessores tandem ab Episcopo iis assignati. Duo alicubi in quolibet capitulo iis Episcopo assignabantur; alicubi a Decano & Capitulo conjunctim cum Episcopo, T. II. c. 10. n. 6. Sic & in unoquoque Decanatu, id est, Archipresbyteratu, seu plurium ruralium Parochiarum tractu peculiares Clericis assignabantur Confessores vel ab Episcopo, vel a capitulo, vel a toto ipso Parochorum tractus illius conventu, *ibid.* Iis tamen fiebat aliquibus in locis potestas alios Pœnitentiarios adeundi, eod. n. 6. §. *In Episcopatu*. In aliquibus locis non nisi de certa Prælatorum suorum licentia poterant Clerici aliis, quam Prælatis ipsis suis sua confiteri peccata, n. 7. §. *Discedamus*. Ali-

Cophti.

Cophti.

Cophti ii sunt Eutychiani qui in Ægypto degunt sub potestate Alexandrini Cophti Patriarchæ. Nam alius quoque est Alexandrinus Patriarcha Græcæ communionis, T. I. c. 25. n. 3. & 2. Dicti sunt Cophti vel a Cophto urbe ad sinum Arabicum sita, vel ab Ægypto ipsa, dempta scilicet illius nominis prima littera. Dicuntur & Jacobitæ, *ibid.* Se Eugenio IV. Papæ subjici professus est Cophtorum Patriarcha, qui tum sedebat: eidemque Eugenio obedientiam præstitere Cophti & Abyssini anno 1441. & postmodum Sixto IV. Fœdus init cum Clemente VII. eique obedientiam professus est David Æthiopum Imperator. Revoluta per Davidis illius ann. 1555. mortem in pristinam sortem Æthiopia, eo direxit Paulus IV. Patriarcham unum & Episcopos duos ex Societate Jesu, sed modico cum Religionis fructu. Anno tandem 1600. se Seltanus Æthiopum Imperator cum omni Regno suo gregi Catholico & Pontificiæ unitati reddidit; quanquam nonnisi sedente Urbano VIII. nova isthæc concordia numeris omnibus fuit absoluta, T. I. cap. 25. num. 1. & 2.

Corinthi Primatus, v. indic. Geograph.

Cormericensis Abbatia, v. indic. Geograph.

Corona.

Corona per quam adjurabantur prioribus sæculis Episcopi, non erat corona illa, quam modo in capite gestant Episcopi, nec dum enim erat in usu: sed aut Regale ipsorum erat Sacerdotium aut Mitra ipsa, quoddamve aliud capitis ornamentum, quod inter Mysteriorum solemnia gestabant, T. II. c. 37. n. 8. 9. & c. 45. n. 5. 6. v. tit. *Tonsura*.

Corporalia, v. tit. *Linteamina*.

Cracoviensis Ecclesia, v. ind. Geograph.

Crimen.

Gravissima quæque crimina sub Imperio Carolinæ familiæ unis fere solum pecuniariis emendis aut pœnitentia publica aut utroque plectebantur, T. IV. c. 72.

Crux.

Constantinus ex Eusebio in eminentissimo Palatii sui cubiculo Crucem ex auro lapidibusque pretiosis infixit medio ipsi lacunari, ut Imperii sui tutelam, T. II. c. 109. n. 15. Infidelium templa Christianæ Religioni a Theodosio tribuebantur, collocata in eis Cruce, T. II. c. 21. n. 11. Loco amuletorum illorum, quæ superstitiosi parentes collo infantum ad depellendas ægritudines appendere solebant, volebat Chrysostomus Crucem solam iis in remedium adhiberi, c. 58. num. 5. Crucem vel sacro ipso Crucis ligno vel Reliquiis sacris munitam e collo suo suspensam gestabant antiquitus omnes ferme Græci, idque & Latinis erat percommune, n. 5. & 6. Sub Sixto V. dum e terra eruerentur rudera Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis effossa sunt complura numismata aurea Constantinopolitanorum Imperatorum, utriusque Theodosii, Honorii, Arcadii, &c. in quibus cum Cruce exhibentur, c. 59. n. 10. Jussu Chrysostomi Crux in publicis Processionibus præferebatur. Ejus item ævo & deinceps, viris pietate vel dignitate præstantissimis ibatur in occursum cum Crucibus, c. 58. num. 6.

Crux pectoralis Episcoporum.

Cum antiquitus Christiani fere omnes, seu Orientis, seu Occidentis Crucem vel ipso Crucis ligno vel sacris Reliquiis munitam collo appensam gestarent; haud dubium quin & illam Episcopi præ ceteris & Clerici, T. II. c. 58. n. 4. 5. Quæ autem erat tum liberum pietatis in Episcopis ut & in aliis monimentum, facta tandem est eorum ornatus & insigne, n. 6. Cœptum id est a Romanis Pontificibus, solique ipsi Crucem a collo ante pectus catenis suspensam tempore Innocentii III. gestabant, num. 4.

Crux Archiepiscoporum & Legatorum.

Primis omnium prælatæ sunt Cruces Romanis Pontificibus inter eundum, T. II. c. 58. n. 6. Ex illo id forte profectum est usu, quo antiquitus viris sanctitate dignitateve præstantissimis, ut alios inter Exarchis Patriciisque dum Romæ excipiebantur, obviam ibatur Cruce prælata, *ibid.* Jam Leonis IV. tempore Crux aurea præferebatur a Subdiacono Pontifici Romano, cum urbe vectus equo egrediebatur, *ibid.* Cœpit postmodum & ipsis Romanorum Pontificum Legatis præferri. Sic dum ornat Anscharium Hamburgensem Episcopum Legatione Apostolica Romanus Pontifex, id ei tribuit facultatis. Sic id tribuit ut Apostolatus seu Legationis Apostolicæ insigne Stephano Regi Hungariæ Romanus item Pontifex, quod eum, contemplatione pietatis ejus, vellet esse in Regno suo sedis Apostolicæ Legatum circiter anno 1000. Eodem cum apparatu Humbertus Cardinalis ejusdem Sedis Legatus ann. 1050. Constantinopolim ingreditur, T. II. c. 58. n. 6. c. 59. n. 3. Post Legatos Pontificios concessum id quoque fuit Patriarchis, c. 59. n. 3. In hujusque honoris consortium venere Primates, quod non aliter ii quam minores Patriarchæ haberentur, c. 59. n. 4. & 7. Sed & quibusdam quoque Metropolitanis a Leone IX. Alexandro II. Eugenio III. Alexandro III. concedi cœpit, c. 59. num. 4. 6. 7. Ac postea tandem omni-

Et

Et quidem ex quo ab uno devolvitur ad alterum, jam illi alteri conceduntur sex alii menses, intra quos fiat collatio, & sic deinceps si ab altero isto adhuc ad alium, c. 51. n. 4. 6. Si vero Provisio Præbendarum Beneficiorumve conjunctim ad Episcopum & Capitulum spectat, non tunc fit reciproca illa devolutio unius eorum ad alterum. Si tamen Episcopus non ut Episcopus, sed ut Canonicus Capitulo interfuisset, nec per eum stetisset quominus Beneficium conferretur, jam ad eum devolveretur jus illius conferendi, c. 51. n. 4. Episcopi autem aut Abbatis electio si tres intra menses non fiat a Cathedralibus aut Regularibus Ecclesiis, edixit Concilium IV. Lateranense sub Innocentio III. ut ejus electio devolvatur ad Superiorem immediatum, nec ad Romanum Pontificem, nisi eo casu, quo esset ipse immediatus ille Superior, T. IV. c. 51. n. 1. §. *Concilium*, num. 3. 5. 6. Ad eum tamen devolveretur, si electio facta quidem fuisset ab aliis Ecclesiis, sed ita ut vel indignum scienres elegissent, vel contra canonicas electionum formulas peccassent, num. 5. Exemplum devolutionis ad Romanum Pontificem in electione Archiepiscopi Bitnricensis ante illud Concilium V. Lateranense, n. 1.

Secundum devolutionis genus est illud quod a 200. circiter annis circumstrepit, cum videlicet Beneficium quidem intra præfixum tempus collatum fuit, sed ei, qui propter vel defectus aliquos vel crimen aliquod illi non esset idoneus: tunc nimirum perinde ac si vacaret, provisio impetratur a Romano Pontifice, ad quem tunc devolutum est Beneficium, T. IV. c. 51. n. 7. 10. Quo autem animo debeat ab illis Devolutariis adiri Pontifex Romanus, ut pie & innoxie res ab illis prætletur, n. 8. 9 Conditiones in Gallia his Devolutariis præfixæ, n. 11. Post pacificam triennii possessionem jam non est devolutioni locus, estque ista triennalis pacifica possessio instar præscriptionis, n. 11. Exemplum præscriptionis istius in Africanâ Ecclesia ab amplius 1200. annis *ibid.* Necesse tamen est ut sit Titulus saltem coloratus, seu ut bonæ fidei sit illa præscriptio, *ibid.*

Diaconi.

Diaconatus ab initio & per annos 1200. & amplius verum fuit Beneficium, Ordo nempe, & potestas spiritualis, conjunctum habens jus ad possessionem & annonam temporalem, ideoque certæ Ecclesiæ semper alligabatur, quisquis Diaconus creabatur, T. I. c. 51. n. 1. & T. II. c. 33. n. 8. Etsi ab Apostolis solum collatus fuit, divinæ tamen est institutionis, quatenus non nisi ex Christi auctoritate & mandato, T. I. c. 51. n. 3. Minores omnes alios Ordines in se complectitur, *ibid.* Diaconorum instituendorum etsi occasio fuit Apostolis mensa communis, non ea tamen fuit sola ratio: primarium immo hujus institutionis consilium ad Sacrificium ipsum spectabat, & ad sacram mensam, quæ tum a civili, communive non divellebatur; etsi alterius illius rationis solum meminit alicubi S. Hieronymus, ut quorundam sui temporis Diaconorum supra Presbyteros se efferentium insolentiam retunderet, T. I. c. 51. num. 4. cap. 52. num. 6. & T. II. c. 29. num. 3. Probatur id multiplici ratione, T. I. c. 51. n. 4. c. 52. n. 7. Probatur deinde toto illo c. 51. & duobus sequentibus ex eo quod a SS. omnibus antiquis Patribus tum Græcis tum Latinis in unam cum Presbyteris, & Episcopis Hierarchiam Diaconi constanter. Hinc in Deum ipsum eorum institutio refertur ab Ignatio & Augustino, c. 51. n. 4. & cap. 53. n. 1. Hinc item eos ut sacrorum Mysteriorum administros suscipiunt, quique Veteres Ignatius, Justinus, Auctor Constitutionum Apostolicarum, Cyprianus, Concilium Neocæsariense, Augustinus, c. 51. n. 4. 5. 13. c. 52. n. 3. 10. c. 53. n. 1. Quorum, aliorumque plurium his supparium testimonio haud par est auctoritas Trullanæ multis post sæculis Synodi, quæ septem illos, quorum in Actis Apostolorum mentio fit, Diaconos opinata est non sacris altaribus, sed communi solum mensæ inservivisse, c. 52. n. 11. Sed & Hieronymus ipse illam eorum ad Sacrificium institutionem & sacræ ipsi Hierarchiæ aggregationem agnoscit, T. I. c. 52. n. 7. & T. II. c. 29. n. 2. 3. Efferebant vero se Romæ eorum aliqui supra Presbyteros tum ob paucitatem suam, septem enim solum erant in Ecclesia Romana ex illa Hierosolymitanæ primum Ecclesiæ forma, cum aliæ Ecclesiæ de illo numero non adeo satagerent, haberetque 38. Diaconos Ecclesia Edessena: etsi non plures quam septem Diaconos ubique instituendos Neocæsariense Concilium edixisset: tum ex eo quod ubique Diaconi summa pollerent gratia apud Episcopos, ad quos omnia per eos referrentur, & quorum essent aures, oculi, os, cor & anima, T. II. c. 29. n. 5. 6. 14. 15. Denique ex Hieronymo erat quidem Diaconus præ Presbytero Sacerdotio minor, at & lucris major, cap. 52. num. 7.

De Officio Diaconorum.

Diaconi officio ex Augustino, ut & Presbyteri & Episcopi, nihil vel acceptabilius, vel

vel damnabilius, vel periculosius, vel beatius, T. I. c. 53. n. 1. In sacris ipsis Mysteriis erat Episcopi administer. Hic paulo ante Eucharistiam poterat porrigere necessitate cogente, præsente Presbytero, ex ejus tamen jussu. Id restrictionis tamen adjecit postea Gelasius, si Presbyter æque ac Episcopus abesset, T. II. c. 29. n. 11. In Concilio Nicæno vetantur solum eam Presbyteris administrare, eorumque ante ipsos fieri participes, n. 14. Ausi sunt tamen multis in locis, & Sacrificium ipsum offerre, eaque audacia prohibendi fuere in Concilio I. Arelatensi & IV. Carthaginensi. Unde hæc illis audacia? n. 10. Primis sæculis regendæ iis Parochiæ aliquando creditæ sunt, T. II. c. 33. n. 8. Quid & sexto adhuc sæculo in Hispania Parochiæ agrestes Presbytero, & Diacono alternis hebdomadis regendæ committuntur, T. II. c. 76. num. 2. Erat Diacono apud Latinos prioribus illis sæculis administrandi Baptismi potestas, accepta prius tamen ab Episcopo licentia, T. II. c. 29. n. 4. 7. Restrictionis id adjecit postea Gelasius si cogeret nimirum necessitas, & Presbyter abesset, n. 11. In Oriente vero vetabant eum Baptizare Constitutiones Apostolicæ, n. 14. Cœperunt Diaconi prædicare sexto sæculo, & a Gallia quidem id cœptum, T. IV. cap. 89. num. 9. 10. Quid prædicatio a Concilio Ancyrano de Diaconis loquente memorat? T. II. c. 29. n. 14. Quæ iis data olim legitur potestas Pœnitentes in periculo positos absente Episcopo & Presbytero reconciliandi, intelligenda est de potestate Eucharistiam illis impertiendi, certe neutiquam absolvendi, etiamsi tum Confessionem eorum exciperent, tum iis manus imponerent, T. II. c. 12. n. 1. & fusius, cap. 29. n. 8. 9. c. 33. n. 7. Quam multi olim in Diaconatu consenescerent & obirent, T. II. c. 33. n. 9.

De Diaconorum consessu.

Vetat eos Nicæna Synodus in consessu Presbyterorum sedere, T. I. c. 29. n. 14. Romæ tempore Hieronymi sedebant in Ecclesia Presbyteri: stabant Diaconi, n. 5. Immo vetat eos Concilium IV. Carthaginense quolibet in loco sedere coram Presbytero, num. 11. Eos quoque antea in Oriente Concilium Laodicenum coram Presbytero sedere vetuerat, sed cum hac restrictione nisi ab eo invitatos, n. 14. Jam tamen multis in Ecclesiis ante Synodi Trullanæ tempora ex honorificis muniis suis arrogabant sibi etiam supra Presbyteros consessum; id quod ista vetuit, nisi, inquiens, absentis Episcopi sui a quo mitterentur, vices sustinerent, T. II. c. 104. n. 4. 5. Conciliis olim interesse datum iis est, immo præceptum: at ita ut starent pene sedilia Presbyterorum, qui & pene Episcopos ipsi sedebant: nisi iis essent Diaconi, qui Episcopi absentis sui vices sustinerent, T. III. c. 7. n. 5. c. 8. n. 9. 11. Sexto jam sæculo Conciliis subscribebant, T. II. c. 23. n. 19. Jam Chalcedonensi antea Concilio eorum nomine subscripserant Episcoporum, a quibus ad illud vice sua missi fuerant, c. 17. n. 13. Cum interesse Conciliis soliti fuissent Diaconi, ab iis circiter septimum tandem sæculum exclusi sunt, quanquam perrexere tamen ad ea ab Episcopis absentibus vice sui delegari etsi Emeritensi Concilio minus id probatum fuisset, c. 23. n. 19.

De Diaconis judicandis.

Diaconum a tribus Episcopis Synodus I. & II. Carthaginensis statuerunt judicandum, T. IV. c. 15. n. 9. 10. Id Concilium Triburiense confirmavit, c. 17. n. 9. Permittit Rotomagense ann. 1072. Concilium, ut Episcopi qui ad judicium istud convenire non poterunt, mittant sui Vicarios, c. 18. n. 9. Permisit postea Gregorius IX. ut Diaconi judicandi Episcopus loco istorum Episcoporum adhibeat Abbates, aliosve Prælatos, *ibid.*

Diaconus & Diaconatus olim in Cœnobiis non significabat semper Ordinationem sacram, nec semper ad eam pertinebat, sed aliquando nimirum ad Officium Oeconomi, & Dispensatoris, T. VIII. c. 3. n. 4. & T. IX. cap. 29. num. 23.

Diaconia.

Diaconia vocabatur Gregorio munus ejus, penes quem erat sublevandorum pauperum ac egenorum cura, T. VIII. c. 6. n. 6. §. *Cum.* Vocabatur etiam eidem & locus ipse ac domicilium, in quo hujusmodi caritas ab isto præstabatur, T. IX. c. 29. n. 19. 20. 22. 25. 26. Erat vox ista ævo Gregorii longe superior, T. IX. c. 29. n. 23.

Diaconissæ.

Diaconissæ vel Diaconæ dicebantur olim mulieres, quarum viri Diaconatu erant ornati, T. II. c. 62. n. 3. c. 63. n. 10. & T. III. c. 50. n. 14. 15.

Diaconissarum tamen nomine eæ præsertim intelligebantur, quæ in ministerio erant Ecclesiastico, ut Phœbe illa in Cenchris Corinthi suburbio, quam Paulus epist. ad Romanos meminit, T. III. c. 50. n. 8. Eligebantur istæ præcipue ut mulierem baptismo suam ministro commodarent operam, & ut imperitas docerent fœminas, n. 9. 10. Januas item Ecclesiæ custodiebant, n. 10. Quin & aliquem habuerunt initio gradum ad altare, c. 47. n. 10. Ex virginibus & viduis assumebantur,

De Episcopis.

Episcoporum officium, dignitas, institutio.

Non

7. Electionibus tamen se sæpe implicabat Imperatoris jussio, & præsertim in sedibus Patriarchalibus, quamquam nec sine Cleri populique suffragiis, c. 17. n. 2. & *seqq.*

Occidentem vero quod spectat: Canonem edidit in Hispania Synodus Barcinonensis ann. 599. Justinianæ illi Sanctioni prorsus similem, T. V. c. 10. n. 17. & cap. 15. n. 2. Toletanum vero IV. Concilium anno 633. habitum Cleri populique votis Comprovincialium Episcoporum assensionem & Metropolitani auctoritatem adjungit. c. 11. n. 5. At jam aliquanto ante Concilium XII. Toletanum ann. 681. habitum, Hispaniæ Reges electionem Episcoporum sibi sumpserant, c. 15. n. 2. §. *In*, & n. 3. In hoc autem XII. Toletano id cautionis adhibitum est, ut quem Rex Episcopum nominaret, non prius ab Episcopo Toletano consecraretur (ei enim potestas ibidem collata est omnium consecrandorum Episcoporum) quam ab eodem examinatus & dignus habitus fuisset, c. 15. n. 3. In Africa Episcopi electio tota erat penes Clerum ac populum, quibus tamen præerat Episcopus quispiam rei invigilans, T. V. c. 10. n. 19. In Italia se res similiter habebat, vocabaturque Episcopus ille Visitator, c. 10. n. 1. 6. 7. & c. 16. n. 1. §. *Concilium*. Si in vacantis Sedis civitate non reperiebantur idonei qui eligerentur, tum e Clero tres mittebantur Romam, qui ibi quem judicarent dignissimum, eligerent, c. 10. n. 2. & 4. Aut civitati illi ipse Romanus Pontifex eligebat ac mittebat, c. 11. n. 1. & 2. In Gallia vero a Clero & populo fiebat electio: at & ei intererant Episcopi Comprovinciales, eo cum discrimine, quod astarent omnes si de Metropolitæ ageretur electione: ii vero quos Metropolita jusserat adesse, si de Episcopi electione ageretur, T. V. c. 10. n. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Erant autem in iis partes Metropolitani potiores: adeo ut citra ejus electionem assensumve Concilia Gallicana vetarent fieri electionem Episcopi, c. 11. n. 3. & 8. Ejus erat præesse suffragiis, ac eum urbi præficere Episcopum, in quem plura consentirent suffragia, c. 11. n. 8. Quæ autem esset in ea ætate auctoritas Regum Galliæ istis in electionibus, v. hic paulo post tit. *De potestate Principum in Episcoporum electionibus*. In Illyrico & in Anglia res in Comprovincialium Episcoporum Synodo peragebatur: quamquam tamen & illic Imperatoris & hic Regis jussio quoque cœpit intervenire, T. V. c. 11. n. 1. 6. c. 16. n. 14. c. 17. n. 1. Quare non solus ipse Metropolitanus aderat? c. 11. n. 7.

Ab anno octingentesimo ad millesimum.

Sua sub Carolo Magno in Gallia constitit Clericis suffragiorum ferendorum facultas in Episcoporum electiones, T. V. c. 20. Sua item sub Ludovico Pio, c. 21. Sua sub Carolo Calvo, & reliquis Carolinæ familiæ successoribus, c. 22. & 23. Suæ quoque iisdem temporibus in Germania, Italia, & Anglia, c. 24. Sua & in Oriente, c. 26. Nec solus iis temporibus suffragia ferebat Clerus civitatis ipsius Episcopalis, aderant & Clerici & Parochorum ruris, c. 22. n. 3. Sua quoque erant Monasteriis civitatis suffragia *ibid.* & n. 4. Sua denique erant & Populo, c. 20. n. 2. 4. & c. 21. n. 3. & 8. Quam toto sub hoc Imperio Caroli Magni & Regiæ ejus prosapiæ in Episcopalibus electionibus dominaretur Episcoporum potestas, c. 27. tot. Quæ vero Regum ea tempestate partes, dicetur hic paulo post tit. *De Principum potestate.*

Ab anno millesimo.

Ab anno 1000. usque ad 1111. perrexere ita fieri in Gallia electiones Episcoporum, ut primarii ipsi electores essent Episcopi, saltem ipse Metropolitanus: Cleroque plus tribueretur quam populo, ac Regis consensus interveniret, T. V. c. 31. toto. Ita quoque ab anno 1111. usque ad ann. 1200. c. 32. toto. Facta adhuc aliquando in Concilio Provinciali legitur electio Episcoporum, & ipsorum præsertim Archiepiscoporum, n. 7. 9. & 12. &c. 31. n. 4. Sed & suæ etiam deprehenduntur fuisse Monachis partes in Episcopi electione: adeo ut sanxerit etiam Concilium II. Lateranense irritas fore, quæ iis prætermissis fierent Episcoporum electiones: quod tamen statutum diu non viguit, c. 32. n. 10. & 15. Jam incipiebat populus suis se seditiosissimis factionibus ab istis electionibus excludere, T. V. c. 32. num. 9. At populum prorsus & Comprovinciales Episcopos ab Episcoporum electione arcuit sæculo XIII. Innocentius III. aut potius usum istum jam invalescentem firmavit, & rem totam ad solum ipsum Cathedrale Capitulum revocavit, uti & paulo post Gregorius IX. etsi prisci usus aliqua adhuc superfuere vestigia, c. 33. n. 1. 2. 3. Quem ergo induxit firmavitque Innocentius III. usum, is in Gallia tum obtinuit, sed ea tamen lege, ut electus a Capitulo Episcopus a Metropolitano confirmaretur, n. 4. At Concordata tandem inita sunt inter Leonem X. Papam & Franciscum I. Regem, eaque in Concilio V. Lateranensi confirmata: quibus nominationes Episcopatuum Regi, electionum vero nominationumve confirmationes Pontifici Romano tribuuntur: aboleturque Pragmatica Sanctio, quæ Capitulis electiones olim sub Carolo VII. Rege, ut & Basileense Concilium,

cilium, asseruerat, restitueratve, T. V. c. 33. n. 7. & 8. V. tit. *Concordata*. Immo jam ante ipsa Concordata istamque per ea factam in Concilio illo Lateranensi abrogationem Pragmaticæ Sanctionis, electiones Episcopales toto fere Regno fuerant abrogatæ, n. 8.

In Anglia quomodo se habuerint Episcoporum electiones anno millesimo. Ut modo in iis viguerit, modo & sæpius quidem oppressa fuerit libertas, T. V. c. 34. toto. Ex tempore devictæ per Duces Normannos Angliæ, soli fere Episcopi cum Rege & Proceribus elegerunt Episcopos: non multum in iis potuit Clerus, multo minus populus, nec istius aliæ propemodum fuere partes, quam electionibus adplaudendi, c. 33. n. 5. §. *Ex hac*, & n. 8. Nec liberas videtur Clerus Anglicanus electiones habuisse nisi post sæculum duodecimum, quo & ipsi Episcopi suo electionum jure post memoratum Innocentii III. decretum exciderunt, n. 8. Quamquam & sæculo sequente ut Episcoporum nominationes in Anglia sibi reservabant Romani Pontifices: ita & eas vicissim sibi Reges vindicabant, c. 43. n. 11.

In Scotia qui se ab anno millesimo habuerunt Episcoporum electiones, T. V. c. 34. n. 9. Erant penes Clerum & populum: at non absolutam iis Reges relinquebant libertatem, *ibid.* In Hibernia sanctus Malachias Armachanus Episcopus electiones restituit in integrum, n. 10.

In Hispania similiter post annum millesimum suæ erant adhuc populo, Clero, Episcopis & Regibus partes in electionibus Episcoporum, T. V. c. 35. Immo Petrus Arragoniæ Rex iis se nullatenus voluit immiscere, satisque ei fuit, si electus in Episcopum se ipsi ipsiusque successoribus sisteret, suæ in Regem fidei specimen editurus, c. 15. n. 5. Jam tamen sæculo decimo quinto in omnibus Hispaniæ Regnis aut Reges Romanis Pontificibus, aut Romani Pontifices Regibus præsentabant; expunctisque propemodum electionibus, communi eorum consensione dabantur Episcopatus, n. 8. At tandem per Concordata Carolum V. inter & Adrianum VI. conventum est, ut penes Hispaniæ Reges esset nominatio ad Episcopatus & Abbatias, *ibid.*

In Italia qui factæ fuerint electiones Episcoporum ab anno millesimo, T. V. c. 36. In Episcopalibus Metropoleos Ecclesiæ Romanæ Sedibus debebat intervenire consensus Romani ipsius Pontificis, c. 36. n. 2. Interveniebat aliquando in electionibus auctoritas Imperatoris, cum Ecclesiarum postulabat necessitas, n. 3. Extra has aliasve causas viguerunt adhuc in Italia electiones ineunte sæculo decimo tertio, ita ut tamen arctatum esset jus suffragii ad solum Cathedralium Ecclesiarum Clerum, Abbates, Capellanos, & Episcopos Provinciæ, populis in partem earum nullam adscitis, n. 7. Joannes XXII. ann. 1322. primus omnium reservavit sibi collationem Episcopatuum omnium in Provinciis Aquilejæ, Mediolani, Ravennæ, Genuæ, Pisarum & Neapoleos ob dissensiones in electionibus oriri solitas, n. 8. In pacto quod Innocentius VIII. cum Ferdinando Rege Neapoli iniit ann. 1486. conventum est, ut illius Regni Episcopatus & Beneficia a Pontifice conferrentur. Atque ita quoque fit apud alios Italiæ Principes, n. 11.

In Sicilia ut se ab anno millesimo habuerint Episcoporum electiones, T. V. c. 37. Pepigit cum Willelmo Siciliæ Rege Adrianus IV. ann. 1159. ut electiones Episcoporum essent liberæ, eoque solo contentus Rex esset, ut flagitato ejus assensu postmodum confirmarentur, c. 37. n. 1. Hoc tamen electionum confirmandarum privilegio exuti sunt ejus successores, quod eo impotenter uterentur, n. 2. Sed & cum Siciliæ Regno donatus est Carolus Andium Comes ab Innocentio IV. ann. 1253. & a Clemente IV. ann. 1265. id conditionis appositum est, ut nec ipsius nec successorum ejus consensus requireretur, sive ante, sive post Episcoporum electionem, n. 3. Honorius IV. legitur omnium primus ann. 1285. sibi reservasse integram collationem omnium Siciliæ Episcopatuum, n. 4. Idem ann. 1343. Clemens VI. præstitit, cap. 36. num. 9. Colliguntur tamen restitutæ fuisse paucis post annis electiones, sed ea cum duplici conditione, tum ut nec ante nec post electionem requireretur consensus Principum, tum ut maneret Pontifici jus illibatum vacantes Ecclesias sibi reservandi, cum id sibi conducibile videretur, c. 37. n. 4.

Sardiniæ & Corsicæ Regno cum donavit Bonifacius VIII. Joannem Arragonium ann. 1297. consuluit quoque electionem libertati: cautumque est ut nec ante nec post electionem requireretur Regis assensus, T. V. cap. 37. num. 5.

In Germania qui se habuerint post annum millesimum electiones Episcoporum, T.V. c. 38. Tres Ottones Imperatores & Henricus I. qui iis successit, Episcopos ut plurimum nominarunt, cap. 38. n. 1. §. *Hæc*. Sed tum ipsi aut superiores Imperatores fundaverant plures ex istis Episcopatibus, tum sanctos ut plurimum præficiebant Episcopos, tum non semper electionem excludebant, *ibid.* At in Concilio

cilio I. Lateranensi sub Callisto II. & Henrico V. anu. 1122. conventum est, ut hinc Imperatoribus relinquerentur investituræ, feudorum tamen tantum Imperii, & quidem non jam per annulum & baculum Pastoralem, sed per sceptrum: inde vero ut ab iisdem Imperatoribus liberæ relinquerentur electiones, T. V. c. 38. num. 4. Quin & Otto IV. sub Innocentio III. ann. 1209. se etiam exuit jure quod Henrico V. relictum fuerat, seu electiones etiam concordes assensu suo firmandi, seu discordes dijudicandi ac dirimendi, n. 8. Denique Concordatum initum est ann. 1448. inter Nicolaum V. & Fridericum III. Imperatorem, quo sancitur liberas fore Episcopatuum & Abbatiarum electiones, ita ut tamen sex menses alternatim in iis habeat summus Pontifex, incipiendo a mense Januario, & is etiamnum est Germaniæ usus, T. V. cap. 38. num. 11. Habet adhuc Beneficia omnia tum in Curia, aut intra duas ab ea Diætas morientium, tum omnium qui vel Cardinales sunt, vel aliquod habent in Curia Romana officium, quocumque decedant loco, *ibid.* Denique & electiones ipsas a Capitulis factas debet confirmare, immo & eas potest rejicere, si digniorem substituat, num. 11. & 12.

In Svecia qui ab anno millesimo se habuerint electiones Episcoporum, T. V. c. 38. num. 13. Reges electionibus eorum cum Clero & populo se inserebant: eas autem ad solos Canonicos Innocentius IV. coarctavit, *ibid.*

In Norvegia ann. 1273. Rex jus omne in electiones Episcoporum & Abbatum abdicavit, Archiepiscopo Nidrosiensi jus pariter omne in Regum electionem abdicante sic enim conventum erat, T. V. c. 38. n. 13.

In Polonia a Capitulis eliguntur Episcopi, *ibid.*

In Oriente ut se habuere Episcoporum electiones ab anno 1000. ad hoc usque tempus, T. V. c. 41. toto.

Summa convenientiæ & discriminis inter Orientales & Occidentales Episcoporum electiones, c. 41. n. 12.

De potestate Principum in Episcoporum electiones.

Versatur istud argumentum, T. IV. cap. 6. 13. 14. 15. 16. 17. 20. usque ad c. 28. c. 31. usque ad c. 42.

Per priora V. Ecclesiæ sæcula.

Cum votorum Populi in Episcoporum electionibus haberetur ratio: cum major adhuc Optimatum: non poterat non haberi magna Principum, T. V. c. 6. n. 1. Nullam ea in re auctoritatem sibi vindicavit Constantinus, contra vero pluries Constantius, n. 11. Ad se ab Episcopis delatam Episcopi Mediolanensis electionem Valentinianus I. recusavit, ut cui se parem negaret, num. 7. 8. Suam exercuit Theodosius auctoritatem in Gregorii Nazianzeni & Nectarii electione, Arcadius in Chrysostomi, Theodosius II. in Nestorii, Theodoricus in Felicis IV. Papæ, n. 4. 12. 13. 18. Ita fieri fuit aliqua necessitas & Ecclesiæ utilitas, n. 3. 4. 5. 10. 12. 13. 18. Ut Nectarius tamen a Concilio, Clero & Populo, ac Chrysostomus a Clero item & populo dici poterunt electi, licet re ab Imperatoribus electi fuerint? n. 4. 12. Qui Nestorio Constantinopolitano & Dioscoro Alexandrino Episcopis depositis substituendi erant, hos ajunt Concilium Ephesinum & Chalcedonense Imperatorum nutu substituendos, n. 14. 15.

Ab anno 500. *ad* 800.

In Gallia damnavit Arverna ann. 535. Synodus electiones Episcoporum, quæ Principum favore fierent. Eas quidem Aurelianensis V. Synodus ann. 549. decrevit fieri cum voluntate Regis, at modo eæ fierent juxta electionem Cleri & Plebis, T. V. c. 13. n. 1. Si qui vero se per solam Regis voluntatem curarent ordinandos, prætermissa Cleri populique electione, ac Episcoporum Comprovincialium & Metropolitani voluntate hos negat Parisiense III. ann. 557. Concilium ab aliis Episcopis recipiendos, & eorum ordinationem Parisiense V. ann. 615. irritam decernit, num. 2. & 5. Quin & Concilii istius V. Parisiensis acta confirmavit Clotarius II. electiones assentiens juxta Canones fieri: illudque solum adjiciens, tum sibi sistendum qui a Metropolitano, Clero, & Populo eligeretur, ut si dignus esset per Regiam ordinationem suam ordinaretur; tum si quos ipse de Palatio eligeret ac nominaret, ii ab Episcopis deberent admitti, postquam ab illis discussum ac exploratum fuisset eorum meritum, T. V. c. 13. n. 6. Pœnis pecuniariis mulctat Rex Charibertus Provincialis apud Sanctonas Concilii Episcopos quod pulso, ab illius urbis Episcopatu Emerio, quem eo Regis istius Pater donaverat, alium nomine Heraclium substituissent, c. 13. n. 3. Multa per eam ætatem proferuntur exempla Episcoporum Regis electione, jussione & auctoritate in Galliis creatorum, cap. 13. n. 13. usque ad fin. cap. Alia itidem proferuntur exempla, c. 14. Excusantur ista vel molliuntur multiplici ratione, c. 14. n. 5. 7. 8. Immo isti principum electioni jussionive comitabantur plerumque Plebis, Cleri, & Episcoporum suffragia, T. V. c. 14. n. 6.

n. 6. & 7. Carolomannus Dux & Princeps Francorum, Pipinusque eorum item Dux & Princeps Episcopos urbibus præficiunt, sed consilio ac consensu aliorum Episcoporum, Cleri ac Optimatum, cap. 13. num. 9. 10. In Hispania cum Episcoporum electio antea penderet ex Episcopis, Clero, & Populi testimonio, eam sibi sumpsere Reges paulo ante Toletanum XII. ann. 681. Concilium. In isto autem id conditionis appositum est, ut quem Rex nominaret, non ante consecraretur, quam ab Episcopo Toletano examinaretur & dignus haberetur, T. V. c. 15. n. 1. 2. 3. 7. In Anglia jussio Regis cum Episcoporum suffragiis interveniebat, c. 11. n. 6. & c. 16. n. 14. In Africa Reges Vandalorum vel nullas patiebantur ab Orthodoxis fieri electiones Episcoporum, vel iis, quas fieri patiebantur, se non implicabant, c. 16. n. 12. & 13. Contra vero in Oriente & in Illyrico iis se implicabant Imperatores jussionibus suis haud tamen sublatis Cleri Populique suffragiis, T. V. cap. 11. num. 1. & cap. 17. tot. Quam modeste Gregorius de ista locutus sit Principum auctoritate, c. 16. n. 7. & 8. c. 17. n. 1. & 2.

Ab VIII. sæculo.

Zacharias Papa Pipino Regi permisit nominationes ad Episcopales sedes: at dispensatio id solum fuit, ob urgentem tunc temporis necessitatem, non vero gratia, quæ apud posteros ejus esset manatura, T. V. c. 20. n. 6. .7 Carolus Magnus in Capitularibus suis jussit Episcoporum electiones fieri a Clero & Populo, n. 4. Eum suo ante exemplo hortatus fuerat Adrianus Papa ne Episcoporum electionibus se immisceret, n. 1. Exploditur Sigeberti fabula de concessa ei ab Adriano in Concilio Romano potestate eligendi Romanum Pontificem, ac Episcopos & Archiepiscopos nominandi ac investiendi, T. V. c. 20. n. 5. 6. 9. c. 25. n. 2. Non tamen sine ejus sequentiumve Principum licentia fiebant Episcoporum electiones, seu non sine ejus istorumve Principum licentia Clerus Populusque ad has electiones faciendas confluebant, c. 20. n. 9. Ludovicus Pius, etsi Episcoporum electionibus se ipse implicabat, eas tamen esse liberas, seu ex Cleri Populique suffragiis fieri volebat. Ut ista non pugnant secum, c. 21. tot. Similiter sub Carolo Calvo & sequentibus Carolinæ familiæ Principibus, c. 22. & c. 23. Ut stabat electionis libertas cum interveniente illa Principum auctoritate, c. 22. n. 4. c. 23. n. 7. Optassent tamen utique Episcopi, ut non aliæ fuissent Regum in istis electionibus partes, quam assentiri electioni ab Episcopis jam factæ vel approbatæ, c. 34. n. 4. Si rex, ut aliquando fiebat, e Palatio suo mitteret, cui perciperet Episcopatum ipsum tribui, in ejus tamen mores ac doctrinam a Metropolitano sollicite inquirebatur, T. V. c. 22. n. 7. & 11. c. 23. n. 6. & 9. c. 29. n. 4. Si quisquam haud dignus a Rege obtrudebatur jubet Concilium III. Valentinum adiri Regem a Populo & Clero, ac si necesse sit a Metropolitano cum Provinciæ Episcopis, quo tantum ab Ecclesia dedecus arceat, T. I. c. 41. n. 4. Ad Regem suffragia electionis deferebantur, tumque electus consecrabatur, si Regis accedebat assensus, T. V. c. 22. n. 1. Se similiter in Germania Reges electionibus implicuere, sed servata tamen sua Clero populoque ferendorum suffragiorum facultate, T. V. c. 24. n. 1. & 2. Ita & in Italia, n. 3. 4. 5. Et in Anglia, n. 2. Et in Oriente per totum illud Carolinæ familiæ imperium, toto c. 26. Vetant quidem Canones septimæ & octavæ Synodi generalis electiones fieri a Principibus, easque mittunt in irritum: at eas nimirum, in quibus aut sola se exereret Principum auctoritas, aut certe præpolleret, c. 26. num. 1. 2. 3. 4.

Quomodo circa istud idem electionum negotium se gesserint ab anno 1000. in Oriente Imperatores Græci, ac in Gallia, Anglia, Hispania, Italia & Germania Principes earum. Vide hic paulo ante in ipso tit. *Episcoporum electio*, §. *Ab anno* 1000.

De confirmatione electionis Episcoporum, seu a Metropolitano, seu ab Exarcho, seu a Patriarcha, seu a Romano Pontifice.

Tractatur istud argumentum, T. V. c. 7. 8. 18. 19. 29. 30. 42. 43.

Probatur electionem Episcoporum per prima V. sæcula confirmandam fuisse a Metropolitano, c. 7. tot. Præcipua erat tum ejus auctoritas in eorum electione: nec citra ejus vel præsentiam vel assensum fieri poterat, c. 4. n. 6. 7. 10. 11. & c. 5. n. 2. & 3. Probatur eandem fuisse a Metropolitano sæculis sexto, septimo, & octavo confirmandam, T. V. c. 18. tot. Si Metropolita electioni Episcopi non interfuerat, debebat eam litteris suis confirmare, nec citra ejus assensum poterat ordinari, eodem c. 18. n. 2. Excepti sunt tamen septimo sæculo ab hac lege Hispani Episcopi. Etsi enim Concilium IV. Toletanum anno 633. habitum Metropolitani auctoritatem & assensionem in Episcoporum electione adhuc requisierat: quia jam tamen Episcoporum electionem sibi sumpserant Reges Hispaniæ aliquanto ante Concilium XII. Toletanum ann. 681.

681. habitum; statutum est in isto eodem Concilio XII. ut quem Rex Episcopum nominaret, is ab Episcopo Toletano, si dignus ei videretur, posset ordinari, ea solum cautione, ut tertio post ordinationem suam mense coram suo se sisteret Metropolitano, T. V. c. 15. n. 2. & 3. & c. 18. n. 7. Probatur & sub Imperio Caroli Magni ac Regiæ ejus familiæ confirmandam fuisse a Metropolitano electionem Episcoporum, c. 29. tot. Immo & eos rigido pulsabat examine. Forma istius examinis, eod. c. 29. n. 1. Idem in Oriente factitabatur a Metropolita, n. 7. Etiam post ann. millesimum hodierno Decretalium jure vindicatur Metropolitanis jus antiquum vocandi electum Episcopum ad examen, & vel hominem confirmandi, vel electionem ejus rejiciendi, T. V. c. 42. n. 1. Si forte vacabat tum sedes Metropolitana, Capituli ejus erat examinare & confirmare electum Episcopum, n. 13. Vetabatur electus Episcopus in ullam se partem administrationis seu in spiritualibus, seu in temporalibus, antequam confirmatus esset, inserere, quocumque nomine vel colore quæsito, seu œconomatus, seu alio: secus si faciat, electionem ejus Concilium II. Lugdunense reddit irritam, c. 42. n. 4. Unius solum mensis spatium ei ab eodem Concilio assignatur, suæ ut electioni consentiat, eamque alioqui nullam esse sancit, n. 5. Ubi autem suum præbuit assensum, tres intra menses suam postulet confirmationem necesse est, *ibid.* Confirmatus vero, etsi nondum consecratus, tum potest inter Episcopos sedere, tum potest Episcopales omnes obire functiones, non quidem quæ ad Ordinem spectant Episcopalem, sed quæ ad jurisdictionem, c. 42. n. 6. & 7. Addit Bonifacius VIII. modo Pontificiis jam Bullis sit instructus. Alioquin eum se administrationi Ecclesiæ suæ quantulumcumque inferentem spoliat parto sibi per electionem jure, n. 10. Post Concordata, quibus Episcoporum & Abbatum nominatio in Reges, & promotio ac confirmatio in Romanos Pontifices confertur, jure jam electionis Episcoporum confirmandæ videntur excidisse Metropolitani, n. 11. Scilicet Bullæ Pontificiæ id jam sunt, seu Episcopis, seu Metropolitanis, quod sua iis erat olim electio & confirmatio, T. V. c. 43. n. 1.

Nec a suis solum Metropolitanis Episcopi, sed & a suis seu Primatibus, seu Exarchis, seu Patriarchis confirmabantur: scilicet ab Alexandriæ Episcopi ii, qui erant Patriarchatus Alexandrini, ab Antiochiæ, qui erant Antiocheni; ab Ephesi Episcopo, qui erant Exarchatus Asiæ; ab Cæsareæ, qui Pontici erant Exarchatus; ab Heracleæ, qui Tracici, item ab Episcopo Thessalonicensi, Episcopi omnes ipsius Exarchatus, Apostolicive Vicariatus, T. V. c. 8. num. 2. 3.4.5. 6. Qui vero a Romano Pontifice, jam jam infra.

Metropolitæ similiter ab eo cui suberant, Primate vel Exarcho, debebant confirmari. Ita res se habebat ad sextum usque sæculum, T. V. c. 8. num. 2. 3. 4. 5. 6. Ita quoque ab ann. 500. ad 800. se habebat, c. 19. num. 3. Metropolitanos plures Romani Patriarchatus, quibus nulli præerant Primates, vel Exarchi, Romanus Pontifex confirmabat, c. 19. num. 4. 5. 6. 7. 8. Non tamen seu in Gallia & in Anglia, seu in Hispania, seu in Africa, n. 9. 10. 13. 14. Nec a Vicariis quoque Apostolicis confirmabantur Metropolitani Galliæ n. 12. Sed a Concilio Provinciali, n. 9.

Episcopos vero nullos nisi Patriarchatus sui confirmabat Romanus Pontifex, quin nec sui Patriarchatus universos confirmabat, sed eos solum, qui in Provinciis erant suburbicariis, T. V. c. 8. n. 2. 3. 5. 11. Etsi autem ita se res haberet ordinario ut electi extra Italiam Episcopi non confirmarentur a Romano Pontifice, secus tamen fieri, sæpe necessum fuit, seu canonicæ cujusdam devotionis jure, seu quod Apostolica opus esset dispensatione, seu obicis cujuspiam non aliter removendi interventu, c. 30. toto. Hinc vero sensim is ille inolevit usus, qui nunc est, ut pene in omnium ubique Episcoporum ordinatione examen & confirmatio Romani Pontificis expectanda sint, c. 30. n. 1. Pristinum quidem morem Episcoporum a Metropolitano & Metropolitanorum a Concilio Provinciali confirmandorum restituit Synodus Basileensis. At ista ejus decreta nec diu nec multis in locis obtinuere, T. V. c. 43. num. 12. Ut hodierno illo usui, quo jam a solo Papa omnes pene orbis Christiani Episcopatus dispensantur, & unus ferme obtinet prisca ipse omnia Metropolitarum jura, potest patrocinium ex antiquitate arcessiri, T. V. c. 8. n. 7. Ut hunc usum non sibi sumpsere Pontifices Romani, sed eo sensim pervenere, ipsa rerum adducti necessitate, cap. 30. n. 4. 6. 8. 9. c. 31. n. 4. 9. c. 32. n. 13. c. 34. n. 8.

De Episcoporum consecratione ordinationeve.

Prioribus Ecclesiæ sæculis universos Provinciarum suburbicariarum Episcopos ordinabat Romanus Pontifex: universos item Ægypti, Thebaidos, Lybiæ & Pentapoleos Episcopus Alexandrinus; sibi in Patriarchatu suo propiores Episcopus Antiochenus, remotiores suis confirmare litteris contentus, T. V. c. 8. n. 2. 3. Non a suis etiam Metropolitis ordinabantur

trium Asiæ, Ponti & Thraciæ Episcopi, sed ab ipsis tribus earundem trium Diœceseon Exarchis, Ephesino, Cæsariensi & Heracleensi, n. 4. At in Concilio Chalcedonensi, in quo ex tribus illis Exarchatibus conflatus est Patriarchatus Constantinopolitanus, eorum Metropolitani omnes ab ipso jam Constantinopolitano Episcopo ordinari jussi sunt cum omnibus Barbaricarum circumpositarum Regionum Episcopis: ipsi vero eorumdem trium Exarchatuum Episcopi ab ipsis jam Metropolitis suis permissi sunt ordinari, n. 4. Sexto adhuc sæculo Gregorius jubet ad se Romam ordinandum mitti Episcopum Ariminensem Ravennatensi Metropolitæ obnoxium, postquam ab isto confirmatus fuerit: ex illa scilicet veteri lege, qua Provinciarum omnium suburbicariarum Episcopi a Romano Pontifice ordinabantur, T. V. c. 18. n. 10. Metropolitanos, Ravennatensem, Mediolanensem & Aquilejensem ex eadem lege olim ordinabat Romanus Pontifex. At Mediolanensi & Aquilejensi postea indulsit, ut se mutuo possent consecrare: sed Metropolitani Ravennatensis consecrationem sibi diutius retinuit, T. V. c. 19. n. 6. 7. 8.

Carthaginensis Episcopus poterat omnes Africæ Episcopos ordinare, T. I. c. 20. n. 8. In Illyrico Occidentali Episcopi a suis ordinabantur Metropolitis, c. 8. num. 5. Denique extra jam memoratas exceptiones is erat Ecclesiæ usus, ut non nisi a Metropolitanis suis, vel cum eorum consensu, aut delegatione ordinarentur Episcopi, c. 4. n. 6. 7. 10. 11. c. 5. n. 2. c. 8. n. 12. Statuit Emeritensis in Hispania Synodus, ut a quolibet Metropolitano, modo cum Metropolitani sui consensu possent ordinari, c. 15. n. 2. §. *In*. At Synodus tandem XII. Toletana ann. 681. facultatem Episcopo Toletano tribuit omnes deinceps Hispaniæ Episcopos ordinandi, ea solum cautione, ut suum illi Metropolitam tertio post ordinationem suam mense, adirent, c. 15. n. 3. Turonense an. 1583. Concilium omnino jubet Episcopum a suo Metropolitano & duobus aliis ejusdem Provinciæ Episcopis in sua vel alia ejusdem Provinciæ Ecclesia ordinari, T. V. c. 42. n. 11.

Dum optavere seu Pontifices seu Concilia, ut vel omnes vel plurimi Provinciæ Episcopi interessent ordinationi Episcoporum: id ad ipsam eorum electionem magis quam consecrationem pertinebat, T. V. c. 4. n. 6. 9. 11. c. 5. n. 2. c. 8. n. 12. c. 11. n. 7. Tres vulgo Episcopos in unius ordinatione requirebant Canones, c. 4. n. 9. Hinc una e causis rescindendæ a Concilio Regiensi ordinationis Armentarii Ebrodunensis Episcopi, ea fuit, quod absque trium Episcoporum præsentia fuisset ordinatus, n. 10. In Metropolitani consecratione omnium Comprovincialium Episcoporum præsentiam Concilium II. Aurelianense tanquam ex institutione antiqua requirit, c. 19. n. 9. Addit Concilium III. Aurelianense, ut a Metropolitano quopiam fieret isthæc Metropolitani consecratio, *ibid.* Duobus tamen Episcopis in cujuslibet Episcopi ordinatione contenti sunt Canones Apostolici, c. 4. n. 9. Immo unus re sufficit ut valide celebretur: sique plures requirantur, id magis est ad pompam ac solemnitatem, quam ad rei necessitatem: unusque solum ex iis consecrator est, assistentes alii, T. V. c. 4. n. 9. c. 8. n. 12. c. 11. n. 7. 8. c. 12. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. c. 61. n. 7. §. *Eo* Fiebat autem Episcopi consecratio plerumque statim post ejus electionem, & ab ipsis electoribus, nisi ubi alicujus erat consensus expectandus. Vetabatur certe differri consecratio ultra tres menses sine gravi necessitate, T. V. c. 8. n. 12. Ni post tres a susceptis provisionibus menses ordinetur, jubetur a Rotomagensi ann. 1581. Concilio, & a Tridentino, fructus perceptos restituere, T. V. c. 42. n. 11. & 12. Quod si & tribus adhuc aliis mensibus suam differt ordinationem, illum sancit Tridentina Synodus Episcopatu excidisse, n. 12. Dies consecrandorum Episcoporum fuit semper dies Dominicus & quolibet quidem anni tempore, T. V. c. 12. n. 10. 11. 12. Dies autem ille dominicus intelligebatur tum vespertinum ipsum Sabbati tempus, tum ipsum diei Dominicæ matutinum, protracto eo usque ipso Sabbati jejunio: adeo ut alterutro illo tempore fas esset Episcopum consecrari, *ibid.* Quo die consecrabatur, summas populo largitiones faciebat, quas tandem ad certam summam revocare necesse habuit sexto sæculo Athalaricus, quanquam nec ista fuit modica, T. VII. c. 55. n. 6. Recolebatur autem dies ille quotannis ab Episcopis: quam pie ab Augustino, T. V. c. 8. n. 13. Locum consecrationis quod attinet, debebat in Galliis Epicopus in ipsa illa civitate consecrari, cui præficiebatur, c. 18. n. 1. In Hispania fiebat olim in ipsa Metropolitana civitate, nec in civitate alia nisi ex Metropolitani consensu, num. 6. 7. Sed in Concilio IV. Toletano statutum est, ut in Metropolitana quidem civitate sua ordinaretur Metropolitanus, Episcopi vero ipsi ubi eligeret eorum Metropolitanus, c. 12. num. 10. At ordinarius tandem Episcoporum in Hispania consecrandorum locus evasit Toletum, cum in Toletano XII. Concilio potestas data fuit Toletano ipsi Epi-

scopo

Simi-

Similiter & Canones Toletani ac Braccarenses, c. 49. n. 1. Ita etiam olim factitabatur a Graecis, nisi quod alicubi certae Sedis Episcopus primum in Provincia sua post Metropolitam suum obtinebat locum, ideoque Protothronus appellabatur: & similiter alicubi apud eosdem, certae Sedis Metropolita primum in Exarchatu, vel Patriarchatu locum post Exarchum, Patriarchamve obtinebat, Protothronusque dicebatur, c. 44. n. 6. 9. c. 49. num. 7. Sed & vacantem sui vel Metropolitae, vel Exarchi, vel Patriarchae sedem regebat iste Protothronus, c. 44. n. 6. Leo tamen Sapiens Imperator hunc sedendi ordinem ab ordinationis tempore petitum mutavit, & suum cuique Sedi & Ecclesiae locum ac ordinem assignavit, T. I. c. 4. n. 7. Fortasse quod ob numerum Episcoporum Constantinopolim confluentium res nimis operosa fuisset internoscere, qui quos ordinatione antecederent, num. 9. Patriarchalibus sedibus suus semper fuit ordo, nec ab ordinationis tempore regebatur. Similiter & Metropolitani, etsi ordinatione juniores, Episcopis tamen omnibus semper antecessere, *ibid.* Alexis Patriarcha Constantinopolitanus ut omnem inter Episcopos de honore contentionem tanquam iis indignam praefocaret, edixit ut secundum ordinem Metropolitarum suorum in Synodis, in conviviis & ubique sederent Episcopi, c. 44. num. 7. Apud Latinos, etsi, uti inter Episcopos, ita & inter Metropolitas sedendi ordo ex ordinationis tempore petebatur, illud tamen erat satis commune, ut plus honoris Metropolitae loco & sedi dependeretur, quam personae ordinationisve tempori, *ibid.* n. 10. Quin & inter ipsos ejusdem Provinciae Episcopos similiter antiquis illis Canonibus apud Latinos, etiam post Gregorii tempora, non paucis in locis vel consuetudine vel privilegio derogatum est, primusque post Metropolitam locus non ex ipso ordinationis aevo repetebatur, sed certae cuipiam sedi erat alligatus. Plura hujus rei exempla in Anglia & Gallia, T. I. c. 49. toto.

De honore antiquitus Episcopis a Regibus, Principibus, Imperatoribus, &c. habito, T. VI. c. 50. n. 7. c. 58. num. 2. 3. 8. 10. 11. 12. c. 59. n. 13. 14. c. 60. toto, c. 61. c. 64. toto. Etiam habenas equi, quem conscendebat Thomas Cantuariensis, manu tenebat Henricus II. *ibid.* n. 4. Sedebant olim Episcopi supra omnes Regii etiam sanguinis Principes, exceptis solum Rege ipso, Regina, ac filiis filiabusque Regis, T. VI. c. 64. n. 6. Coepere tandem supra omnem Clerum in Regni Comitiis quatuor patrui Caroli VI. Regis sedere: hancque sedendi eminentiam affectavere deinceps ac retinuere omnes Principes Regiae prosapiae, c. 54. n. 12. Sed & in Regum nuptiis, aut solemnioribus eorum epulis, Archiepiscopus vel Episcopus, qui nuptias ipse contraxerat, aut Missam celebraverat, primus assidebat mensae, etiam supra Regem, c. 64. n. 7. Mutatum id cum Franciscus I. Carolum V. Imperatorem convivio excepit, *ibid.* Osculo excipiebantur Episcopi ab Angliae Regibus, T. VI. c. 64. n. 4. 5. Fideles iis olim & diu pedes osculati sunt, c. 65. n. 1. & 13. Unde id oriri potuit, n. 12. Canutus Rex Daniae, ut majori apud Danos suos honori essent Episcopi, iis omnibus primum inter Proceres locum perinde ac Ducibus assignavit, T. VII. c. 30. n. 9. Non sine muneribus sub Imperio stirpis Caroli Magni a Parochis suis eos tempore congruo visitantibus adibantur, T. VIII. c. 32. n. 11. Episcopo extra Dioecesim suam hospitanti offerebatur locus sacrificandi, & honor concionis ad populos habendae, T. IV. c. 19. n. 9. Eum tamen in aliena Ecclesia vetat Concilium Sardicense ultra tres hebdomadas demorari, *ibid.*

De hac Episcoporum inscriptione, *Apostolicae Sedis gratia*.

Primus qui se *Dei & Apostolicae Sedis gratia* Episcopum inscripserit, occurrit Archiepiscopus Nicosiensis Latinus in Cypro insula in Constitutionibus a se editis ann. 1251. quod & alius fecit ejusdem Sedis Episcopus Latinus in Concilio cui praeerat, T. I. c. 60. n. 9. Tum Archiepiscopi Ravennates ab anno 1310. 1314. 1317. in Epistolis & Conciliis suis: tum postea Narbonensis Archiepiscopus; atque inde alii tum Archiepiscopi, tum Episcopi, num. 10. Adeo ut cum illa usi formula primi legantur Archiepiscopi, ea forte fuerit ejus ratio, quod cum Episcoporum potestas sit immediate a Deo, Archiepiscoporum auctoritas non sit, nisi imitatio quaepiam vel participatio privilegii, quo Petrum supra Apostolos & Episcopos Christus evexit: Episcopi vero forte haud ignari ea ratione motos fuisse Archiepiscopos, dum illa usi sunt formula, eadem ipsi suam in Apostolicam sedem reverentiam significare forsitan voluere, T. I. c. 60. n. 10. In cujus fine vide aliam, quae potuit esse, consuetudinis istius causam. Longe vero crebrior coepit esse illa consuetudo, ex quo ad Regum praesentationem a Romano Pontifice Episcopi praeficiuntur Ecclesiis: ex quo item Romani Pontifices complurium Episcopatuum collationem per varias reservationes sibi vindicaverunt, *ibid.*

De Episcopis Sedis Apostolicae Delegatis, vid. tit. *Delegatio*.

De Epiſcoporum poteſtate, juriſdictione, judicio.

Epiſcoporum poteſtas ſumma in adminiſtratione bonorum temporalium Eccleſiæ, T. VIII. c. 1. ad c. 12. Eorumdem poteſtas temporalis in civili urbium & Provinciarum adminiſtratione per prima quinque Eccleſiæ ſæcula, T. VII. c. 26. toto. Inde uſque ad tempus Caroli Magni, c. 27. toto. Item ſub Imperio Caroli Magni, c. 28. Denique ab anno milleſimo, c. 30. & 31. Quanta eſſet olim Hiſpanorum Epiſcoporum auctoritas in Judices, T. VI. c. 89. n. 1. 2. 3. Eos volebat Juſtinianus eſſe excubitores & cenſores Judicum, c. 97. n. 1. Ita & Clotarius primus, n. 9. Quid poſſent in Diœceſeos ſuæ viſitatione exigere ſub Imperio Caroli Magni & Regiæ ejus proſapiæ, T. VIII. c. 32. Quid poſt annum milleſimum, c. 33. Quid etiam extra viſitationem, c. 32. num. 10. & c. 34. Non poterat eum Epiſcopus communione privare, qui quod crimen ipſi confeſſus fuiſſet, poſtea publice denegaret, T. IV. cap. 15. n. 16. Etſi Epiſcopi non poſſunt in Collegarum Diœceſibus contentioſam exercere juriſdictionem, poſſunt tamen voluntariam occulte, ſive indulgendis gratiis, ſive pœnis decernendis, dummodo erga ſubjectas ſibi perſonas. Quin & contentioſam poſſunt, petito Collegæ conſenſu etſi non impetrato, dum eam in Diœceſi ſua exercere vi aliqua prohibentur, T. I. c. 47. n. 9. Quæ ſeu olim ſeu modo poteſtas Epiſcopo in conferendis Beneficiis, vid. in tit. *Beneficium*, §. *Beneficiorum collatio*. Poterat Clericos Beneficiarioſve ſuos alio transferre, aut aliis etiam Epiſcopis concedere, ſed non invitos, T. IV. c. 19. n. 3.

De Epiſcoporum juriſdictione prolixe infra tit. *Juriſdictio*.

Epiſcopi in Clericos ſuos judicium non ex ejus pendebat arbitratu, nec eos pro libito poterat deponere, aut revocare, ſed certis ea in re conſtringebatur æquitatis legibus & formulis, T. IV. c. 15. toto, c. 16. toto, c. 17. toto, & c. 18. Epiſcopos vetat Eccleſia judicare per ſeſe in ſubditorum ſuorum cauſis criminalibus. Eos jubet Emeritana Synodus cauſam iſtorum Judicibus ſæcularibus dimittere judicandam; ita ut tamen de ſeveritate pœnæ iis ab illis irrogatæ poſtmodum remittant, T. IV. cap. 69. n. 1. Quanta debet eſſe eorum humanitas in ſubditos licet reos, vel in ſuos inimicos, n. 1. 2. 3. 4. Exempla iſtius humanitatis, n. 5. 6. Alia S. Dunſtani Cantuarienſis Epiſcopi & Joannis VIII. Papæ, quæ ſuperioribus contraria videri poſſint, T. IV. c. 71. n. 2. 3. 5. 7. 8. Poſſunt tamen aliquando Epiſcopi ob criminum atrocitatem jubere, ut leges robur obtineant, c. 71. num. 6. Et jam ubi juriſdictionem habent temporalem, ſi commiſſum eſt homicidium aut crimen aliquod aliud, poſſunt Judicibus ſuis injungere, ut ea ſuper re veritatem inquirant, & juſtitiæ debitum exequantur; cum id olim ipſis non licuiſſet, T. IV. c. 76. n. 1. 4. Quas criminum emendas arrogare ſibi poſſint Epiſcopi, T. VII. c. 74. n. 14. & T. VIII. c. 34. n. 10. In Anglicano ann. 1261. Concilio jubentur habere carceres, in quibus per totam vitam eos concludant Clericos, qui crimina perpetrant, quæ in laicis morte plectuntur, n. 8. §. *Cum eo*.

Ubi de cauſa Epiſcopi agebatur, debebat a 12. Epiſcopis ex Africanis Conciliis judicari, T. IV. c. 15. n. 9. Alibi a 12. Epiſcopis præter ipſum adhuc Metropolitanum, qui cauſæ debebat præeſſe, cap. 17. n. 1. 9. Cum deponebatur Epiſcopus criminis cauſa, non jam ei Presbyteratus functiones permittebantur, T. III. c. 7. n. 11. Fuit tamen & ea in re aliquando diſpenſatum, T. II. c. 83. num. 3. A nono ſæculo primum de Epiſcoporum criminalibus cauſis judicium ſummo Pontifici ſervatur: qua in re ſua tamen eſt Eccleſiæ Gallicanæ libertas, T. I. c. 48. n. 11.

Succeſſorem ſibi an poſſit Epiſcopus deligere.

Referuntur exempla eorum qui ſibi ſucceſſorem delegerint per prima V. ſæcula & deinceps, T. V. c. 55. n. 1. 2. 3. 5. c. 56. n. 1. 3. 5. 6. 14. 15. c. 57. n. 4. 5. cap. 59. n. 3. Hæc tamen ſucceſſoris deſignatio non impediebat, quominus libere fieret ejus electio, poſt mortem ejus, a quo fuerat deſignatus delectuſve, T. V. c. 55. n. 3. 5. 4. 56. n. 5. 6. Vetabat quidem Canon Antiochenus ab Epiſcopo morituro ſucceſſorem ſibi deligi: ſed ſi nimirum res ita fieret, ut ſucceſſor iſte ante illius Epiſcopi mortem conſtitueretur, id eſt ordinaretur, c. 55. n. 6. Altera ejuſdem Canonis explicatio, c. 56. n. 5. §. *Quibus*. Ejus ſcopus, n. 7. Quamquam nec defuere Epiſcopi, qui quem ſibi deligebant ſucceſſorem, ſe vivis fecerint ordinari, aut jam alibi ordinatum apud ſe retinuerint, c. 55. n. 10. 12. c. 56. n. 1. 3. c. 57. n. 3. §. *Pervicit*, & num. 6. ac c. 59. n. 6. Qui excuſari poteſt iſtud eorum factum, T. V. cap. 56. num. 4. 7. 9. 15. Fuit etiam aliquando & in certis rerum commiſſuris neceſſe ita fieri, c. 57. n. 6. c. 58. n. 6. 7. c. 59. n. 3. Ut Epiſcopis adhuc viventibus ii annuerentur, quos deligebant ſucceſſores, & interim Coadjutores, nondum ſolitum erat recurri ad Romanos Pontifices ante annum octingenteſimum, ſed ad Concilia Provincialia, ad Metro-

tropolitanos, & ad ipsos quandoque Principes, T. V. cap. 57. n. 4. 5. 6. 9. 11. Quare ad Principes, n. 8. Aliquando tamen etiam ad Romanos Pontifices, n. 2. 7. Necdum item ad illos ea in re solitum erat recurri sub Imperio Caroli Magni & Regiæ ejus protapiæ, sed ad Imperatores, aut Reges ipsos & ad Concilia, T. V. cap. 58. n. 6. 7. 8. & 9. Hæ successorum designationes ab Ecclesia prohibitæ, ne carni & Sanguini servirent Episcopi, & Ecclesias suas nepotibus vel consanguineis instar hæreditatis transmitterent, c. 55. n. 4. illud aliquando peccavit S. Udalricus Augustanus Episcopus, T. V. c. 58. n. 8. 9. Facta e contra sibi potestate successorem suum deligendi non vult uti Forojuliensis Patriarcha, satis se habere dicens suorum Deo peccatorum rationem reddere, n. 5. Nonnulli Pontifices Romani suum sibi successorem designant, c. 59. num. 3. 5. Cœpere frequentius ab anno millesimo Romani Pontifices ad has designationes conveniri, T. V. c. 59. n. 1. 4. Cœpereque istæ ante calcem duodecimi sæculi haberi irritæ, nisi Pontificia accessisset auctoritas, n. 5. 6.

De Episcopatuum resignationibus tum simplicibus tum in favorem, vide tit. *Resignationes*.

De Episcoporum translationibus, vid. tit. *Translationes*.

Equites.

Equitibus Templariis horæ Canonicæ primitus impositæ sunt. At iis mox substitutus est certus ac definitus numerus Orationum Dominicarum, cum abessent, vel negotiis bellicis implicarentur, T. II. c. 58. n. 7. Iisdem sæculo duodecimo per indulgentiam conceditur, ut a Pascha ad festum Sanctorum omnium, lineis utantur indusiolis, cur nonnisi laneis per reliquum tempus uti debeant, c. 50. n. 2.

Equitum conjugatorum, quanquam tamen Religiosorum Ordines plures in Hispania, Italia & Gallia, T. II. c. 65. n. 7. & T. IV. c. 76. n. 5. Tergemina summa Præfectura trium Ordinum militarium, seu Equitum sancti Jacobi, Alcantaræ & Calatravæ, commendata tandem fuit in perpetuum ab Adriano VI. Regibus Hispaniæ, in nepotes jure hæreditario transfundenda, T. VI. c. 21. n. 11.

Equites Hierosolymitani perrexerunt parentum successiones excipere, etiam cum Regulares omnes illo jure exclusi sunt tempore Caroli VII. Non diu tamen ultra perrexerunt: idque solum ipsis datum est, ut honorem possent usum fructum habere, non hæreditates ipsas adire: sed & illo quoque usus fructus jure postea anno 1582. excussi sunt, T. VII. c. 25. num. 9. §. *In*. Nec reliquum illis factum est nisi jus exigendi a proximis, unde redimantur a captivitate infidelium cum opus erit, num. 10.

Evangelium.

Evangelium Apostoli virique Apostolici primum in præcipuas ipsas Orbis civitates, ac cujusque Provinciæ Metropolim inferebant, inde in minora Orbis & Provinciæ loca veluti ultro disseminandum, T. I. cap. 1. n. 8. c. 3. n. 2. 3. Evangelio liberius & facilius per totum orbem fundendo Deus Romanum ipsum præparaverat Imperium, ejusque fines quaquaversus produxerat, T. I. c. 15. n. 4. & 5. Evangelii satores in Gentibus exteris multi summatim referuntur, qui id muneris vel adierunt ultro, vel a summis Pontificibus subierunt, T. I. c. 20. num 1. c. 42. num. 5. 6. c. 55. n. 3. 6. 7. 8. 9. 15. c. 56. n. 7. 8. c. 59. n. 3. 4. 5. & T. II. c. 25. n. 11.

Evangelium in Africa Lector legebat. Ex Sozomeno Alexandriæ solus Archidiaconus, alibi Diaconus, in multis Ecclesiis soli Sacerdotes, alicubi diebus solemnibus Episcopi, T. II. c. 29. num. 16.

Eucharistia.

Erat plane jam tum sæculo sexto panis Eucharistiæ conficiendæ destinatus, a pane vulgari distinctus, mundus figura rotundus, T. VII. c. 13. n. 1. 3. 6. 12. c. 14. n. 2. Eum jubet Theodulphus Aurelianensis Episcopus a presbyteris ipsis, aut coram ipsis a minoribus Clericis fieri, c. 14. num. 2. Fiebat a Ministris sacris in Secretario adhuc post annum Christi millesimum. Exiguus erat ac tenuis, is quo populus communicabatur: denari quantitatem in Occidente non excedebat, T. VII. c. 15. num. 4. Jubet Matisconense II. ann. 585. Concilium sub anathematis interminatione omnes, seu mares, seu fœminas panem & vinum singulis diebus Dominicis offerre, T. VII. c. 13. n. 5. Sic & Capitularia, c. 14. num. 6. Non semper autem communicabat, qui panem illum offerebat, c. 13. n. 8. c. 14. n. 6. Ante Eucharistiam apud Græcos tridui ab uxoribus continentiam indixit Lucas Constantinopolitanus Patriarcha, ex Balsamone, T. III. c. 83. n. 10. Aliquot similiter dierum continentiam Latinis imponunt Capitularia Caroli Magni & Theodulphi Aurelianensis, n. 11. Eucharistiam secum in navi ex venia Pontificis habebat S. Ludovicus, cum ad bellum sacrum proficisceretur, T. II. c. 87. num. 2. Unde fluxerit ritus Eucharistiæ Romanis Pontificibus ex urbe proficiscentibus prægestandæ, T. VI. c. 66. n. 7. Refert Balsamon Latinos laicos suis temporibus solitos

in sinu Eucharistiam gestare, & mutuo sibi tradere, T. II. c. 83. n. 9. Eucharistiam infantibus adhuc tempore Caroli Magni præstabatur, nec illis forte ablata est nisi sub Paschali II. sæculo exeunte undecimo, c. 8. Apud Græcos dabatur adhuc in manus Laicis tempore Trullanæ Synodi, n. 9. Illis tamen jam in quibusdam eorum Ecclesiis dabatur in ore tempore Balsamonis, seu exeunte sæculo duodecimo: at Clericis ut & olim, *ibid.* Apud Latinos autem nono primum sæculo vetita videtur Euchasistia laicis poni in manibus: jubeturque iis poni in ore his verbis, Corpus & Sanguis Domini prosit tibi ad &c. Ut proinde nondum aliquid de pristino Clericorum more mutatum fuisse videatur, T. II. c. 83. num. 8. Vid. tit. *Communio*, & tit. *Missa*.

Eugenius.

Eugenii III. inaccessus donis animus, T. VII. c. 75. n. 9.

Eulogiæ.

Eulogiæ dicebantur tum olim munuscula, quibus superiores ab inferioribus colebantur, tum etiam postea frusta panis, quæ post Missam iis, qui non communicaverant, dabantur vel de superstitibus populi ad Eucharistiam consecrandam oblationibus, vel de parochi ipsius pane, T. II. c. 25. n. 5. 6. 7. Iis Eulogiis Presbyter virtutem adprecatus fuerat depellandarum corporis ægritudinum, & animi cupiditatum, n. 7.

Eunuchi.

Qui vel a Medicis vel a Barbaris Eunuchus fieret, is antiquitus non habebatur irregularis, sed is solum, qui ut Origenes vel Leontius seipsum faceret Eunuchum, T. IV. c. 78. n. 6. 7. Ita quoque postea sub Imperio Caroli Magni, c. 82. n. 3. In Oriente tamen eos habet irregulares Balsamon, nisi Medici consilio accedat & Episcopi consensus, cap. 82. num. 5. Pœnam mortis ei intentant Leges Romanæ, qui quempiam ob viles vel turpes rationes feceris Eunuchum, num. 1. Post annum millesimum pergunt semper Eunuchi esse irregulares, sed ii nimirum, qui semetipsos execuerint, c. 83. n. 7.

Eutychiani.

Dicti sunt & Jacobitæ a Jacobo quodam Syrio, qui sub Imperio Anastasii hæresim Eutychetis per totam Asiam disseminavit. Eutychiana peste per Asiam & Africam quadraginta & amplius Regna sunt afflata, T. I. c. 24. num. 2. vid. tit. *Jacobitæ*. Eutychianorum aut Semi-Eutychianorum soboles fuerunt Armeni, vid. tit. *Armeni*. Eutychiani sunt plurimi in Ægypto, ubi Cophti dicuntur, v. tit. *Cophti*: & in Abyssinorum Imperio, vid. tit. *Abyssini*. Quamquam modo Eutychiani illi, seu Armeni, seu Jacobitæ, seu Cophti & Abyssini non, uti olim Eutyches, duas Christi confundunt commiscentve naturas. At licet hinc sartam & tectam Divinitatem ejus, sartam & tectam item inde ejus humanitatem velint; ex utraque tamen ut unam personam, ita & unam fieri naturam contendunt, sicuti una fit in nobis ex corpore & anima. Quæ loquendi ratio etsi castigatior, nec tamen ad veritatem exacta est, nec vacant a periculo voces, T. II. c. 24. n. 12.

Exarchi.

Exarchi Diœceseon olim dicebantur majores ii Metropolitæ, qui pluribus præerant minoribus Metropolitis ac Provinciis. Extat id nominis in Concilio Chalcedonensi, T. III. c. 3. n. 12. Diœceses illæ primum erant, Romana, Alexandrina, Antiochena, Pontica undecim constans Provinciis, Asiana totidem, Thracica sex. Exarchi Pontici sedes erat Cæsarea Cappadociæ, Asiani Ephesus, Thracici Heraclea. Incertum an jam erant isti tres Exarchi minores tempore Concilii Nicæni, immo an jam tempore Concilii Antiocheni vigeret eorum auctoritas. Haud dubium tamen quin ex illius saltem Antiocheni Concilii tempore vel instituta fuerint vel confirmata; cum Synodus I. Constantinopolitanus eorum agnoscat auctoritatem; caveatque solum ne eam extra Diœceses suas proferant, T. I. cap. 17. n. 1. 2. Intercidit tamen sensim illa eorum auctoritas illo ipso tempore quod fluxit inter Constantinopolitanam illam Synodum & Chalcedonensem, in qua tandem Constantinopolitano Patriarchæ subjecti sunt, relicto iis solo tum Exarchi nomine, tum consessus post quinque Patriarchas honore. Immo haud ita multo post desiere, cum nullum posthac supersit monumentum jurisdictionis eorum, nec Justinianus, qui quinque Patriarchas aliquando commemorat, iis unquam Exarchos adjungat, adeo ut vix unum impleverint sæculum, T. I. c. 17. n. 6. Illa vero eorum auctoritas Exarchica, qua prius fruebantur, ex eo forte processerat, tum quod ad civitatem eorum, quippe quæ erat civilis Diœceseos caput ac Imperatorii præfecti sedes, rerum civilium causa veniebant totius Diœceseos Episcopi ac Metropolitæ, illisque plerumque a loci Pontifice patrocinium impenderetur, quo lenocinio illiciebantur, ut ei vel se addicerent, vel subesse non gravarentur; tum ex eo quod, ut rei domesticæ & privatæ causa affluebant ex tota Diœcesi Episcopi & Metropolitæ, crebrius ibi habebantur Concilia, sicque paulatim assuescebant

Con-

S. Fulgentius.

Eum mater ante voluit in lingua Græca institui, & omnes Homeri libros memoriter reddere, quam in Latina sua institueretur. Monachus efficitur. Exulat in Sardinia, ubi quoddam Episcoporum, Clericorum, & Monachorum itidem exulum, instituit veluti seu Seminarium, seu Cœnobium, T. IV. c. 94. num. 6. Quam austera ejus vivendi ratio, T. VI. c. 38. num. 12. 13.

Fundationes.

Fundationes quibus jam sint impares Ecclesiæ, possunt ab Episcopis contrahi, T. VII. c. 73. num. 3. 4. 5. 6. Id quod etiam Concilium Tridentinum Abbatibus & Generalibus Ordinum in capitulis Generalibus permittit, num. 3. An Beneficium quis fundare possit ea conditione ut ipso sit induendus, T. VII. c. 64.

Funebris oratio.

In Concilio quodam Constantinopolitano ex Balsamone jubentur ab Officio suspendi Episcopi, qui Magnatum vel Magistratuum fato functorum laudes soluta vel stricta oratione recitarent: excommunicari vero Lectores aut Cantores, qui in istorum funere laudes eorum in Ecclesiis decantaverint, T. VI. c. 85. n. 12. Permissæ tamen orationes funebres, sed quorum & qua conditione, T. VII. c. 68. n. 9. §. *In*, n. 12. §. *Sed*, & §. *Concilium*.

Funus.

Funerum, seu Mortuariorum, ac piorum legatorum Innocentius III. ut ex antiqua consuetudine tertiam vel quartam partem Episcopis adscribit, T. VIII. c. 34. n. 4. 9. Pactio hinc Episcopi & Cleri Provinciæ Andegavensis, inde Laicorum, super funeribus ann. 1390. & 1396. *ibid.* n. 11.

G

Gallia, vid. indic. Geograph.

Gallicana Ecclesia, vid. indic. Geograph.

S. Gaudentius.

Gaudentius in Oriente agens fit Episcopus Brixiensis in Italia, sed nonnisi post ambitam ab Episcopis, si renueret, excommunicationis interminationem, T. V. c. 66. num. 2.

Genuensis Ecclesia, v. indic. Geograph.

Georgiani.

Georgiani, ita dicti a S. Georgio Martyre, quo Patrono utuntur in bello, moribus ac doctrina cum Græcis consentiunt. Archiepiscopus eorum, aut, ut etiam appellatur, Catholicus sub se 18. habet Episcopos, aut Archiepiscopos: obnoxius olim erat Archiepiscopo Antiocheno, ab eo autem jam liber est ann. 1496. Constantinus Rex eorum ad Alexandrum VI. misit Legatum, qui concordiæ Ecclesiarum in Florentina Synodo Initæ subscriberet, T. I. c. 24. n. 10.

S. Germanus Altissiodorensis Episcopus.

Variæ ejus Legationes, T. VI. c. 36. n. 8. Quæ ei vivendi ratio, T. IX. c. 35. n. 10.

S. Germanus Parisiensis Episcopus.

Quæ ejus vivendi ratio & quam austera. T. IX. c. 38. n. 10.

Gistium, vid. tit. *Metatus*.

Gnesnensis Primatus, vid. indic. Geograph.

Gradensis Patriarchatus, vid. indic. Geograph.

Graduati.

Ante annum 1300. commendabatur solum generatim, seu a Romanis Pontificibus seu ab aliis, ut in Beneficiis conferendis haberetur maxime ratio litterarum, T. IV. c. 53. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. At ab illo anno cœpit jam tribui Graduatis jus ad Beneficia: ita ut tamen de collatis possent adhuc per mensem integrum deliberare, ac sese ad pinguiora reservare, n. 5. 6. Ampla Constitutio Concilii Basileensis in favorem Graduatorum, T. IV. c. 53. num. 9. Alia paulo immatura Cleri Gallicani Bituricis anno 1438. coacti, n. 10. Concordatorum decreta super graduatis consentanea pene Basileensi Constitutioni & Pragmaticæ illi Bituricensi, n. 11. minutatim percensentur Beneficiorum Graduatis conferendorum regulæ, *ibid.* Excusantur Graduati, prolixe, T. IV. cap. 53. num. 12. 13. Simoniæ damnat Concilium Turonense anni 1583. illas, quæ privatim pretio tribuuntur, litteras Graduum: & juramenti confirmari vult præisse illis litteris publicum & rigidum examen, n. 14. §. *Anno*. Cum eo olim gauderent Graduati privilegio, ut Beneficia percepturi, non essent examini ab Episcopo subjiciendi; illos tandem ei subjici voluerunt Concilia posteriora & Edicta Regia, quod indoctorum turba Graduatorum ferperet, *ibid.* §. *Ulterius*, & §. *seq.* Ad Parochias urbium muris cinctarum obtinendas sufficit, si tres anni in studiis Theologiæ contriti fuerint, vel habitum sit Magisterium artium, T. IV. c. 53. num. 9. 11.

Græci.

Inter jurgia seu Michaelis Cerularii, seu aliorum subinde CP. Patriarcharum cum Romano Pontifice, mansit tamen illibata inter utramque Ecclesiam, Latinam & Græcam, unitas fidei, & communionis, etiam ad tempora usque Concilii Florentini, T. I. c. 15. n. 6. & *seqq.* De Spiritus sancti Processione a Filio

chidiaconi, c. 46. n. 9. §. *Cum*, & §. *Irrita*, & num. 11. §. *Prohibuit*.

Honor exhibitus Episcopis, vid. tit. *Episcopi*, §. *Episcoporum insignia*.

Honor Romanis Pontificibus exhibitus, vid. tit. *Papa*.

Hospitalia.

De iis per prima octo sæcula.

Christianorum Hospitalia voluit apud suos imitari Julianus Apostata, T. II. cap. 89. n. 2. Hospitale exstructum a S. Basilio, civitatis alterius instar, n. 2. 3. 20. A Chrysostomo, n. 5. 6. 7. 11. Ab Hieronymo, n. 13. A Pammachio juxta Romam, n. 12. 13. A Fabiola Romæ, num. 14. A Severo Sulpitio, n. 16. Multa in Oriente erant, T. II. c. 89. num. 4. Nullum extruxit Augustinus, quia hospites & peregrinos ad mensam suam excipiebat: pauperibus vero sparsis per urbem suam æque prospiciebat, ac si eos in Hospitali collegisset, num. 10. 11. Placillæ Augustæ Theodosii Magni conjugis summa erga pauperes & infirmos in Xenodochiis seu Hospitalibus tum caritas, tum humilitas, n. 7. Hospitalia sive ab Episcopis, sive a Laicis exstructa suberant Episcoporum curæ & potestati, c. 89. n. 4. 16. 17. & c. 93. n. 4. & 14. Quare, c. 89. num. 9. 18. 20. 21. Septimo & octavo sæculo nonnulla leguntur Xenodochia a Monachis administrata, T. II. c. 94. n. 10.

De Hospitalibus sub Imperio Caroli Magni.

Ea Carolus Magnus voluit Episcopis subjecta esse, T. II. c. 90. n. 2. Triplex erat genus fundationis Hospitalium, erantque omnia illa sub Episcopi auctoritate, strictius alia, alia latius, secundum genus fundationis eorum, n. 6. 7. In Monasteriis omnibus Monachorum, Monialium & Canonicarum sua esse recipiendis hospitibus Hospitalia Aquisgranense ann. 816. Concilium voluit, T. II. cap. 90. n. 1. Sua & in Episcoporum quoque ædibus II. Aquisgranense ann. 836. Concilium voluit esse, n. 2. Sua quoque fuere Capitulis, cum sub Imperio Caroli Magni in communem vitæ societatem collecti sunt Clerici. Iis vero tum prædia assignaverunt idonea, tum Canonicorum quisque decimas omnium proventuum suorum ac distributionum persolvebat. Huic autem administrationi unius eorum præerat, dictus Hospitalarius, T. III. c. 67. n. 1. 2. 3. Hæc antiquitus Clericis commendabatur cura, & maxime Diaconis. Hinc multæ illæ Diaconiæ in urbe Roma, quas Anastasius memorat, T. II. c. 90. n. 10. & c. 93. num. 14. Tuitioni Regum & Principum Hospitalia commendabantur, ne eorum reditus ab ullo diriperentur, c. 90. n. 2. §. *Prope*, n. 5. §. *Nec*, n. 6. & 8. Eorum administrationes uti & Abbatias sæpe Reges concedebant: Nec aliud eos rogabant tum Episcopi, nisi ut eas fidelibus dispensatoribus tribuerent, c. 90. n. 8. Quicumque ea administrarent, ea lex erat Concilii Aquisgranensis, ne res pauperum in usus suos detorquerent, n. 9.

De Hospitalibus post annum millesimum.

Post annum millesimum plurima leguntur Hospitalia a Monachis administrata in Francia, Anglia & Italia, T. II. c. 91. num. 1. 2. 3. Sed nec pauca ex illis a Monachis simul & Monialibus regebantur, n. 3. quin & in aliquibus Italiæ, Franciæ & Angliæ, ipsi quoque pauperes ac leprosi maxime Monasticam vitam & profitebantur & agebant, num. 1. 2. 3. §. *In Actuario*. In Oriente similiter quædam leguntur olim a Monachis, & quædam item a Monachis simul & Monialibus administrata, num. 4. Omnia vero fere ætatis ejusdem ut & superioris Concilia suam semper asserunt Episcopi auctoritatem in Hospitalia, T. II. c. 91. n. 5. *& seqq.* Concilium Tridentinum eos jubet invigilare in Hospitalium Administratores: potestatem iis facit ea visitandi, & quod jam Viennense jusserat, rationes ab iis exigendi, & in hac Hospitalium visitatione eos habet ut Sedis Apostolicæ Delegatos, n. 6. §. *Non quod*, n. 7. §. *Concilium Tridentinum*, & §. *In Concilio*. Edicta Francisci I. & Henrici II. & Francisci II. aliave deinceps, quæ Hospitalia eximunt Episcoporum potestati, & omnem in ea jurisdictionem aliis quam Regiis Judicibus inhibent: nisi quod Episcopis potestatem faciunt, aliquos nomine suo mittendi, qui adsint cum rationes Administratorum Judicibus Regiis reddentur, T. II. c. 91. num. 8. Referuntur quæ de pauperibus ista præcipiunt Edicta, *ibid.*

In Ludovici VIII. testamento duo adium leprosariarum millia memorantur: in testamento tamen Ludovici IX. ejus Filii nonnisi octingentæ, T. II. c. 91. n. 3. In Oriente Alexis Imperator Hospitale extruxit, in quo erant pauperum decem millia, n. 4. Hospitalium quinque genera, scilicet pro egenis, pro infirmis, pro infantibus, pro senibus, & variium inde cuique nomen, c. 93. n. 2.

Hospitalitas.

Hospitalitas Episcopum maxime decet, T. II. c. 89. n. 8. 15. De hospitalitate Episcoporum ac Clericorum item & Monachorum usque ad tempora Caroli Magni. Præclara istius hospitalitatis per id temporis exempla, T. IX. c. 47. Ideo sancti Patres tum ad hospita-

ſpitalitatem tantopere ſeu Clericos, ſeu Laicos hortabantur, quia perrara erant tunc diverſoria, eod. c. 47. num. 20. De eadem hoſpitalitate Epiſcoporum, Capitulorum, Abbatum, Monachorum & Parochorum ſub Imperio Caroli Magni & ſtirpis ejus, ac poſt annum milleſimum. Quantum ipſis inculcaretur, immo & Laicis, T. IX. cap. 48. & 49. Epiſcoporum menſæ aſſidebant pauperes, cap. 48. num. 1. 2. Menſa Abbatis illa, cui aſſidebant hoſpites, necdum erat a Monaſterii Refectorio diviſa, Aquiſgranenſis ann. 817. Concilii tempore, vel id ibi aboletur, num. 3. Id item moris poſtea ſublatum reſtituerunt quædam Italiæ Cœnobia tempore S. Petri Damiani, & Cluniacenſe tempore Petri Venerabilis, c. 49. n. 6. 9. Etſi propenſius pauperes complectebatur hoſpitalitas, non tamen ſolos, ſed & divites, & quare, c. 48. n. 9. c. 49. n. 3. §. *Concilium*, n. 8. 9. §. *Nec*; & n. 10. Quam communis & ſtata eſſet in Parochis hoſpitalitas, c. 49. n. 3.

S. Hugo Lincolnienſis.

S. Hugo Lincolnienſis in Anglia Epiſcopus cum populo ſuo incidens in latronem, qui ad patibulum agebatur, eum ſolvi & pœnæ eximi juſſit, ſe cum populo ajens eſſe non aliud quam Eccleſiam, proindeque & aſyli inſtar habere, T. VI. c. 65. n. 7. & cap. 99. num. 4. Mira ejus conſtantia & magnanimitas, c. 94. num. 5.

Hungaria, vid. indic. Geograph.

I

Jacobitæ.

JAcobitæ Eutychiani ſunt: illud vero Jacobitarum nomen obtinuerunt a Jacobo Syro, qui Eutychetis hæreſim per totam Aſiam ſub Anaſtaſii Imperio diſſeminavit: Horum Eccleſiæ per Aſſyriam, Aſiam, Meſopotamiam & Diarbekam ſparſæ ſunt, T. I. c. 24. n. 2. Eorum Patriarcha, qui Antiochenum Patriarcham ſe vult dici, ex Monaſterio Saphran Sedem tranſtulit in urbem Caramit, & habet ſub ſe Metropolitas complures, Hieroſolymitanum, Moſalenſem, Damaſcenum, Edeſſenum, Cyprium, &c. Eſt & Alepi Epiſcopus Jacobita, qui ſe Patriarcham appellat, *ibid.* Sub Gregorio XIII. Neomen Patriarcha Jacobitarum Romam profectus errores ſuos ejuravit. Sui ſunt & in Africa Jacobitæ, *ibid.* Octoginta familiarum millia habent in Aſia, n. 9.

Jejunium.

Cur non iiſdem olim ſeptimanæ diebus, iiſdem temporibus in omnibus locis jejunaretur, T. II. c. 83. n. 13. Jejunium in Italia ſolvebatur ante annum Chriſti milleſimum hora nona, n. 13. §. *Retegit*. Græci vero nonniſi ad veſperam illud ſolvebant, *ibid.* De variis Græcorum jejuniis, & quo ea rigore præſtent aut præſtiterint, n. 14. 15. Si votum quis emiſerit de jejunando ſemper certa hebdomadæ feria, ac in eam Nativitas Chriſti incidat, declaravit Synodus Græca ſub Patriarcha Luca non illa tunc die jejunandum, T. II. c. 83. n. 15. Jejunium quod incidebat in Dominicam diem, olim non transferebatur, n. 13. §. *Geraldus*. Epiſcopum eo laborantem morbo cui contrarium eſſet jejunium, diſtricte jubet Gregorius non plus quam ſepties in anno jejunare, ſcilicet in feſtorum ſolemniorum pervigiliis, T. VI. c. 68. n. 1.

Jeſuitæ.

Statuit Henricus IV. ut ſi qui Jeſuitarum ablegarentur a Societate, jam hæreditatis adeundæ capaces eſſent. At ſtatuit ann. 1646. Parlamentum Divionenſe, quod & alia quædam poſtea ſecuta ſunt; ut hoc jure non gauderent niſi intra quintum ab emiſſa profeſſione annum ablegentur, T. VII. c. 25. n. 9. §. *Societatis*.

Illegitimi.

Illegitimi apud Græcos non ſunt irregulares, T. IV. c. 81. n. 4. Eos ordinari vetuit Meldenſe ann. 845. Concilium, niſi maxima Eccleſiæ utilitas, aut neceſſitas poſtularet, n. 3. Sacris eos Ordinibus Concilia Pictavienſe ann. 1078. Claromontanum ann. 1095. & Dalmatiæ an. 1199. donari vetuere, c. 84. n. 3. 4. 9. Id cautionis Pictavienſe illud & Claromontanum adhibuere, niſi hanc originis ſuæ maculam Monaſtica profeſſione aut regulari vita in Canonica Congregatione eluiſſent, num. 3. 4. Quamquam nec ſic tamen ad Prælaturas promoveri poterant, *ibid.* Circa Prælaturas tamen Clauſtrales cum hujuſmodi Monachis jam diſpenſat ex Gregorii XIV. conceſſu Pœnitentiaria Romana, & cum ſpuriis item Monialibus, ut Prioriſſæ & Abbatiſſæ creari poſſint; n. 16. Poſſunt Epiſcopi cum illegitimis diſpenſare quoad minores Ordines, & ad ſimplicia Beneficia, ſolus vero Pontifex Romanus quoad cetera, T. IV. c. 84. n. 10. 11. 15. Cum filii legitimi poſſint mediata ſucceſſione in paterna Beneficia ſuccedere, & potuerint etiam aliquando illegitimi, n. 7. 8. Id illegitimis Clemens VII. ann. 1530. Pontificio diplomate abſtulit, n. 12. Quin & Concilium Tridentinum eos arcet tum penſione omni in ea, quæ pater habeat aut habuerit olim Beneficia, tum

Sexto

Sexto item, septimo & octavo sæculis.

Quicumque unum ex obnoxiis pœnitentiæ publicæ peccatis, seu publicæ, seu occultæ perpetrabat, Cleri sibi aditum occludebat, aut si jam Clericus erat, abdicabatur absque ulla spe reditus: aut si illud ante suam ordinationem admiserat, Canonibus se jubebatur abdicare. Ea nimirum erat disciplina Hispaniæ, T. IV. c. 57. Galliæ, c. 58. Italiæ & Orientis, c. 59. Arguuntur suppositionis Epistola una S. Isidori Hispalensis, & altera S. Gregorii, quæ contrarium suadere viderentur, ab uno eodem Auctore confictæ, c. 57. num. 9. 10. 11. c. 59. num. 10. 11. 12. Humaniora quædam Ilerdensis Concilii decreta, c. 57. num. 4. Quarundam hac in re dispensationum exempla, sed partim rara, partim necessaria, partim justa, cap. 58. num. 8. ad num. 14. Erant tum quædam peccata minus gravia, quæ in Clericis non depositione, sed alicujus temporis suspensione plectebantur, T. IV. c. 59. num. 2. 8. 13. Qui nullorum illorum conscii peccatorum canonicorum, pœnitentiam obibant, nullam contrahebant irregularitatem, c. 57. n. 3. 6. Etsi vero Clericis ob peccata sua depositis, nulla spes erat reditus in functiones suas, Gregorius tamen Presbyteris pœnitentia strenue functis concedebat, non ut pristinas quidem obirent, sed tamen ut Monasteria regerent, Abbatesve crearentur, c. 59. n. 5.

Sub Imperio Caroli Magni & stirpis ejus.

Ea sub illo Imperio perrexit vigere disciplina, quæ peccatorum pœnitentiæ publicæ obnoxiorum reos vetabat cum ad Clerum admitti, tum in Clero tolerari, tum ad Clerum revocari post quamcumque pœnitentiam, sive occulta illa fuissent sive publica, T. IV. c. 60. n. 1. n. 4. 7. 9. Sed quod tunc mortalia fere omnia pœnitentiæ publicæ subjecta essent, res difficilior evaserat: cœpereque imprimis Hincmarus & Rabanus irregularitatem illam solis peccatis publicis affricare excepto homicidio, quod licet occultum ab ea non fuit exemptum, c. 60. n. 5. 6. Alii tamen adhuc communiter perrexere illam retinere disciplinam, qua in irregularitatum negotio non habebatur ratio, publicumne fuisset peccatum an occultum: fuitque isthæc communior usque ad sæculi decimi exitum, n. 7. 10. 11. & 12. §. *Quamquam*. Jubebatur adhuc in Triburiensi ann. 895. Concilio deponi seu Presbyter seu Diaconus, qui vim vi repellendo occideret, n. 11.

Post annum millesimum.

Nonnulla adhuc illius ætatis initio vestigia pristinæ severitatis, reos capitalium criminum a Clericatu arcentis, T. IV. c. 61. n. 1. Occasione tamen incredibilis illius incontinentium ac simoniacorum Clericorum multitudinis totum tunc Occidentem fœdantis, remissum tandem est de antiqua severitate, & id per gradus, *ibid.* & num. 2. primo enim sub Clemente II. Nicolao II. & Alexandro II. restituti sunt post actam pœnitentiam gradibus suis Clerici tum incontinentes tum etiam simoniaci, non ex eo quidem simoniacorum genere qui pretio sibi parassent ordines, sed iis, qui ab Episcopis simoniacis ordinati fuerant; ita ut tamen rursus ejiciendi essent, si rursus similia peccarent, T. IV. c. 61. num. 2. 3. Secundo non ita multo post restituti sunt etiam ordinibus suis in Concilio Romano, sed ob summam Ecclesiæ necessitatem, nec nisi post longam pœnitentiam qui post priorem pœnitentiam sua repetierant flagitia: nec vero seu istis seu prioribus illis ad superiores ordines accessus patebat, num. 4. 6. 7. Tertio Clericis concessum est, & jam antea fuerat ab aliquibus Episcopis concessum, ut etiam ad ulteriores promoveri possent ordines, acta tamen prius pœnitentia, & modo ne publica fuissent peccata, T. IV. c. 61. num. 8. ad n. 14. Quanquam & id iis consilii dabatur, ne facta sibi illa ad ulteriores ordines assurgendi potestate uterentur, num. 13. 14. Quin & id adhuc consilii illis insusurrabatur & maxime inculcabatur, ut Monasticam amplecterentur vitam, & labores ejus pœnitentiæ ergo ad vitæ usque finem subirent, num. 13. & 15. §. *Non referam*. Quarto tandem de illa quoque remissum est disciplina, quæ aut peractam prorsus aut ex parte saltem actam pœnitentiam adeo districte exigebat, num. 13. 14. 15. Episcopi semper effusiores fuere in dandis superioribus illis dispensationibus quam Romani ipsi Pontifices, sive hanc dispensandi potestatem a Romano Pontifice accepissent, sive eam nondum ipse sibi reservasset, num. 7. 9. 11. 12. Fueruntque illæ adeo pervagatæ, ut tandem in jus commune traductæ sint, num. 7. Nihilominus tum publicæ ipsi cujuscunque peccati pœnitentiæ, tum homicidio ipsi licet etiam occulto alligata semper mansit irregularitas: adeo ut, nec qui illam obierat, nec qui istud admiserat, posset aut ad Clericatum promoveri, aut in Clericatu manere, aut ad eum revocari, T. IV. cap. 61. num. 6. 7. 9. 10. 11. 12. Quarundam tamen hac etiam in re dispensationum exempla, n. 14. §. *Publicam*. In Oriente etiamnum iis omnibus, licet occultis, hæret irregularitas peccatis, quibus olim publica pœnitentia indicebatur, T. IV. c. 60. n. 12. §. *Quanquam*.

Irre-

Irregularitas Hæreticorum & Schismaticorum.

Per prima quinque sæcula.

Vetuit Eliberina Synodus venientes ab hæresi vel promoveri ad Clerum, vel in Clero remanere: isque fuit deinceps usus Ecclesiæ, T. IV. cap. 62. n. 4. 5. Facile tamen cum iis dispensabatur, qui vel præ simplicitate sibi passi fuerant illudi: vel ab ea in quam impegerant hæresi, pedem statim retulerant. Multa horum exempla, n. 9. 10. Alia item in primis Nestorii, Eutychetis & Pelagii sectatoribus, num. 12. Etsi cum aliis difficilius dispensabatur, dispensavit tamen primo Miltiades Papa cum Donatistis, eos, exauctorato uno Donato, recipiens cum ordinibus quos extra Ecclesiam susceperant, T. IV. c. 62. n. 2. Cum Novatianis postea Concilium Nicænum, n. 3. Immo & cum Paulianistis, eos jubens rebaptizari quidem, sed & iis illos permittens ordinibus iterum initiari, quos apud suos habuissent, si haud iis erant indigni, *ibid.* Cum Donatistarum infantibus dispensari petierunt Episcopi Africani a Siricio Papa & Episcopo Mediolanensi, n. 8. Idem postea super Donatistarum Clericis ad Ecclesiam redire volentibus petierunt ab Anastasio Papa & Episcopis Italiæ, n. 2. 6. Vulnus id erat disciplinæ, sed ipso ejus fructu compensabatur, num. 1. 2. Ad Diaconatum & supra vetabat Concilium III. Carthaginense promoveri quemquam antequam omnes domus suæ Christianos Catholicos fecisset, n. 24.

Sexto VII. & VIII. sæculis.

Dispensatio cum Schismaticis, T. IV. cap. 63. n. 1. Cum Nestorianis & Eutychianis, n. 2. 3. Cum Arianis tunc primum, n. 3. 4. 5. 6. Cum Monothelitis, n. 9. Quare facilius super hæresi quam super aliis peccatis dispensabatur ab Ecclesia, c. 62. n. 1.

Sub Imperio Caroli Magni & ejus familiæ.

Dispensatio cum Iconoclastis, T. IV. c. 63. n. 9. c. 64. n. 1. Græci etsi habent irregulares eos, qui ab habita semel recta fide in hæresim labuntur: quos tamen ex avita hæresi venientes in Ecclesiam recipiunt eorum baptisma repetendo, aut Chrismate eos inungendo, illos patiuntur ordinari; si jam vero apud suos ordinati fuerant, eosdem iterato donant ordinibus, quasi antea invalidis & nullis, c. 64. n. 2. Complura ab iis rebaptizantur hæreticorum genera, ac proinde nullam iis magis quam Paganis ipsis recens baptismo lustratis illigant irregularitatem, n. 2.

Post annum millesimum.

Dispensatio cum Clericis ab hæresi redeuntibus, Item & cum Schismaticis, T. IV c. 65. n. 1. 5. Declaravit Innocentius IV. eos quorum mater vel pater avusque in hæresi mortui fuerunt, irregulares fore ad Beneficia, id quod Rota ann. 1598. declaravit de iis etiam intelligendum Beneficiis, quæ ante lapsum patris matrisque impetrassent, num. 7. 9. Et Canonistæ aliqui eos putent irregulares esse ad ordines, quorum pater vel mater in hæresi decesserint, licet eorum hæresi nunquam fuerint afflati; illaque eorum sententia antiquiori disciplinæ Ecclesiæ sit magis consentanea; probabilior tamen est opposita sententia, Gallicæque ac Germanicæ disciplinæ hodiernæ magis est conformis, cap. 62. num. 24. & c. 65. num. 7.

Irregularitas Bigamorum.

De ea, T. IV. c. 78. 80. 81. 83. Vide hic sup. tit. *Bigami.*

Irregularitas Clinicorum.

De ea, T. IV. c. 86. vid. hic sup. tit. *Clinici.*

Irregularitas Energumenorum.

De ea, T. IV. c. 79. 82. 83. Vide hic supra tit. *Energumeni.*

Irregularitas Eunuchorum.

De ea, T. IV. c. 79. 82. Vide hic supra *Eunuchi.*

Irregularitas homicidii.

De ea, T. IV. c. 68. 70. 75. Vide hic supr. tit. *Homicidium.* Unde illæ jam Clericorum obtestationes, cum Judici reos deferunt aut tradunt; T. VI. c. 99. num. 3.

Irregularitas ex ignorantia.

De ea, T. IV. cap. 88. 89. 90. 91. Vide hic tit. *Clerici* §. *Clericorum scientia.*

Irregularitas Judicum, Curialium, Militum, Servorum.

De ea, T. IV. c. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 73. 75. 76. Vide hic singulos hujusmodi titulos.

Irregularitas Mutilorum.

De ea, T. IV. c. 78. 82. 83. Vide hic infra tit. *Mutilare.*

Irregularitas Natalium.

De ea, T. IV. c. 80. 81. 84. Vide hic supra tit. *Illegitimi.*

Irregularitas Neophytorum.

De ea, T. IV. c. 62. 85. 86. 87. Vide hic infra tit. *Neophyti.*

Irregularitas obnoxiorum rationibus reddendis.

De ea, T. IV. c. 73. 74. Vide hic supra tit. *Curiales*, & infra tit. *Rationes reddendæ.*

Irregularitas Simoniacorum.

De ea, T. IV. c. 65. Vide hic infr. tit. *Simonia.*

Italia.

Nullam aliam olim habebat Italia Metropolim, quam Romanam ipsam. Institutæ postmodum fuere Mediolanensis, Ravennas, Siracusana & Calaritana. Et quidem Mediolanen-

dentem Constantini & postea Theodosii legem, ut possent quivis seu litis initio seu in ejus decursu causas civiles suas Episcopo committere, T. VI. c. 107. n. 1. 2. 3. 6. Si inter se litigabant Clerici aut inter se Monachi, aut isti cum illis, quacunque de re, non poterant nisi coram Episcopo, c. 108. n. 1. 10. Si Clerici cum Laicis, seu civilis causa esset seu criminalis, non poterant illi istos nisi coram Episcopo convenire, non poterant item isti illos in causa criminali nisi coram eodem convenire: poterant vero si luberet dum causa erat civilis, Clericos convenire coram sæculari Judice, non tamen nisi petito consensu Episcopi, qui tum non poterat eum denegare, c. 108. n. 1. 4. Sed tandem ad illas Clericorum cum laicis causas excogitatus est conventus quidam Judicum mixtus: scilicet ubi sedebat quidem cognitor Episcopus sed laicis tamen jureconsultissimis & a Rege delectis cinctus, & quidem non in publico judicii loco, sed in privato, num. 8. Quæ Orientis disciplina fuerit tota illa Carolinæ prosapiæ ætate, c. 107. n. 14. c. 108. num. 11. c. 109. num. 1. 8. 9.

De jurisdictione Episcopali in causis civilibus Laicorum post annum 1000.

Exempla istius jurisdictionis, & varie ejus vices toto illo tempore usque ad Francisci I. tempora, T. VI. c. 110. n. 3. ad n. 10. Videtur sub eodem Francisco funditus excidisse n. 9. Qui id sensim factum est, n. 10. Quam non debeant Episcopi de illo jurisdictionis suæ dispendio dolere, n. 12. Patebat illa jurisdictio in Gallia latius quam in regnis aliis, n. 6. Quantum in Hungaria, n. 11.

De eadem in causis Clericorum post annum 1000.

Toto sæculo XI. & XII. cavent Concilia seu Provincialia seu Generalia, ne Clerici seu a Clericis seu etiam a laicis convenire possint, nisi ad Ecclesiæ forum, sive civiles sive criminales eæ & personales sint causæ, T. VI. c. 112. num. 4. 5. 8. Toto item sæculo XIII. nisi quod quædam Galliæ Concilia, Burdigalense scilicet ann. 1255. & Bajocense ann. 1300. Clericis in quibusdam casibus potestatem faciunt adeundi Judicis sæcularis, annuente tamen Episcopo, num. 7. Toto item adhuc XIV. & XV. sæculo, num. 9. 10. Cœpit isthæc Episcoporum in Clericos jurisdictio labefactari in Gallia sub Francisco I. ann. 1539. & amplius adhuc sub Carolo IX. ann. 1566. T. VI. c. 112. n. 12. Conatus posteriorum Galliæ Conciliorum ad illam reparandam, num. 14. Eadem olim viguerat in Anglia jurisdictio Episcoporum in Clericos, eamque dum tutatus est Thomas Cantuariensis Episcopus, Henrici II. Regis iram promeruit, c. 112. n. 4. §. *In Concilio*, & c. 113. n. 1. 2. c. 114. n. 1. Quin & eandem postea restituit idem ipse Henricus, c. 112. n. 4. §. *Cum*. Eidem jurisdictioni perrexerunt favere etiam usque ad an. 1463. Reges & Concilia Angliæ, c. 112. num. 8. §. *Anno*, 1190. & cap. 113. n. 3. a c. 114. n. 6. Germaniam vero quod attinet, qui tantopere jurisdictionem Ecclesiæ in Clericos insectatus est Fridericus II. Imperator quique eo, inter alia, nomine damnatus est in Concilio I. Lugdunensi, eam ipse prius stabilierat, T. VI. c. 112. n. 8. & 10. Ipsamque stabilivere pariter post Friderici II. Imperium Concilia Germaniæ; adeo ut Moguntinum ann. 1549. Concilium anathemate plectat Judicem sæcularem, qui causam vel Clerici vel Ecclesiasticam quamlibet cognoscat, c. 113. n. 4. Viguit similiter in Hispania eadem jurisdictio, eamque adhuc Alfonsus Aragoniæ Rex ann. 1429. diplomatibus suis confirmavit, n. 5. Nullibi vero illa se magis exeruit unquam aut se hodieque magis exerit quam in Italia; quanquam certis eam quoad Clericorum genus Concilium Tridentinum, circumscripsit limitibus, T. VI. c. 113. n. 6. 7. & 8. Quibus vel causis vel gradibus imminuta aut extincta fuit Ecclesiæ jurisdictio? c. 114. n. 1. 2. 3. Ut pro illa certatum est a Præsulibus sanctitate & eruditione spectatissimis, c. 114. n. 4. 6. 7. Ut tamen & ab Episcopis sancte potuit dimitti, n. 8. Sacri Ecclesiæ fori seu jurisdictionis pœnæ erant mulctæ: proscriptiones bonorum, servitus, exilium, carcer, etiam aliquando perpetuus, aliquando item emendæ pecuniariæ, c. 114. n. 9. 11. 12.

Exempla jurisdictionis Episcopalis collatæ Capitulis ab Episcopis, T. VIII. cap. 23. n. 7.

Ivo Carnotensis Episcopus.

Ivo in carcerem a Vicecomite conjectus populum suum absterruit ab eo quod iniverat consilio, eum armata manu extrahendi, T. IV. c. 75. n. 4. Qua magnanimitate & constantia per decem annos iram Philippi Regis sustinuit, T. VI. c. 63. n. 5.

Jus Civile.

Variæ ejus vicissitudines: ut in Clericis modo approbatum ejus studium, modo improbatum: modo Clericis permissum, Monachis negatum: modo Universitatibus inhibitum, modo cum laude commendatum: modo ab ipsis etiam Regnis eliminatum. Et quare T. IV. c. 91. n. 14. 15. Ejus Professores olim omnes in Universitate Parisiensi Clericalem vitam profitebantur ac continentiam,

nec

malorum, T. IV. c. 56. n. 15. Variæ vicissitudines medicinæ: ut modo in pretio fuit sanctissimis quibusque viris, etiam Episcopis ac Monachis, modo studium ejus solis negatum Monachis, Clericis permissum, modo ad inferiores Clericos coarctatum, T. IV. c. 91. n. 15. §. *Jam*, & n. 16. Omnes ejus olim Professores in universitate Parisiensi profitebantur vitam Clericalem ac continentiam, a qua tandem lege ann. 1452. exempti sunt, n. 16. Ejus Gradibus æque ac Theologiæ venitur ad Beneficia, *ibid.* Medicina Presbyteri & Diaconi in Oriente sub Imperio Caroli Magni & ejus stirpis prohibiti, T. IX. cap. 19. n. 8. 10. Clericos similiter omnes Sacris initiatos Mediolanense I. sub S. Carolo Concilium Medicina prohibet, c. 21. n. 3. Prohibuisset & Bernardus, n. 5. Concilium Remense ann. 1131. & II. Lateranense Medicina prohibent Monachos & Canonicos Regulares, sed eas ob rationes, quæ Clericos omnes æque respiciant, T. IX. c. 22. n. 2. Concilium IV. Lateranense Subdiaconos & superiores Clericos vetat Chirurgiæ vacare, quæ ferrum & ignem adhibeat, n. 2.

Mediolanensis Ecclesia, v. indic. Geograph.

Melchitæ.

Melchitæ, seu Imperiales, ab Eutychianis vocati sunt ii, qui fidem Concilii Chalcedonensis in Oriente secuti sunt, T. I. 4. c. 16. n. 9.

Mensa.

Mensæ suæ olim quidpiam semper legi curabant Episcopi, T. IX. c. 38. n. 5. 6. 10. 11. c. 41. n. 16. c. 47. n. 5. 6. 15. c. 48. n. 1. 11. Quin & Caroli Magni & Imperatorum Græcorum mensæ lectio adhibebatur, c. 48. n. 11. In mensa Episcoporum & Clericorum quanta debeat esse moderatio & temperantia ostendirur ex omnibus huc usque Conciliis & Patribus, T. IX. c. 34. usque ad c. 42. c. item 48. n. 1. Multiplex consessus mensæ Regum nostrorum describitur, T. VI. c. 64. n. 7.

Mercatores.

Quam ægre ex S. Leone possint ab omni culpa esse immunes, T. 4. V. c. 66. n. 25. c. 75. n. 2. 6. c. 76. n. 10.

Metatus.

Jure Metatus aut Gistii intelligitur ipsa hospitalitas, qua sub Imperio Caroli Magni necesse erat excipi ac procurari seu nutriri ab Episcopis, Abbatibus, vel aliis, Reges eorum Consanguineos, Officiales Palatinos, ac Legatos ad Reges vel a Regibus ultro citroque commeantes, T. VII. c. 39. toto. Discrimen metatus istius Ecclesiastici a metatu Romano, seu metatu Legum Romanarum, c. 48. n. 1. 2. 3. 10. Juri metatus non soli subdebantur Episcopi, aut Abbates, sed & Comites, & Civitates: nec tamen omnes vel Episcopi, vel Abbates, vel Civitates, sed ii solum, ut videtur, quibus erant feuda Regia, c. 48. n. 3. 8. 9. Perdiu viguit adhuc id juris sub tertia Regum Francorum prosapia, cap. 39. n. 15. c. 48. n. 3. 8. Vigebat & in Germania sub eadem prosapia: eoque in Italia etiam utebantur Germaniæ Imperatores, c. 48. n. 5. Et ante ipsos in Italia quoque, immo tanquam ex antiqua consuetudine, Berengarius Imperator, c. 48. num. 9. Pecuniis aliquando redimebatur. Hinc eo Reges, & Imperatores in Ecclesias abstinuere, postquam Decimæ & Dona gratuita increbuere, T. VII. c. 48. n. 11. Comprimendi fuerunt aliquando in Hibernia & in Gallia ipsi Magnates; qui jus simile in Ecclesias & in Cœnobia volebant sibi sumere, n. 6. 9. Suum est, & quidem antiquum, Episcopis ipsis jus metatus & procurationis apud Parochos, cum suam lustrant Diœcesim: ex eo natum, quod plerasque ipsi condiderint ac dotaverint Parochias, assignata eis decimarum & rerum temporalium agrorumque portione, n. 4.

Metensis Ecclesia, v. indic. Geograph.

Metropoles & Metropolitani, v. tit. *Archiepiscopi*.

Versatur id argumenti, T. I. a c. 39. ad c. 49.

Ut civitas, quæ Metropolis civilis erat uniuscujusque Provinciæ, ceterararum ejusdem Provinciæ urbium erat caput: sic qui Episcopus illi præerat civitati, ceterorum in eadem Provincia caput ac Præses erat Episcoporum, T. I. c. 3. n. 1. Ipse tamen pro illorum temporum modestia non alio, quam Episcopi insigniebatur nomine, nisi quod, ut a ceteris distinguendus erat, appellabatur tum primus Episcopus, tum primæ Sedis primæve Cathedræ Episcopus, tum Metropoleos Episcopus: cœpit tamen postmodum appellari Metropolita, hocque nomen, quippe simplicitatis ac modestiæ plenum, primum omnium accessit Episcopali, num. 1. & 4. Nulla istius nominis antiquior extat memoria, quam in Conciliis Laodiceno, Nicæno, & Antiocheno, num. 4. 5. 7. & 8. Etsi plures postmodum in Antiochenæ Ecclesiæ tractu, plures item in Alexandrinæ, & plures similiter in Romanæ, instituti fuerint Metropolitæ, initio tamen haud alii tribus illis in tractibus erant dicebanturve Metropolitæ, quam Romanus, Alexandrinus, Antiochenusque Præsules. Ex quo factum est, ut sicut antea quisque eorum pro jure illo Metropolitico, singulos tractus illius sui Metropolitici Episcopos ordinabat: ita eos etiam postquam in eo passi sunt

Metro-

Metropolitas institui, perrexerit ordinare: id quod & sexto ipso Canone Nicæno firmatum est, T. I. c. 3. n. 4. & 5. Vid. hic supr. tit. *Episcopi*, §. *De Episcoporum consecratione*. Cumque Metropolitæ nomen iis hæserit Episcopis, qui alios sub se habebant Episcopos: ii, qui sub se Metropolitas etiam habebant, dici cœperunt Archiepiscopi, c. 19. n. 1. Quod Archiepiscopi nomen media ætate Græca Metropolitanis illis honorariis hic paulo infra memorandis, & nullos sub se Episcopos habentibus illigatum est. Metropoles antiquissimæ ante conversos ad fidem Imperatores institutæ sunt: plures vero postea fieri necessitas postulavit, T. I. c. 1. n. 41. Perpaucæ fuerunt per tria prima sæcula, excrevitque in dies earum numerus, pro ut longo temporum lapsu novæ factæ sunt Provinciæ, c. 39. n. 11. Scilicet quod Metropoles Ecclesiæ civilibus Metropolibus essent affixæ, non fastu quidem aliquo sæculi, sed quia inde facilius in reliquas urbes Evangelium disseminatum iri spes erat, c. 41. num. 2. Quodque jussissent Apostolici, Nicæni & Antiocheni Canones unamquamque Provinciam suum habere Metropolitanum, a quo regeretur: hinc dum Principes, aut Imperatores unam Provinciam in duas scindebant: Episcopus novellæ illius Metropoleos civilis, novum se vulgo contendebat esse ejusdem novellæ illius Provinciæ Metropolitanum, T. I. c. 39. n. 2. Id tamen vulgo Ecclesiæ non arridebat, quoadque poterat, nolebat illa Ecclesias a primæva sui dispositione & politia recedere. Sic Innocentius edicit, num. 4. Hinc etsi novos istiusmodi Metropolitas patitur Synodus Chalcedonensis Metropolitanorum honoribus gaudere, vult tamen eos antiquo suo Metropolitano subesse, n. 5. 6. 8. Quin & ipsi Imperatores, dum civitatem aliquam in Metropolim novam eligebant, seu ipsa Provinciæ unius in duas Provincias divisione, seu absque istiusmodi divisione, incumbebant solum in illius Episcopum honoribus Metropoliticis decorandum, eum vero haud nova augebant jurisdictione, nec prioris Metropolitæ sui eximebatur jurisdictioni. Sicut e contra cum duas Provincias civiles in unam conflabant, neutrius tamen Ecclesiasticæ Metropoleos statum immutabant, n. 8. & 9. Posteriora vero Græcorum Concilia Imperatoribus suis omnem tribuunt auctoritatem novas per sese Metropoles erigendi, c. 43. n. 11.

In Occidente olim nunquam interposita fuit Imperatorum auctoritas ad novas Metropoles instituendas, idque propter Sedis ipsius Apostolicæ præsentiam & splendorem, T. I. c. 39. n. 11. Ut vero plura tandem ex Romano Imperio dilacerato facta sunt Regna, non sola jam Ecclesiasticorum Principum in Metropolibus per novas illas Provincias instituendis interposita est auctoritas, c. 41. n. 1. Immo in novarum Metropoleon erectione primas aliquando tenere visi sunt Principes, quanquam nomine tenus, quod scilicet ab ipsis executio & persæpe earum fundatio dotatioque proficisceretur, c. 43. n. 8. Re autem vera creabantur Romani Pontificis auctoritate, fatentibus idipsum Metropolitis, c. 43. n. 6. 7. 8. & c. 44. n. 1. Sicut & cum novæ a Romanis Pontificibus erigebantur Metropoles, interveniebat consensus tum Principum, tum & ipsorum Præsulum, Metropolitarum scilicet, quibus inde aliquid damni impendebat, c. 45. n. 3. 4. 8. Quanquam dissensus Metropolitæ prioris non semper ratio habebatur, n. 9. Sed nec paucæ temporibus præteritis inconsulta Sede Apostolica in Occidente creatæ sunt, n. 8. Conciliis nimirum ipsis seu Nationalibus, seu Provincialibus, illas prout iis e re Ecclesiæ esse videbatur, instituentibus, c. 20. n. 18. c. 45. n. 13. & 14. Tum tamen in multo plurimarum erectione intervenit auctoritas Romani Pontificis, quod maxime fieri oportuit in Italia, ubi pleriqne Episcopatus ab exordio uni Romanæ Metropoli suberant; & quod item maxime videtur factum in Hispania a medio sæculo nono, tum vero quæ sine ejus interventu creatæ sunt, lapsu temporis ab ea se confirmandas curaverunt, c. 45. n. 3. 13. 14. & 15. In Metropolibus suis ordinandis, & constituendis ab Apostolicæ Sedis auctoritate Gallicana pendebat Ecclesia, T. I. c. 39. n. 11. Leguntur apud Græcos Metropolitani quidam honorarii (hos media ætas Græca vocavit Archiepiscopos) qui scilicet Metropolitarum nomine & honore gauderent, non jurisdictione, nullos sub se habentes Episcopos. Primum isti gradum & locum post Provinciæ suæ Metropolitanum semper obtinebant: eadem item ac ipsi Metropolitæ pompa ordinabantur, c. 39. n. 10.

Metropolitarum, excepta Africa, sedes fixa erat, in ipsa videlicet civili Metropoli. At in Africæ Provinciis excepta Carthaginensi Ecclesia, quæ nunquam Metropolitæ honore exuebatur, & cujus Episcopus fuerat ab initio totius ipsius Africæ Christianæ Metropolita, desultorii erant Metropolitæ, nec uni erant Sedi cuipiam affixi; is nimirum ibi in unaquaque Provincia erat Metropolitanus, cujus erat ordinatio antiquior. Haud tamen Metropolitæ vocabantur, sed Primates primævæ sedis Episcopi, T. I. c. 20. 6.

Jura & munia Metropolitarum.

Principatus, quo Epiſcopi alii ſuper alios eminent, delibatio quædam eſt & imitatio principatus illius, quo Chriſtus Petrum ſuper quoslibet alios, & ſuper ipſos etiam Apoſtolos donavit, T. I. c. 14. n. 4. c. 26. n. 5. §. *Quanquam*. Ea fuere per octo prima ſæcula Metropolitani jura: primas habebat in electione Epiſcopi, adeo ut citra ejus ſententiam non poſſet Epiſcopus conſtitui. Ejus item erat eum electum jam examinare, confirmare, erudire, & ordinare, ac deinceps inſtruere, in ejus mores excubare, ac in ipſum animadvertere. Hinc Epiſcoporum dicebatur Pater, Magiſter, Judex, T. I. c. 40. n. 1. 6. 11. 13. 14. T. V. c. 18. toto. Totius Provinciæ curam ſuſcipiebat, nec gravioris momenti quidquam eo inconſulto agere poterant Epiſcopi, T. I. cap. 40. n. 1. 2. Conciliis Generalibus intererant Metropolitani omnes, cum ex Provinciis ſingulis non ſinguli, ſed aliqui ſolum iis adeſſent Epiſcopi, n. 5. Cogebat Metropolitanus quiſque, etiamſi Exarcho ſubeſſet alicui, Provinciæ ſuæ Concilium, quo ſinguli ejus Epiſcopi debebant advolare, eique ipſe præerat, n. 3. Pœnitentiæ ſubjiciebantur, ſi qui ex illis ei non intererant, T. V. c. 18. n. 8. Ab Epiſcoporum judicio ad eum provocabatur, T. I. c. 40. n. 8. 9. Cum in ipſorum electione ſuffragia in plures dividebantur, ejus erat illum præferre ceteris, qui pluribus juvabatur ſuffragiis & meritis, n. 13. Penes illum erat Eccleſiarum dedicatio, & bonorum Eccleſiaſticorum alienatio, n. 15. Ejus erat dare litteras formatas, n. 3. 7. 14. 17. vid. ſupr. tit. *Litteræ Eccleſiaſticæ*.

Hæc eadem munia & jura viguerunt ſub Imperio Caroli Magni & Regiæ ejus proſapiæ, T. I. c. 43. n. 1. 2. 3. 5. Immo adeo Metropolitæ ſuberat Epiſcopus, ut nec poſſe Epiſcopum ſententiam Romani Pontificis aliqua de cauſa requirere, niſi conſulto ea de re prius Metropolitano, contenderet Hincmarus, nec poſſe item eum honorem Pallii a Romano Pontifice, aliumve a Principe honoris gradum accipere, niſi ex Metropolitani conſenſu, pugnaret Bertolfus Trevirenſis Archiepiſcopus, c. 43. num. 5.

Eadem item jura habere & munia obire perrexerunt Metropolitani poſt ann. Chriſti milleſimum. In Epiſcoporum mores intenti erant, T. I. c. 46. n. 1. Ut & eorum mores in Concilio Epiſcopi poterant arguere, num. 6. Metropolitani poterant totam ſuam viſitare Provinciam ſuorumque Diœceſes Epiſcoporum, tumque permagnam in iis poterant juriſdictionem exercere, c. 46. n. 4. Hoc viſitandi jure uſi fuerant per prima quinque ſæcula Eccleſiæ, c. 40. n. 10. Eo aut nunquam aut raro tribus deinde ſequentibus ſæculis uſi fuerant, T. VI. c. 78. n. 4. & 10. §. *Sed*. Nec eo quoque fuerant uſi ſub Imperio Caroli Magni ejuſque proſapiæ, T. VI. c. 79. n. 12. T. VIII. c. 32. n. 11. Extra viſitationis tempus non poſſunt Metropolitæ ſuper Epiſcopos ſuos quidquam juriſdictionis ſibi arrogare niſi poſt factam ad ſe ab eorum judicio appellationem, T. I. c. 46. n. 3. 7. 8. Aut niſi ſibi, Officialibuſve ac Miniſtris ſuis legitimam juriſdictionem exercentibus irrogata fuerit quæpiam contumelia, n. 8. In cauſa excommunicationis a Suffraganeo latæ poſſunt de ea ante appellationem cognoſcere, ſi querela fuerit ad eos delata, non tamen ab ea ſtatim abſolvere, niſi monitus renuat injuſte Suffraganeus ſententiam ſuam reſcindere, vel evidentis illa ſit injuſtitiæ, *ibid.* Supplere poteſt Metropolita vel negligentiæ, vel malitiæ Suffraganeorum, num. 9. Quæ circa Epiſcopi a Metropolitano electionem, diſcuſſionem, confirmationem, ordinationem ſtatuerant antiqui Canones, eadem ſtatuit & Jus novum, ſeu Jus Decretalium, quod a quingentis circiter annis arcem auctoritatis obtinet, T. I. c. 47. n. 1. T. V. c. 43. n. 1. Jure novo jubentur Suffraganei Metropolitam ſuum inviſere, T. I. c. 47. n. 2. Eaque lex XIII. ſæculo vigebat ut quotannis eum & Metropolitanam Eccleſiam viſitarent, T. VI. c. 42. n. 3. At eos viſitandi Metropolitæ lege Concilium Tridentinum exemit, n. 14. Tribuitur item ei Jure novo poteſtas Provinciam totam ſuam viſitandi, immo & ſi e re eſſe judicaverit, viſitationem iterandi, in viſitatione porro Confeſſiones audiendi, pœnitentias imponendi, notoria peccata vindicandi, crimina remittendi, T. I. cap. 47. n. 5. Quæ ſit ejus in Concilio Provinciali poteſtas ex declaratione Congregationis Concilii Tridentini, n. 4. Cum olim Metropolita ab Epiſcopis in Provinciali Synodo congregatis eligeretur & confirmaretur, iſque adhuc uſus obtineret Ivonis Carnotenſis tempore: Jure novo debet a Romano Pontifice confirmari: Qui ſenſim is uſus irrepſit & obtinuit, T. V. c. 43. num. 2. 3. 4. 10. 11. Metropolitanis obedientiam Epiſcopi profitebantur ſub Imperio Caroli Magni, eamque manu ſubſcribebant in Metropolitæ Chartulario aſſervanda, ſed nullum interveniebat juramentum, c. 45. n. 4. 5. Jam tamen ſæculo XI. interveniſſe deprehenditur, c. 46. num. 1. 5. 6. Accedebant illæ profeſſiones Epiſcoporum ad ſacramenta fidelitatis, num. 6. Quam profeſſionem & quod jura-

men-

can-

ca

sari abunde quidquid sapientiæ ætas maturior potuisset adjicere, T. II. c. 70. n. 4. §. *Simeon.* Dum quis Monachus postulante Monasterio ad ejusdem Monasterii utilitatem promovebatur in Clericum, non exsolvebatur ab aliorum Monachorum vinculis & functionibus: si vero volente Episcopo, ut vel Episcopali sede vel Ecclesiæ Parochiæve vacanti Pastor fieret, ab illis vinculis & functionibus eximebatur, quantum Clericali Ministerio adversabantur, T. III. c. 13. n. 18. 19. T. VI. c. 10. n. 11. Non autem ab iis quæ eorum Ordini adversabantur. Atque is quoque fuit usus sub Imperio Caroli Magni, T. III. cap. 17. num. 10. 11. 12. Unum corpus sunt Augustino Clerici & Monachi, isti in illis negotiosi, illi in istis otiosi, T. III. cap. 13. num. 12. Monachus & Clericus diu indiscriminatim sumpti, seu sub Clodovæi & filiorum ejus Regno, cap. 39. num. 2. 3. 4. Seu sub Imperio Caroli Magni & Regiæ ejus prosapiæ, T. III. c. 9. n. 6. c. 17. n. 3. T. IV. c. 25. n. 2. c. 28. n. 4. 5. 6. 7. Fuitque cum Monachi evaderent in Clericos eo ipso quo tondebantur in Monachos, T. II. c. 40. n. 1. 2. c. 41. n. 1. §. *Concilium Juliobonense*. Erant sæculo septimo qui dicerent non posse Monachis Sacerdotalia munera demandari: Hos compescuit Bonifacius IV. Pontifex, T. III. c. 14. num. 10. Alios item iis similes Urbanus II. sæculo undecimo, c. 18. num. 2. Nono passim sæculo Monachi Parochias administrabant, c. 17. n. 5. vid. tit. *Parochia*. Primis ipsis quinque sæculis Ecclesiæ & deinceps non paucis in locis fuere pro Clero Monachi, T. III. c. 4. n. 1. c. 11. n. 11. c. 13. n. 12. 13. Pro Canonicis Monachi fuere Augustino & Laurentio Anglorum Apostolis in omnibus, quas in Anglia fundaverunt Episcopalibus Sedibus. Sæculo item duodecimo ex Angliæ Episcopalibus XVII. Ecclesiis octo a Monachis occupantibus, T. III. c. 11. n. 11. Capitula ex Clericis & Monachis bipertita, aut ex utrisque mixta, c. 18. n. 1. 3. cap. 19. n. 8. Alternæ subrogationes Monachorum & Clericorum per Occidentem, T. III. c. 19. Quam multi ex Monachis prodierunt Episcopi, T. III. c. 13. n. 12. c. 15. n. 2. 3. 7. Multæ Sedes Episcopales Monachis Episcopis aut omnino aut alternis addictæ, c. 18. n. 1. & 3. vid. tit. *Episcopi ex Monachis assumpti*. Abbatem tamen sanctissimum aliquando a Panormitanis electum in Pontificem noluit Gregorius confirmare, veritus ne inter inexpertas hactenus mundi illecebras pietas ejus frangeretur aut tepesceret, T. IV. cap. 18. num. 16. Cum olim Clerici non possent citra Episcopi sui consensum inter Monachos profiteri, jussi sunt a Toletano IV. Concilio Episcopi hunc iis consensum non denegare, T. III. c. 15. n. 9. Ad Michaelem usque Patriarcham CP. multi in Oriente Clerici ita Monasticæ Religioni nomen dederant, ut e cætu Clericorum non abiissent: jussit iste deinceps in Monasteria secedere quotquot ex iis fieri vellent Monachi, c. 17. n. 15. Plurima Monachorum Capitula tempore Pipini & Caroli Magni desciverant in Clericos, aut Clericorum Capitula, idque tum visum fuit tolerandum, c. 9. n. 1. & 8. Monachos olim clerici ipsi & Laici relictis Presbyteris Canonicis Confessionis ergo adibant, alii nimia eorum indulgentia, alii sanctitate eorum allecti. Accedebat & Presbyterorum illorum sæcularium paucitas, T. II. c. 12. n. 3. & 5. De isto Clericorum & Laicorum usu Synodus VI. Parisiensis queritur, *ibid.* n. 3. Nondum tamen nono isto sæculo confessiones seu Monialium, seu Canonicorum excipiebant Monachi, immo eas explere vetabantur, T. III. c. 43. n. 13. Ad Monachos in Oriente pluribus ab hinc sæculis devolutum est Confessionis ministerium, T. II. c. 10. n. 13. c. 12. n. 10. 11. Immo illud ibidem soli a pluribus sæculis exercent, n. 15. De Monachorum Confessoribus, vid. tit. *Confessor*. Evangelii satores Monachi, T. I. c. 55. n. 3. 6. 7. 8. c. 56. n. 7. c. 59. n. 5. T. II. c. 25. n. 11. T. III. c. 17. c. 18. n. 2. Quam utiliter Monachi adlaboraverint Ecclesiæ, & quam ei sint utiles, T. III. c. 18. n. 6. c. 23. n. 5. §. *Augustinus*. Ut modeste debent de suo statu sentire, T. III. c. 18. n. 5. Professio Monastica olim non tollebat irregularitates, c. 13. n. n. 9. c. 14. n. 3. 4. Undecimo jam sæculo tollebat, credebaturque hærere alterius instar baptismi, T. IV. c. 61. n. 11. §. *Habes*, c. 84. n. 3. 4. 7. Monachi olim profitebantur ad unius Ecclesiæ vel altaris Titulum, T. IV. c. 9. num. 1. §. *Ne*.

Monachis quid cum Episcopis.

Monachi Episcopis subditi sunt multiplici nomine, T. III. c. 26. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Ut paternum debet esse Episcoporum in Monachos imperium, n. 15. 16. 18. Ut per priora septem Ecclesiæ sæcula Episcopis subjecti fuere Monachi, c. 26. n. 8. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Abbates qui Monachos suos graviter delinquentes coercere non possent, jubentur a Conciliis sexti sæculi Episcopum vel Archidiaconum admonere, T. II. c. 18. n. 4. De iis, quæ Monasteriis tradebantur, nihil sibi poterat Episcopus vindicare: T. II. c. 93. n. 15. In lite exorta inter Episcopum Forojuliensem & Abbatem Lirinensem pactum est a Concilio III.

III. Arelatensi, ut nullus hujus Monasterii Monachus posset nisi ab illo Episcopo, vel ex ejus consensu ordinari, nullus item nisi ab eo Confirmationis sacramentum recipere: at tum nec ullum ejusdem Monasterii Monachum invito Abbate posset Episcopus ordinare, tum laica omnis ejus multitudo laicaque omnis ejus Congregatio ad solam & liberam Abbatis curam & dispositionem pertineret, T. III. c. 26. n. 16. Singulare fuit ævo illo exeunte quod Abbatibus successoribus S. Columbani in Hibernia, licet solum Presbyteris, voluerint subjecti esse Episcopi illius Insulæ, in ejusdem scilicet Columbani Gentis illius Apostoli honore, T. III. c. 14. n. 12. Sæculis item 8. 9. & 10. Episcopis subjecti fuerunt Monachi, T. III. c. 27. toto. Etsi enim Monachis plerumque permittebant Episcopi exteriorem Monasterii disciplinam, n. 2. A Conciliis tamen ætatis illius data est ipsis potestas visitandi Monasteria, inquirendi in disciplinæ observantiam, animadvertendi in reos, n. 1. 2. Ab iisdem Conciliis vetiti sunt Monachi ullis causis sæcularibus & in litibus nisi ex Episcopi consensu sese implicare: ullas item longinquas nisi ex ejus pariter consensu peregrinationes adire *ibid.* A Conciliis adhuc sæculorum 11. 12. & 13. subjiciuntur Monachi Episcopis, c. 28. n. 1. 2. 3. 4. §. *Non*, & num. 16. Sua tamen jam tum erant nonnullis privilegia, n. 4. & 16. Hanc Monachorum Episcopis subjectionem non prohibebat tollebatve protectio ipsa Sedis Apostolicæ, qua se studebant impertiri, T. III. c. 28. n. 3. 4. 5. Monachos exemptos quibus in rebus Concilium Tridentinum Episcopo subjecerit, T. III. c. 40.

Monachorum Regulæ & Congregationes.

Regulæ Monachorum multæ summatim perstringuntur, T. III. c. 23. n. 12. Aliæ & fusius quidem memorantur toto c. 24. scilicet Cæsarii, num. 2. Cassiani, n. 3. Columbani, n. 5. Benedicti, n. 8. Columbani Regula per Gallias late fusa fuit, T. III. c. 24. n. 5. 6. 7. Præcelluit Regula S. Benedicti, n. 8. 9. 14. In Italia Principatum obtinuit, eamque universam perfudit a Bonifacii IV. tempore, id est, ab anno circiter 600. ad 700. & in Gallia ab anno 700. ad annum 800. n. 8. 12. 13. Antea vero nec veste aliqua singulari alii ab aliis Monachi distinguebantur: nec aliquæ erant Monachorum Congregationes, quæ unum ab aliis distinctum corpus conflarent, & singulari alicui Regulæ se profiterentur addictas: sed sub uno generali Monachorum ordine singula sibi seorsim constabant Monasteria, ab aliis haud pendentia; & ita suam singuli Regulam amplexabantur, ut alias non excluderent, sed multas simul aut omnes complecterentur, T. III. c. 24. n. 8. 9. 10. 13. 15. §. *Senescente*, & §. *Hinc est*. Jam tamen a medio sæculo septimo cœperunt pleraque Galliæ Monasteria Regulæ S. Benedicti se addicere, & medio octavo in Concilio Liptinensi jussi sunt eam profiteri Abbates universi, reque eam cum suis Monachis receperunt, c. 24. num. 11. Erant nihilominus adhuc initio noni sæculi Monasteria quædam, quæ secundum Regulam S. Benedicti non vivebant, cap. 25. num. 2. Etsi vero omnia aut fere omnia Galliæ Monasteria eo sæculo S. Benedicti Regulam jam profiterentur, iisque dicatur Benedictus Anianæ Abbas a Ludovico Pio præfectus fuisse: nulla tamen seu in Gallia seu in Italia erat Monachorum Congregatio, ita ut scilicet alia ab aliis penderent Monasteria, T. III. c. 25. n. 6. 8. Prima omnium fuit sub Bernone Abbate, olim Comite Congregatio Cluniacensis circa ann. 912. complexaque est ista brevi innumera Galliæ Monasteria & Abbatias, ita ut Monasteria illa & Abbates subessent unius Cluniacensis Abbatis imperio, *ibid.* & n. 10. Suum nihilominus per universum Occidentem servabat Principatum Abbas Cassinensis, Abbatumque Abbas vocabatur: Principatus autem iste erat solum honoris & dignitatis, non imperii, num. 6. Quanquam tamen non ita multo post conflatam Cluniacensem Congregationem facta quoque est aliqua Congregatio Cassinensis, T. III. c. 28. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Ut Clerus, ita & Monasticus Ordo stirpe Clodovæi concidente conciderat, & per Carolinæ familiæ Principes cœpit reflorescere; qua similiter concidente & iste rursus labefactatus est, reparandus tandem isto Cluniacensis Congregationis exortu, c. 25. n. 3. & 6. In Oriente autem sexto sæculo & deinceps frequentes erant Monachorum Exarchi seu Generales: atque ita dicebantur, qui unius alicujus regionis Monachis omnibus quarumcumque essent illi Regularum, præpositi erant, T. III. cap. 16. num. 13. Istis vero sub generali illo Præposito, & Abbate Congregationibus suus singulis erat Abbas, nisi forte quandiu quis aut Regulæ aut plurium extructor Monasteriorum superstes adhuc erat, c. 23. n. 11. 12. In Occidente vetat Veneta Synodus Abbatem unum pluribus præesse Monasteriis: sed eo id forte sensu, si singulis suus etiam non sit Abbas, n. 9. 11.

Monachorum vestes, tonsura, disciplina, studia.

Vestibus utebantur Monachi quibus esse possent despicatui hominibus, T. II. c. 37. n. 12.

Monaſteria.

Moneta.

testatem Notarios examinandi, & illos ad id delegat, n. 6. 7. Protonotarius olim in Aula Romana supra Episcopos sedebat, idque tandem Pius II. correxit, T. II. c. 114. n. 4.

Notarii Episcoporum.

Quid eis fas, aut nefas sit, vel fuerit olim exigere, aut accipere in negotio seu Ordinum, seu Beneficiorum, seu aliorum. T. VII. cap. 62. Ex Notarii emolumentis quidquam accipere Episcopi a Concilio Trident. vetantur. Ejusque decretum Comitia Cleri Gallicani ann. 1655. omnibus Regni Episcopis commendavere. Ita quoque Tolosanum ann. 1590. vetuit Concilium, ita Congregatio Concilii Tridentini, eod. cap. 62. num. 7. 8. 9.

Novales.

Novalium decimas Gregorius VII. solvi jubet, T. VII. c. 9. n. 4. Sic & Eboracense ann. 1194. Concilium, n. 6. Et Campiniacense ann. 1260. n. 10. Jure communi decimæ Novalium pertinent ad Parochos, ni aliqua obstet exceptio, T. VIII. c. 24. n. 2.

Novitiatus.

Regula S. Benedicti & pleræque antiquiores, item & utriusque Ecclesiæ antiqua Concilia & Justiniani leges Novitiatum in veste laica percurrendum statuunt, atque is adhuc usus tempore S. Bernardi obtinebat in Occidente, T. III. c. 48. n. 8. In aliquibus tamen saltem locis Orientis jam tempore Trullanæ Synodi cum Monachi veste decurrebatur, c. 25. n. 12. Tempus illud volunt Justiniani leges esse triennii, Benedictus unius saltem anni, *ibid.* Gregorius triennium ut ex more memorat, c. 45. n. 11. c. 53. n. 7. Concilium V. Aurelianense per triennium probari vult puellas, quæ in iis essent Monasteriis, unde poterat exiri, per annum vero quæ in iis unde exiri non poterat. c. 45. n. 3. Regulæ sanctorum Cæsarii, Ferreoli, Fructuosi & aliæ non paucæ potestatem Abbati faciunt tempus Novitiatus vel producendi vel contrahendi, prout viderit expedire, T. III. c. 48. n. 8. Bernardus ipse unius solum anni meminit, *ibid.* Et dudum ante eum Synodus Triburiensis, c. 46. n. 8. Finierat Honorius III. in quibus Monasteriis non differebant vestes Novitiorum & Professorum, Professos eo ipso censendos esse, quotquot uno amplius anno eas gestassent, c. 48. n. 4. Professionem Franciscanorum & Dominicanorum nullam esse voluit Alexander IV. quæ ante annum expletum emitteretur. Id Bonifacius VIII. ad omnem Mendicantium extendit, Concilium Tridentinum ad omnium prorsus Monachorum, sicut & Alexander III. ante præfatos illos Pontifices, T. III. c. 48. n. 5. §. *Ab eodem*, & n. 7. Hinc cum Gregorius XIII. Calendarium Romanum reformans, dies decem ex ann. 1582. amputasset, professiones in quibus decem isti dies pariter omissi sunt, nullæ esse declaratæ sunt, c. 55. n. 6.

Si quis Novitii suscepit vestem, venit solum cum animo experiendi vires suas, seseve probandi; potestatem ei faciunt Gregorius IX. & Innocentius III. sæculum repetendi, T. III. c. 48. n. 4. 5. Si vero eam prorsus cum animo induit sæculum deserendi & Religionem amplectendi; etsi nullæ eum leges possunt ad professionem cogere, negant tamen posse eum tuta conscientia recedere iidem illi duo Pontifices. S. Raimundus de Pennafort, Alexander IV. Anselmus & Lanfrancus Cantuarienses Episcopi, Bonifacius VIII. Alexander III. & Statuta Chartusiensia Guigonis, n. 4. 5. 6. 7. Id solum gratiæ ei concedunt Innocentius III. & Alexander III. laxiorem ut possit Religionem ingredi si illa cujus vestem & Novitiatum suscepit, non videtur ejus viribus accommodata, n. 5. & 7. Atque id quod de illo dictum est, qui vestem hanc eo animo susceperat, de eo quoque dicendum videtur, qui Novitiatum olim in veste laica, ubi hæc gestabatur, illo eodem animo egisset, eo quod Deo, qui ipsum vocavit, non possit inobedientem se gerere absque salutis suæ discrimine, n. 8. 9. 10.

Nuptiæ, v. tit. *Matrimonium*.

Saltationem in Christianorum nuptiis Laodicena Synodus prohibet, T. IX. c. 42. n. 18. Post nuptias initas jubentur fideles in Capitularibus Caroli Magni, & in Capitularibus item Herardi Turonensis Episcopi biduo vel triduo castitatem servare, T. II. c. 83. n. 11. Græcis unius saltem diei continentia indicebatur, n. 10. Ea tempore Balsamonis atque adeo 12. sæculo vigebat consuetudo, ut si triginta annos natus quisquam & bis conjugatus, & ex alterutra conjuge liberos habens, tertiam postea duceret, per quadriennium communione privaretur, n. 10. Secundas aut etiam plures nuptias etsi non prohibuere Patres Latini, ab iis tamen valde dehortati sunt fideles, easque solum ut indulgentiam suspexere, T. IV. c. 78. num. 10. 18. 20. 22. Iis quidem nuptiis Græci pœnitentiam imposuere, at illa non nuptiis ipsis affricabatur, sed innocentiæ ipsi cujus erant illæ remedium, n. 22. 23. Andegavense ann. 1448. Concilium illas fieri vetuit insultationes & intemperias, quæ a plebecula fieri solent adversus eos, qui secunda ineunt conjugia, T. IV. c. 83. n. 6. Nuptiis ac nuptialibus conviviis intererat nonnumquam S. Carolus Borromæus, ut tum

unus

ſed per Matutinum Laudes intelligit, c. 81. n. 3. Non ex Beneficii reditibus hæc Clericis ſuberat neceſſitas, ſed immo ſui iis reditus præſtabantur ut liberius iſtis Officiis, orationi & miniſterio Dei vacarent, cap. 73. n. 12. Jam tum horæ Canonicæ ab Hieronymo vocantur officia, etſi altero poſt ſæculo a dicto illo Concilio Venetico, n. 11. & 18. Privatim ab iis recitabantur Clericis, qui cum aliis eas in Choro recitare non potuerant, n. 12. Officii divini cantandi modum ab Eccleſia mutuati fuerant Monachi: at eum ab illis perfectiorem recepit ipſa, cum e Monachis aſſumpti ſunt Epiſcopi, c. 73. n. 13.

Veſperæ vocabantur alio nomine Lucernarium, eo quod deſinente die & accenſis lampadibus decantarentur. Edicit autem Concilium IV. Carthaginenſe, ut nonniſi in majore civitatis Eccleſia celebrarentur; aut ſi in oppidis, non tamen niſi præſente vel presbytero vel Diacono, T. II. c. 73. n. 16. Tria diſtinguebantur in Veſperis, Lucernarium, Veſperæ & Sonus. Lucernarium erat ſolemnis illa lampadum ad Veſperas ipſas accendendarum ceremonia cum oratione aliqua, ut & modo fit in Sabbato ſancto: Tum Veſperæ ſequebantur: Deinde in diebus feſtis & Paſchali tempore alta voce recitabatur Sonus, Pſalmus ſcilicet unicus, *Venite exultemus*, c. 76. n. 11.

De divino item Officio ſæculis 6. 7. & 8.

Sæculo ſexto, immo jam exeunte quinto rari e plebe præterquam in Feſtis & Dominicis diebus cœperant Horis adeſſe, T. II. c. 73. n. 13. At in iſtorumce dierum noctibus frequentes aderant, tum Nocturnis ipſis, media ſcilicet nocte, tum Matutinis, ſeu Laudibus, ſub ipſum diluculum, cap. 79. num. 1. 4. 5. 10. 12. Item & in noctibus ante Sabbatum, num. 12. Stantes autem iis videntur interfuiſſe, niſi eos ad ſedendum cogeret corporis infirmitas, cap. 79. num. 12. ut etiam paulo poſt de Officio ſub Imperio Caroli Magni dicetur. Cum e contra ſedentes ea recitarent Monachi Ægypti, ſed nempe ut qui erant diuturno labore fatigati, c. 71. n. 6. 8. 10. In Epaonenſi Concilio ſancitur, ut quem Metropolitani tenent divini Officii ordinem, teneant & ſubjecti iis Epiſcopi, T. II. c. 75. n. 1. *Officium* vocabatur & *Curſus* promiſcue tempore Gregorii Turonenſis, T. II. c. 75. n. 12. 14. §. *Divus*, & n. 15. Item dicebantur recitari ex Canone, num. 14. & 15. Multa de divinis Officiis ex Concilio II. Turonenſi. Vetat pauciores quam duodecim pſalmos ad Matutinum recitari: ei qui ſecus fecerit, unam ſolum eo die refectionem concedit, & quidem tum ad veſperam, tum ex pane ſolum & aqua. Addit, Et qui hoc facere contempſerit, una hebdomada panem cum aqua manducet, c. 75. n. 4. 6. Duodecim Pſalmos in Veſperis idem Concilium jubet recitari, n. 4. Qui Clerici non poterant Horas ſuas in Eccleſia perſolvere, eas privatim recitare tenebantur, c. 75. n. 6. 8. 9. c. 76. n. 3. 8. 9. 14. c. 78. n. 4. Idem infra mox dicetur reliquas Eccleſiæ ætates luſtrando. Ipſas quoque privatim perſolvebant, qui extra domum ſuam diverſabantur, cap. 75. num. 9. 12. Qui item in itinere poſiti erant, divinum perſolvebant Officium, & quidem noctu etiam ad illud ſurgebant, cap. 75. n. 13. c. 81. n. 8.

Erat locus pſallendo deſtinatus, qui & Lectorum Pſallentiumve Chorus dicebatur, ſcilicet pars illa, quæ a Cancellis Chori patebat verſus altare, T. II. c. 75. n. 7. Etſi vero illud erat inferiorum Clericorum munus proprium, quippe qui ab omni alio miniſterio liberi, ſtatis horis facile poterant canere, n. 8. non tamen ab Officio recitando liberi erant Sacerdotes majoreſve Clerici, n. 13. §. *Nec excidit*. Gregorius nolebat officium Cantoris a Diacono præſtari, ſed ſolum a Subdiacono, aliiſque, ſi neceſſitas poſtularet, Clericis inferioribus, c. 77. num. 6. Septem Horas meminit Iſidorus Hiſpalenſis, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas, Completorium, Vigilias, ſeu Nocturna, & Matutinum ſeu Laudes: haſque Horas ait ideo inſtitutas, ut qui ſine intermiſſione jubemur orare, ſi forte fuerimus aliquo opere detenti, ipſum nos ad officium tempus admoneat, c. 76. n. 1. Veſperas & Matutinum ſeu Laudes Tarraconenſe ann. 517. Concilium in ſingulis agreſtibus parochiis vult decantari. n. 2. In Braccharenſi Concilio edicitur, ut in tota Provincia teneretur Officiorum ordo, quem profuturus Braccharenſis Archiepiſcopus ab Apoſtolica Sede acceperat, c. 76. n. 3. Concilium IV. Toletanum Nationale omnes Hiſpaniæ Provincias, ac eas item Galliæ, quæ Gothis parebant, complectens, jubet unum in iis omnibus ſervari Officiorum ordinem, T. II. c. 76. n. 4. Id tamen non impetravit: nec amplius poſtulavit Concilium XI. Toletanum, quam ut eum quem Metropolis quæque tenebat ordinem, per totam ejus Provinciam ſingulaſve ei obnoxias Diœceſes teneretur, n. 13. Exeunte ſeptimo ſæculo Anglis afflagitantibus invectus eſt per totam Angliam Romanus ordo officiorum, c. 77. n. 4. 5. Illum juſſit Gregorius II. in Bavariam importari ab iis, quos eo dirigebat Concionatoribus Apoſtolicis, num.

lis sine peccato ita recitari, si ex somnolentia & deliciis id faciant. Nec plus æquo in eo videri debet Episcopus iste indulsisse, T. II. c. 86. n. 10. Memorat Matthæus Paris Anglicanum Leprosorum Hospitale a Monachis administratum, cujus ea lex erat, ut presbyteri summo diluculo Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam & Sextam recitarent, c. 91. num. 3. sub initium. Noctu adhuc toto sæculo decimo-tertio recitabatur Officium nocturnum, T. II. c. 85. n. 1. §. *Ab exemplis*, & §. *Parochorum*: Desiere Parisiis Collegia Canonicorum illud noctu recitare ann. 1358. Et qua occasione? Perstitit tamen semper ipsa Cathedralis ibidem Ecclesia in illo noctu recitando, n. 2. §. *Antequam*. Decantabatur adhuc in Ecclesia Trecensi media nocte ann. 1364. & capitali decreto sancitum est, ut ita pergeret decantari, c. 86. n. 5. Item adhuc & media nocte exsolvebatur Florentiæ tempore S. Antonini Archiepiscopi, qui ann. 1459. decessit, n. 4.

Ut jam in triplici ætate superiori observatum est, sic & in ista, qui Choro non possunt interesse Clerici, jussi sunt Officium privatim recitare, & iisdem etiam horis, T. II. c. 84. n. 3. 4. 5. 6. 7. 10. 12. 13. Immo Concilia sæculo decimo tertio & deinceps habita necessitatem Officii seu publice, seu privatim recitandi non tam astruunt, quam ut certam supponunt, dum videlicet quam pie recitandum sit edicunt; c. 85. n. 1. Concilium Lateranense ann. 1514. Beneficiarios omnes, qui sex mensibus post acceptum Beneficium Horas non persolverint, jubet fructus restituere, c. 85. n. 3. §. *Concilium*. Mediolanense I. & III. Concilium & Burdigalense decernunt eorum jam impetrabilia esse Beneficia, qui bis Horas intra dies quindecim prætermiserint, num. 4. A clericis vero majoribus, qui non sunt Beneficiarii, peccari tamen graviter & mortaliter, dum eas omittunt, Concilium I. Mediolanense & Aquilejense ann. 1596. Concilium declarant, ac eos graviter ab Episcopo plectendos denuntiant, *ibid.*

Omnes olim Clerici lege Officii recitandi constringebantur quia omnes erant Beneficiarii, quatenus omnes uni certæ Ecclesiæ erant addicti, ex qua sui eis suppeditabantur sumptus, T. II. c. 85. num. 2. *Ad fastidium*, & §. *Ceterum*. Postea huic legi cœpere subjici soli tum Clerici majores seu in sacris positi, tum Beneficiarii omnes proprie dicti, *ibid.* Prima mentio distinctionis illius sacrorum & non sacrorum Ordinum quoad hanc necessitatem occurrit pro Monachis apud Constitutiones Abbatum Provinciæ Narbonensis ann. 1222. pro Clericis vero apud Synodum Coloniensem ann. 1280. & Nemausensem ann. 1284. c. 85. n. 1. §. *Illud*. E Monachis tamen Innocentius III. solos eos, qui non sunt Clerici ab hac lege exemit, num. 7. §. *Ceterum*. Vetat Senonense ann. 1528. Concilium a quoquam suas privatim horas in Choro persolvi, dum a Choro publice recitantur. Excipit Coloniense ann. 1536. Concilium eos, quos gravis aliqua ministerii sui necessitas maturare cogit, T. II. c. 85. num. 3. §. *Anno*. Ab Officio recitando non eximi quemquam levibus morbo, febri, vel adversa valetudine declarat Mediolanense IV. Concilium, num. 4. Nulla est vel pinguium vel leviorum quantulorumcumque Beneficiorum distinctio in Officii recitandi necessitate, n. 5. Quo pluribus est quis ac gravioribus districtus occupationibus eo major est officii recitandi necessitas ex Bonaventura, n. 7. §. *Hic certe*. Unde nec uti voluit Xaverius data sibi potestate recitandi Breviarii Cardinalis Quignonii, cap. 84. num. 14. Quisquis in aliqua beneficiatus est Ecclesia, hunc astringit S. Thomas ad Officium recitandum secundum illius Ecclesiæ modum, cap. 85. n. 10. Memoriter olim Officia recitabantur c. 86. n. 7. Hispani in Jaccensi ann. 1060. Concilio expunctis Gothicæ linguæ Officiis Romana adscivère, T. VI. cap. 55. num. 13.

Complura Principum exempla, qui tum omnibus & nocturnis & diurnis intererant Officiis Canonicis, seu in Capellis suis, seu etiam in ipsa Ecclesia, tum horas omnes Canonicas recitabant, T. II. c. 87. toto, c. 88. n. 3. 4. 5. 6. Solebant olim in Germania Nobiles quendam e servis suis donare libertate, eumque Presbyterum instituere, ut in Oratorio suo Canonicas horas sibi recitaret. Istiusmodi usus sæculo 13. occurit, c. 88. num. 3. §. *Regula*, & n. 4. Etiamnum apud Græcos e Laicis multi Breviarium aut ut vocant Horologium recitant, n. 7. Dominicis festisque diebus secunda post mediam noctem hora plebs apud eos ad Ecclesiam convolat, *ibid.* Maronitæ laici media nocte frequentes Ecclesiam adeunt, nocturnis Officiis adfuturi. Laici Cophti se ad Officium Cononicum teneri existimant, *ibid.*

De Breviario, de Officio B. Mariæ & de Officio Mortuorum.

Breviarium hodiernum venit a Franciscanis, qui illud a Capella Papæ acceperunt: quod ut brevius, ita ipsis, quippe positis in Missionibus Apostolicis, commodius erat. Et ex eo Breviarii nomen contraxit, quod Officium Ca-

proscindebant, agros colebant, sylvas succidebant, n. 10. Chartusiani in libris exscribendis toti erant, n. 8. Nec Cluniacenses omnino ab opere cessabant, *ibid.* Opus omnium vel ipsis laborantibus utilissimum est sacrorum vel piorum librorum exscriptio, n. 6. 8. §. *Cum*. Contendebat Bernardus laborem manuum lege omnibus prorsus Monachis impositum esse, nec quomodocunque, sed absoluta prorsus necessitate victum ita quærendi, n. 2. 3. Contrarium Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis multis evincit rationibus, n. 6. 7. 8. Aliæ rationes n. 9.

De eodem rursus ab anno 1200.

Franciscanam Congregationem suam defendit Bonaventura ab iis Theologis, qui eam ad laborem manuum volebant adigere: immo quam a labore nec cessaret ostendit T. IX. c. 16. n. 3. Suam similiter ab iisdem impetitam defendit Sanctus Thomas, num. 4. Wiclefus & Lutherus ad laborem manuum Mendicantes Religiosos teneri pugnavere. At illum Synodus Londinensis & Constantiensis, illum Leo X. damnavere, n. 6. Quæ fuit istarum Synodorum, eadem eruitur fuisse Tridentinæ sententia, *ibid.* §. *In*. Non succensendum Monachis jam non laborantibus, dum piis occupationibus æquare nituntur decus laboris, quo Majores eorum inclaruere T. IX. c. 15. num. 3. Orientalibus Monachis fuit semper & etiamnum est usitatissimus labor manuum: at & sunt densioribus ignorantiæ tenebris insepulti, c. 16. n. 8.

De manuali Clericorum opere per omnia hactenus Ecclesiæ sæcula.

Haud erat Clericis ulla lex laboris indicta primis quinque sæculis, Carthaginensis ea super re Canon explicatur, T. IX. c. 8. n. 2. ad n. 9. Episcopi nihilominus & Clerici complures ultro manibus sæculis iisdem laboravere, c. 9. toto. Nulla item lex Clericos tribus sequentibus sæculis operi manuum addicebat. Nec raro tamen ei se ipsi, quin & Episcopi addicebant, c. 10. n. 1. 2. 3. 4. Explicantur Canon Turonensis & Aurelianensis Canon illos ei in speciem subjicientes, cap. 10. num. 5. 6. Similiter sub Imperio Caroli Magni & stirpis ejus non coguntur ad opus manuum Clerici, sed multis ad illud invitantur rationibus, c. 12. Nec defuere post annum etiam millesimum Episcopi nec Clericorum Congregationes labori manuum vacantes, c. 14. n. 1. 3. 4. Laborabant certis horis Canonici San-Victorini Parisienses, c. 15. n. 11. Legitur & etiam ea post annum millesimum ætate præscriptus aliis Clericis labor manuum, sive ab Episcopis, sive a Conciliis: at ii solum Clerici, qui non possent aliunde victum sibi parare; aut si aliquando & divitibus etiam Clericis, solum ut molle otium fugiant, c. 14. n. 5.

Paucis tota contexitur historia quæstionis de labore manuum seu in Clericis, seu in Monachis, a primis usque Ecclesiæ sæculis per tredecim capita versatæ, T. IX. c. 16. n. 7.

Oratio Dominica.

Orationem Dominicam si quis vel in publico vel in privato Officio prætermitteret Clericus, a Concilio IV. Toletano jubetur Ordinis sui officio abdicari, T. II. cap. 76. num. 8. In Conventu Abbatum sub Ludovico Pio statutum est, ut genuflexo cantaretur in Missa, cap. 82. num. 8.

Oratoria domestica, v. tit. *Capella*.

De iis usque ad Caroli Magni tempus.

Concilium Laodicenum vetuit in domibus privatis offerri sacrificium, sive a Presbyteris, sive ab Episcopis, T. II. c. 92. n. 8. Id intelligendum forte de domibus, quæ in iis sunt locis, ubi sunt Ecclesiæ, *ibid.* Nam hortabatur e contra Chrysostomus Nobiles ac divites, ut ruri in domibus suis Capellas extruerent, ac Presbyterum apud se nutrirent, qui ibi Dominicis diebus Missam celebraret, aliisque diebus Officia divina recitaret, num. 9. In domesticis Oratoriis Justinianus vetuit Missam celebrari, c. 93. n. 3. Vim aut non habuit, aut diu non habuit hæc ejus Constitutio. Trullanæ enim Synodi temporibus sua erant Magnatibus intra suas ædes Oratoria, ubi Missa celebrabatur: & ibi solum Baptismum administrari, nisi ex Episcopi licentia prohibet ista Synodus, num. 5. In ædium suarum Oratoriis Episcopi, seu in Oriente, seu in Occidente Missam celebrabant, num. 6. 7. In Magnatum quoque domibus tempore Gregorii Sacra fiebant, nec indignabatur, cap. 93. num. 6.

De iisdem sub Imperio Caroli Magni.

Oratorium, seu Capellam in qua scilicet Missa diceretur, noluit tamen Carolus Magnus habere sine Episcoporum licentia, T. II. cap. 95. num. 5. Eo nihilominus res jam paulo post venerat, ut in Gallia nobilis & honoratus fere quisque suum apud se Presbyterum Capellanumve haberet, qui sibi & Mysteria celebraret, & divina Officia recitaret, num. 12. Id in Italis eodem tempore Concilium Ticinense laudabat, T. II. cap. 95. num. 11. T. IV. cap. 35. num. 6. At tanto despectui erant Gallis sui illi domestici Capellani & presbyteri, ut iis ad vilissima & abjectissima quæque ministeria uterentur, T. II. c. 95. n. 12. c. 112. n. 7.

Eo-

Eodem ævo & deinceps sua quoque Græcis communiter erant Oratoria domestica: sed in quibus Missam sibi celebrandam curare non poterant nisi impetratis ab Episcopo Ministris, T. II. c. *96.* n. 1. At Leo Sapiens Imperator edixit tandem haud requirendum in iis deinceps Episcopi consensum, seu ad Missam celebrandam, seu ad Baptismum administrandum (qua una in re consensum Episcopi & Presbyteros ab eo delegatos expectari voluerat Trullana Synodus) posseque hæc cuique sibi per presbyterum quemque præstari, n. 2. Ex illa Leonis Constitutione non jam Græci requirebant consensum Episcopi sui, implicitusque iis sufficiebat ejus consensus, in eo positus, quod in istis Oratoriis domesticis sacra Mysteria fierent solum in mappis ab Episcopo consecratis, n. 3. Mappæ autem istæ erant segmenta mappæ istius, qua dum Episcopus Ecclesiam aliquam dedicaverat, altare ejus fuerat obvolutum. Erant videlicet istæ Græcis instar altarium portatilium & locum supplebant Reliquiarum Martyrum. Vocantur & Antimensia, T. I. c. *96.* n. 3. 7. 8. Is adhuc erat apud eos usus sæculo duodecimo, n. *9.* Poterat illa hujusmodi Oratoriorum apud Græcos multitudo ex eo profecta esse, quod apud eos olim nec esset nisi altare unum in unaquaque Ecclesia, nec nisi, quem usum adhuc retinent, una Missa in uno altari posset eodem die celebrari. Ex qua fiebat, ut ex tanta hominum multitudine multi non possent sacrificio interesse, n. 4.

Oratoria ruris, v. tit. *Capella*.

Oratoriis ruris quibusdam nulli erant sui Presbyteri, sed eo mittebantur, qui Missam cum opus esset celebrarent: aliæ vero erant quibus licet etiam in ipsis Magnatum castellis, agrisve eorum proximis sui erant presbyteri intitulati, qui & ibi de reditu istis Oratoriis assignato viverent: adeo ut vera essent Clericis istis Beneficia, T. II. cap.*93.* n. 7. 10. 11. 12. 13. c. *94.* n. 1. Diebus tamen anni solemnioribus Ecclesias suas Parochiales seu urbanas adire jubebantur isti Nobiles ab Agathensi Concilio, ut missæ interessent, c. *94.* num. 1. Immo & omnibus diebus Festis & Dominicis postmodum sanxere Capitularia Caroli Magni ab omnibus conveniri Ecclesias Parochiales, c. *95.* n. 7. Nisi si & Oratoria illa Parochiales erant Ecclesiæ: talia enim non deerant in domibus aut agris potentum Oratoria, cap.*94.* num. 4. Plura sensim in Parochias evasere, *ibid.* Quæcumque illa essent, non poterant iis addici a Patronis presbyteri vel Clerici, nisi quos Episcopus in iis institueret, n. 3. 7.

Ordines.

Vide adhuc singulos in suis sigillatim titulis *Ordines.*

De eorum numero apud Græcos.

Canones dicti Apostolici & Constitutiones dictæ item Apostolicæ e quatuor nostris minoribus Ordinibus solum meminere Lectorem. Nam etsi de Exorcista loquuntur, eum negant Ordinatione fieri. Cantorem addidere, at de ejus Ordinatione nihil habent, cum Lectorum referant Ordinationem, T. II. c. 30. n. 1. Post Subdiaconos subjicit Ignatius Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes (seu fossores, qui scilicet humandis defunctis operam dabant) & Exorcistas, nihil de Acolythis. Epiphanius Lectores annumerat superioribus reliquis Ordinibus: postea numerat Exorcistas, linguarum interpretes, Laborantes & Janitores; nihil de Acolythis, c. 30. n. 2. Concilium Antiochenum meminit Ordinationis Exorcistæ, quam ut & Lectoris & subdiaconi permittit Chorepiscopis, n. 3. De Acolythis nihil apud Græcos sive primis sæculis sive sequentibus, n. 4. Apud eos soli Episcopus, presbyter, Diaconus & subdiaconus proprie dicta fiunt impositione manus, T. II. c. 40. n. 8. *9.* Nam quam adhibent in creandis Lectoribus impositio manus, haud aliud est quam ipsa illorum attonsio per modum crucis, quæ utique absque manus appositione fieri nequit, c. 32. n. 3. c. 40. n. 11. Subdiaconatus apud eos nondum est e sacris Ordinibus, c. 42. num. *6.* Minorum nostrorum ministeria vel Lectoribus vel Cantoribus vel Subdiaconis suis demandant, *ibid.* Videtur unus esse apud eos Ordo Lectoratus & Cantoratus, *ibid.* A Græcis Episcopis Ecclesiæ Romanæ subjectis jussit Innocentius IV. minores quatuor Ordines deinceps conferri, T. IV. c. 87. n. 10.

De eorum numero apud Latinos.

Tertullianus ex inferioribus Ordinibus Exorcistas commemorat & Lectores, Subdiaconum; Lectorem & Acolytum Cyprianus, T. II. c. 30. n. 5. Nihil iste de Ostiariis & Exorcistis, forte quod Ostiariorum munus laicis, Exorcistarum vero superioribus crederet Clericis, num. 8. Cornelius Papa tertio eodem sæculo enumerat in Ecclesia Romana post superiores Ordines Subdiaconos 7. Acolythos 24. Exorcistas, Lectores, & Ostiarios 52. ut proinde in ea fuerint isti Ordines a prima ejus origine, num. 9. Quatuor istos eosdem cum Subdiaconatu memorat Concilium IV. Carthaginense, ac ritum Ordinationis eorum refert, qui est sine impositione manuum & per porrectionem instrumentorum iis propriorum,

rum, cum trium superiorum Ordinationem referat per impositionem manuum. Loquitur & de Cantore, & eum quidem haber inter Clericos, at forte magis ut Officium quam ut Ordinem, neque eum officium vocat, & tales immo initio fuerunt minores Ordines, T. II. c. 30. n. 10. c. 35. n. 2. Gradus tum maxime fiebat ad minores Ordines & ab his ad majores per Martyrium, c. 30. n. 2. Minorum quatuor Ordinum functiones jam sæculo decimo-quinto laicis mandatas doluit Tridentina Synodus: optavitque ut in qualibet Ecclesia Cathedrali, Collegiali, & Parochiali proventus certi his functionibus per Clericos exercendis assignarentur, quod & multa deinceps firmavere Concilia, c. 33. n. 11.

De Ordinum natura.

Nomina Episcopi, presbyteri, & Diaconi fuerunt initio eorundem communia, T. I. c. 51. n. 1. Uniformis Conciliorum & Patrum loquendi ratio de tribus illis Ordinibus, quos eorum nulli non memorant; cum de ceterorum singulis tam multi vel non loquantur vel inter se dissideant: argumento est illos non istos ab iis habitos fuisse divinæ institutionis, T. II. c. 30. n. 4. Hinc inferiores illi Ordines non omnes eidem homini antiquitus soliti erant conferri: fuereque nonnulli aliquando laici in Diaconos omissis aliis Ordinibus inaugurati: cujus rei non alia subest ratio, nisi quod inferiores illi alii mera solum haberentur officia, *ibid.* possunt tamen & isti aliquo sensu dici divinæ institutionis, quatenus in Diaconatu, qui ipse divinæ est institutionis, & cujus sunt veluti decerptæ portiones, tanquam in fonte & origine sua concluduntur; & quatenus Christus ita Sacerdotii sui plenitudinem Apostolis infudit, ut potestatem iis fecerit illius tum in successores suos transfundendi, tum seu per se, seu per alios distribuendi in gradus multiplices, prout Ecclesiæ ordo, decor, & gubernatio postularet, T. I. c. 51. n. 10. T. II. c. 30. n. 4. cap. 33. n. 4. 5. 6. Hinc honori olim habebant ipsi Magnates si vel inferioribus donarentur Ordinibus, T. II. cap. 30. num. 11. 13. Quantum vellet Carolus Magnus honorem haberi quibuslibet Ordinibus, cap. 32. n. 6. Ut Christus omnes aliqua ratione dici potest Ordines exercuisse, c. 36. n. 18. c. 17. n. 8. Omnes olim Ordines totidem erant Beneficia: quique enim iis erant initiati, erant in Canone, seu Matricula Ecclesiæ, proindeque & Ecclesiæ sumptibus erant alendi, T. II. c. 34. n. 3.

De ætate singulis Ordinibus suscipiendis necessaria, T. II. c. 67. ad c. 71. Et primum de priorum quinque sæculorum usu.

Iis qui nomen Christianæ militiæ dantes, se sacris devovebant altaribus, sive infantes ii essent, sive ætatis provectioris, Lectoratus simul a Baptismo ipso conferebatur, T. II. c. 67. n. 1. 2. Adeo ut sive in Occidente sive in Oriente conferretur infantibus, etiam ante pubertatis annos, seu anno ætatis circiter octavo, n. 1. 5. 6. 7. Qui sic vero ab infantia Lectores creati fuerant, fiebant Acolythi vel Subdiaconi anno ætatis vigesimo, Diaconi trigesimo, Presbyteri trigesimo quinto, Episcopi quadragesimo quinto, num. 1. In iis autem, qui a Baptismo quidem Lectores creati fuerant, sed provectioris jam ætatis, non tam longa inter singulos Ordines intervalla poterant observari, observabanturve, T. II. cap. 67. n. 2. 3. In Oriente annum ætatis 30. presbyteratui Concilium Neocæsariense præfinit, n. 8. Sæpe accelerabatur tempus unicuique Ordini suscipiendo præfixum; sed tum id fiebat in gratiam eorum, qui præstantioris erant meriti, tum non fiebat eorum petitione, cum immo reluctarentur, sed Episcoporum ipsorum imperio. Varia istius rei exempla, n. 8. 9. 10. in his Remigius, qui & Deo quidem adprobante fit anno ætatis 22. Remensis Episcopus, c. 67. n. 9. c. 68. n. 1.

Inde ad annum usque millesimum.

Per tria quinque sequentia sæcula Lectores similiter perhibentur admodum juvenes creati. Hos a primis infantiæ annis Concilium II. Toletanum fieri permittit, T. II. c. 68. n. 2. Refertur Cæsarius postea Episcopus Arelatensis, factus Lector inter ipsa infantiæ rudimenta, n. 1. Eugenius I. Papa a teneris unguiculis, & ut legitur, a cunabulis, n. 3. Et sub Imperio Caroli Magni infantes, ex quo legere noverant, c. 69. num. 1. Quidam in Oriente anno quinto & sexto, cap. 68. n. 5. Jam satis communiter illis sæculis Presbyteri fiebant anno ætatis trigesimo. Hunc præscribunt Concilium Agathense, Concilium IV. Arelatense, Concilium II. Toletanum, Trullana Synodus, c. 68. n. 1. 2. 5. Sed & in Episcopis non plures exigunt annos Agathense illud & illud Arelatense, num. 1. Extra Ordinem vero nec sine cœlesti monitu factum haberi debet, quod Theodorus Siceota, postea Anastasiopoleos Episcopus Presbyter factus est anno ætatis decimo octavo a cognomine Theodosio Anastasiopoleos item Episcopo, n. 10. Primus concessisse legitur a Bonifacio Zacharias Papa, ut si necessitas postularet, Presbyteros anno ætatis vigesimo-quinto crearet, T. II. cap. 68. n. 1. Perrexit tamen communiter sub imperio Caroli Magni & ejus stirpis expectari in Presbyteris annus

annus trigesimus. Hunc exigunt ejus Capitularia, Concilium Francfordiense, Concilium III. Turonense, & hic in Oriente expectabantur, c. *69.* n. 1. 4. Præmaturæ & portentosæ Hugonis Episcopi Remensis, Theophylacti Patriarchæ CP. & Joannis XII. Papæ seu electiones, seu consecrationes, c. *69.* num. 2. 3. Item & Benedicti IX. sæculo undecimo pueri decennis aut duodecennis, c. 70. n. 1. A sexto sæculo Diaconi satis communiter anno ætatis vigesimo quinto ordinabantur. Ita fieri jubent Concilia Agathense, Aurelianense III. Toletanum IV. Trullanum & Justinianus, cap. *68.* num. 2. 5. Cum in Conciliis vetantur ordinari seu Diaconi seu alii ante conversionem: idem est ac si diceretur ante continentiæ morumque probationem, cap. 68. num. 1.

De ætate Ordinibus suscipiendis necessaria post annum millesimum.

Concilia undecimi sæculi annum ætatis trigesimum presbyteratui adhuc præfiniebant: & is erat referente Petro Damiani, usus illius temporis: nec nisi in summa necessitate illum anno vigesimo-quinto conferri posse Rotomagense ejusdem sæculi Concilium concedit, T. II. cap. 70. num. 1. Et eo tamen ac sequenti sæculo Subdiaconatus anno ætatis 15. & 14. conferebatur: Conciliis id solum caventibus, ne tempus illud anteverteretur, c. 70. n. 1. §. *Concilium*, num. 3. §. *Hugo*. Post medium sæculum duodecimum is demum obrepsit usus, ut anno vigesimo quinto presbyteri crearentur, Episcopatuique, ut etiam antea, annus trigesimus sufficiebat, num. 3. Queritur eodem sæculo Balsamon pueros in Oriente sex annorum, immo & aliquando necdum trium Lectores creari solitos, cap. *69.* num. 1. Sæculo XIV. firmavit decreto suo Concilium Viennense consuetudinem quæ tunc invaluerat de Subdiaconorum anno decimo-octavo, Diaconorum vigesimo, & presbyterorum vigesimo quinto ordinandorum, cap. 70. num. 5. præfiniit tandem superiore sæculo Tridentina Synodus Subdiaconatui annum 22. Diaconatui 23. & presbyteratui 25. num. 7. Annum 30. presbyteratui præfixere Aurelianensia Comitia, sed res Edicto Blesensi postmodum ad annum 25. revocara est. Eodem edicto annus 27. Episcopatui sufficere declaratus est, cum annum æque 30. ei Comitia præstituissent Aurelianensia, T. II. cap. 70. num. 8. §. *Aurelianensia.* De Tonsuræ & minorum Ordinum ætate nihil sanxit Concilium Tridentinum: Potest autem ex Congregatione ejusdem Concilii Tonsura haberi septimo ætatis anno completo. Possunt & eadem ætate ex generali consuetudine & Romano ipso Pontificali minores haberi Ordines, n. 10. Etsi aliqua post Tridentinum etiam habita Concilia duodecimum vel etiam decimum-quartum Tonsuræ ipsi annum præfixerint, num. 8. §. *Prohibuit*. Poterant olim in ætate Ordinibus & Beneficiis necessaria Episcopi dispensare ac id jam ex Concilio Viennensi revocatum est ad Romanum Pontificem: etsi adhuc aliquandiu nonnulli perrexerunt Episcopi has exhibere dispensationes. Ideo autem ad Romanum Pontificem revocatæ sunt, quod non eas Episcopi ex æquitate & necessitate dirigerent, num. 4. §. *Nec*, num. 8. §. *Concilium.*

De interstitiis Ordinum: ubi an aliqui possint omitti, vel aliqui possint eodem die conferri.

Interstitia inter Odines servanda edicebantur antiquitus tum apud Græcos, apud quos tamen quanta essent ignoratur, T. II. cap. 36. num. 2. 3. 11. tum apud Latinos, apud quos diuturna erant, n. 4. *& seqq.* & T. IV. cap. 86. num. 11. cap. 87. num. 7. Quæ si a quoquam per fraudem prætermittebantur, dicebatur is *per saltum* ordinari, T. II. cap. 36. num. 6. 7. Ea autem erat lex priorum sæculorum, ut cum anno solum trigesimo Diaconatus obtineretur, inde quinquennium usque ad Presbyteratum decurreretur, & ab isto decennium ad Episcopatum usque, cap. 36. n. 4. 5. 6. 7. Nec ab hac lege Monachi eximebantur, num. 6. Primus de statis interstitiorum intervallis remisit Gelasius; at in illarum solum Ecclesiarum gratiam, quæ ex bellorum infestatione, Clericorum summa laborarent inopia, cap. 36. num. 9. In his ergo permisit ut Monachi decursis per annum unum variis officiis aut Ordinibus expleto anno illo in Presbyteros promoverentur. Laici vero probatæ vitæ sex adhuc menses anno illi adjicerent: tumque Presbyteratu donarentur, num. 10. Stata prorsus non erant minorum Ordinum interstitia: vulgo tamen ætate Siricii, qui cum Baptismo se a tenella ætate devovebant obsequiis Ecclesiæ, Lectoratum ab infantia illa ad pubertatem obibant, a pubertate vero seu ab anno circiter decimo obibant Acolythatum & Subdiaconatum usque ad annum trigesimum, quo Diaconi creabantur, cap. 36. num. 4. Qui autem adulta jam ætate ad Baptismum & Clerum se conferebant, statim a Baptismi tempore Lectores creabantur aut Exorcistæ, in eoque Lectorum vel Exorcistarum studio biennium decurrebant, quinquennio postea in Acolythorum & Subdiaconorum Ordine mili-

dectio Presbyterorum, atque adeo & inferiorum Clericorum: nisi quod populus poterat ordinationi intercedere, si quæ nota sibi esset hominis irregularitas, T. IV. c. 34. n. 10. 11. Ordinatoris Episcopi Ministris summa pecuniæ nec modica solvebatur in Oriente tempore Justiniani ab eo, qui ordinabatur sive Episcopus sive Clericus, T. VII. c. 56. n. 3. 4. Ipsi item Ordinatori Episcopo tempore Isaaci Comneni Imperatoris aureus unus ab eo solvebatur qui Clericus vel Lector fiebat, tres ab eo, qui Diaconus, tres item ab eo qui Presbyter, c. 59. n. 5. Ordinari *per saltum* dicebatur olim non is modo qui aliquem Ordinem superiorem inferiori alio prætermisso suscipiebat, quæ hodierna est vocis illius significatio, sed & is qui statuta non decurrebat Ordinum interstitia, T. II. cap. 36. n. 6. 7. Quæ illicitæ solum olim erant Ordinationes nec tamen invalidæ, dici nihilominus solebant irritæ & nullæ: & quare: T. IV. c. 65. n. 6. Frequenter primis sæculis vis inferebatur viris pietate conspicuis, ut ordinarentur, T. II. c. 36. n. 15. 19. T. V. c. 2. n. 11. 12. 13. 14. 15. Validæ hæ habebantur, & quare? T. V. cap. 2. n. 12. 13. Non tamen si homo intelligeretur prorsus repugnare, n. 16. Prohibitæ sunt tandem istiusmodi Ordinationes, *ibid.* Cogi tamen posse ad sacros Ordines ab Episcopo Beneficiarios, non eos solum quorum Beneficio alligatus sit Ordo sacer, sed & alios ubi postulat necessitas, plura ab hinc sæculo duodecimo declaravere Concilia, T. IV. c. 87. n. 14. 15. Exempla Ordinationum hominibus etiam incogitantibus impensarum, T. II. c. 36. num. 14. Nullum in Oriente præfixum est anni tempus Ordinibus celebrandis. In Occidente vero etsi jam S. Leonis tempore quatuor erant anni tempora, nondum iis tamen affixæ erant Ordinationes, sed qualibet die Dominica, id est, tum vespertino Sabbati tempore, tum matutino Dominicæ, jejunio totius Sabbati eo usque protracto conferri poterant. At inter Leonis & Gelasii Pontificatum, quod singulis fiebat Sabbatis, fieri cœpit in Occidente solis solum quatuor Temporum Sabbatis, vespere scilicet, aut diei Dominicæ matutino tempore perducto, ut dictum est, eo usque Sabbati jejunio, T. IV. c. 87. n. 13. T. V. c. 12. n. 11. 12. Possunt tamen illis etiam temporibus Ordines minores conferri, immo & adhuc Gelasii tempore Subdiaconatus ita conferebatur, T. IV. c. 87. n. 13. At ad sacros Ordines alio tempore celebrandos solus dispensare potest Romanus Pontifex, n. 9.

A quo quis debeat ordinari.

Sardicensis Synodus edicit, ut nullus Episcopus laicum ordinet alterius Episcopi, idque firmatur etiam in Concilio I. Carthaginensi a Grato Carthaginensi Episcopo, qui Synodo illi adfuerat, T. IV. cap. 1. num. 1. Concilia tamen alia & Romani Pontifices per prima octo sæcula, seu in Occidente, seu in Oriente, non tam cavebant, ut ab aliquo Episcopo non ordinaretur laicus alienus, quam ne ab eo Clericus alienus ordinetur, cap. 1. num. 1. 7. cap. 3. num. 1. 2. 5. Immo hanc Concilia potestatem alieni laici ordinandi liberam Episcopo faciunt, & exempla firmant, c. 1. n. 2. 5. 8. 9. c. 2. n. 1. 2. 3. 5. Cum vero quis laicum quempiam, seu suum, seu alienum ordinaverat, jam fiebat ille istius Episcopi Clericus, nec ab alio deinceps poterat ordinari; ut proinde per prima illa octo sæcula ordinatione magis quam origine & domicilio Clerici Episcopo astringerentur, T. IV. c. 1. num. 1. 2. 5. 7. c. 2. n. 7. c. 3. n. 1. 2. 5. c. 4. n. 2. Nisi quis ab illo fuisset ordinatus invitus, ac in ordinatione sua contestatus fuisset nolle se Ecclesiæ Episcopi illius addici, tunc enim liber sibi manebat, c. 2. n. 1. 6. Sed & si quis ab uno jam ordinatus Episcopo, ab alio deinceps ordinabatur, aut ab alio recipiebatur, poterat semper a primo illo repeti, c. 1. n. 2. c. 2. n. 7. c. 3. n. 1. 3. c. 4. n. 8. 14. §. *Fortunatus*. Pœnasque dabat Episcopus ipse posterior, qui eum in Ecclesia sua promoverat, c. 3. n. 1. 4. c. 19. n. 2. Quin nec alicujus Episcopi Clericus ab alia Ecclesia in Episcopum electus poterat ab inviti illius Episcopi sui Ecclesias recedere Ecclesiæ illius adeundæ causa, T. IV. c. 4. num. 14. c. 20. n. 3. 4.

Qui dictus est fuisse per prima octo sæcula usus totius Ecclesiæ, is per totum Caroli Magni & ejus stirpis Imperium perseveravit; nec vel origine vel Baptismo vel domicilio, sed ordinatione sua Clerici subjiciebantur Episcopo, T. IV. c. 5. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 10. 11. 12. Quod si ab uno quis ordinatus Episcopo, ab altero jam ordinabatur vel suscipiebatur; pœnas quoque dabat secundus iste Episcopus, c. 5. n. 1. 2. 3. Nec in Episcopum quidem ab aliqua Ecclesia electus Clericus poterat eam adire absque ejus Episcopi assensu, a quo Clericus fuerat ordinatus, c. 5. n. 5. Perseveravitque ad annum usque millesimum usus ille, quo subjiciebantur Episcopo Clerici non ratione vel originis, vel baptismi, vel domicilii, sed ordinationis, T. IV. c. 5. n. 6. 12. Nonnulla tamen nono jam sæculo occurrunt exempla & statuta, quibus ratio

tio habebatur originis & baptismi, sed ea rara sunt, nec admodum in usu fuere statuta hujusmodi, c. 5. n. 7. 8.

Ab anno jam millesimo in Ordinibus conferendis cœpta est non amplius haberi ratio prioris ordinationis, sed originis, T. IV. c. 7. num. 1. 2. 3. Addiit Clemens IV. vel *Beneficii*, seu loci in quo quis Beneficiatus existat, c. 7. n. 4. Addit adhuc Bonifacius VIII. & alii, vel *domicilii*, *ibid.* Et quidem decennale sit illud domicilium exigit Concilium IV. Mediolanense, id quod & aliis deinceps placuit: nisi quod Tridentino Concilio sufficit, si quis per triennium sit cum Episcopo commoratus, T. IV. c. 7. n. 5. Tribus istis titulis ordinationis, Beneficii & domicilii additur ex Jure communi & locus ipse baptismi, si quis scilicet alibi natus, alibi baptizatus sit, num. 10. Statuta Congregationis Concilii Tridentini super Episcopo a quo quis possit ordinari, n. 6. Etsi vero e quatuor istis titulis possit quis eum, quem voluerit eligere: Comitia tamen Generalia Cleri Gallicani ann. 1655. ut omnia prævertantur mala, omnes Galliæ Episcopos hortata sunt, tum ne esset cuique nisi unus Episcopus, a quo posset ordinari, tum ne alios quilibet ordinaret Episcopus, quam ex Diœcesi sua oriundos, T. IV. c. 7. n. 11. Pati nihilominus videtur hodierna Galliæ Jurisprudentia, ut Canonici Cathedralium & Parochi possint a Beneficii sui Episcopo ordinari, c. 7. n. 5. §. *In.* Cum ante Concilium Tridentinum posset Abbas Monachos suos Ordinibus & Dimissoriis indicta causa, & propter occulta crimina frustrare, non autem suos Episcopus Clericos nisi propter publica scelera: potestatem tandem illud fecit Episcopo Clericos suos & Ordinibus & Dimissoriis indicta frustrandi causa. Ex quo sequitur, ut si quos nolit ordinare, non possint isti ad superius Tribunal provocare, T. IV. c. 8. n. 5. 6. §. *Ideo* & §. *Hinc.* Si tamen non de meris agitur Ordinibus, sed de homine, qui Beneficium, aut Ecclesiasticam obtinet dignitatem, huic si Ordines aut Dimissorias recuset Episcopus, necesse est ex Barbosa Rotæ consensum allegante, causas recusatorias proferat: aut ex Fagnano Datariæ Romanæ usum afferente, si causæ recusationis negentur ab Episcopo, potest is cujus interest, Romanum Pontificem adire, qui causas illas reddi & expendi curabit, n. 6. 10. Ut apud Armenos ante ordinationem suam quisque sua debet confiteri peccata: interrogatur postmodum uniuscujusque Confessarius ab Episcopo, sit ne Ordine sacro ille dignus. Negat vero eum iste Confessarius Ordine dignum, si carnis peccatum aliquod sit ei in confessione consignatum, tumque homo ille Ordine sacro recipiendo prohibetur, T. IV. c. 8. n. 8.

De Titulo Ordinationis.

Ordinabatur olim nemo, nequidem e minoribus Clericis, nisi ad alicujus Ecclesiæ vel Altaris titulum, qui deinceps erat ei loco Beneficii, & cujus similiter ministerio ipse deinceps alligabatur, T. IV. cap. 9. n. 3. 4. 8. Irrita erat quæcumque Ordinatio fiebat sine titulo: sique ita ordinatus quispiam sacris se functionibus inserebat, evadebat irregularis, n. 1. 11. §. *Innovantur.* Cœpit postmodum in Londinensi anno 1125. Concilio necessitas tituli ad Presbyteros & Diaconos arctari: Id quod imitata est Synodus III. Lateranensis sub Alexandro III. anno 1179. At ejus Canonem Londinense anno 1200. Concilium ad Subdiaconos etiam, qui mos est hodiernus, ampliavit, c. 6. n. 1. §. *In Concilio,* & num. 3. Beneficium fuit semper ac etiam nunc est Canonicus ad Ordinem Titulus. At Titulus patrimonii ex dispensatione admissus est a tempore Concilii III. Lateranensis sub Alexandro III. ex eo quod in eo statutum est, ut si Episcopus Presbyterum vel Diaconum sine sufficienti titulo ordinaret, necessaria ei suppeditaret alimenta, donec ei conferret Beneficium aliquod, nisi qui ordinatus fuit, sui se patrimonii sumptibus alere possit, T. IV. tit. 9. n. 1. §. *In Concilio*, n. 5. 11. §. *Suppetunt.* Et primo quidem non majorem quam centum solidorum Turonensium titulum patrimonii exegit Biterrense anno 1223. Concilium, vicenarum librarum Parisiensium eum esse voluit Senonense anni 1258. Edictum Aurelianense 50. librarum, cum modo, ut majus est rerum pretium, centum vel 150. requirantur in aliis aliisque Diœcesibus, T. IV. c. 9. n. 5.

Quibus ergo neuter adest vel Beneficii vel patrimonii titulus: hos si promoveat Episcopus ad subdiaconatum, vel supra, non irrita quidem, ut olim, erit Ordinatio, at eorum suis sumptibus alendorum necessitate tum ipse constringetur; tum ejus successor, tum patrimonii ejus hæredes. Sique alicui plures a pluribus Episcopis Ordines sacri fuerint collocati, ea lege in solidum singuli illi tenebuntur Episcopi, T. IV. c. 9. n. 11. Nec potest citra simoniæ crimen cum aliis Episcopus pacisci ipsos sumptum illum Beneficiumve ab illo numquam requisituros, n. 4. 5. Si commentitium quis vel Beneficii vel patrimonii titulum Episcopo ingerat, irrita est ejus Ordinatio, n. 11. §. *Innovantur.* Nec tamen qui-

De Romani Pontificis potestate immediata & ejus extra Romanæ Ecclesiæ fines immediata jurisdictione.

Hanc Romani Pontificis in omnes orbis Ecclesias jurisdictionem immediatam agnovere Bernardus, Petrus Cluniacensis, Bertrandus Augustodunensis, Joannes Gerson, Almahimus, Major, Petrus Alliacensis, Joannes Salisberiensis, T. I. c. 6. n. 14. 15. 17. 18. 19. §. *In hunc sensum*, n. 20. Summa rerum ad ejus potissimum respicit summam auctoritatem & plenariam potestatem. Ei greges universi sunt crediti. Non modo ovium sed & Pastorum, atque adeo omnium pater unus est ex Bernardo, num. 15. Plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias singulari prærogativa ei donata est, num. 19. Per omnem Ecclesiam auctoritatem Petri habet ex Petro Cluniacensi, n. 15. Ecclesiam regit, corrigit & dirigit universam, ex Joanne Salisberiensi, *ibid.* Jurisdictionem habet sine limitatione loci & personarum, eique parere debent omnes Christiani, ex Bertrando Augustodunensi, n. 17. Immediatus est prælatus omnium fidelium ex Gersonio, n. 14. Duplex ei inest plenitudo potestatis Ecclesiasticæ, scilicet Ordinis & jurisdictionis circa quemlibet de Ecclesia immediate, eique soli hoc inest, quod regimen Ecclesiæ sit Monarchicum. Erraretque, qui crederet unumquemque Episcopum in sua Ecclesia Papam esse vel pastorem supremum, ex eodem Gersonio, T. I. c. 6. n. 18. Ex institutione Christi habet regere totam Christianitatem ex Almahino, n. 19. Potest in quolibet Episcopatu quod in suo quisque potest Episcopus ex Majore, *ibid.* Cum Christus Petro dixit, Pasce oves meas, ei & unicuique successorum ejus dixit, Sis Pastor generalis, ad quem pertineat dispositio & regimen generale ovium & ovilis, ex Petro Alliacensi, *ibid.* Non poterat non erui generalis illa jurisdictio ex illis Christi verbis ad Petrum, Pasce oves meas, *ibid.* Regi tamen illa debet ex necessitate & utilitate Ecclesiæ secundum Bernardum & Gersonium, n. 14. 15. 18. 21. Jurisdictionis hujus exercitio aliqui aliquando restiterunt Episcopi, sed tum pauci, tum ne illa effuse & absque causa exereretur, tum omnes ferme ad unum acquieverunt, num. 4. 6. 9. 10. 11. Tum vero nunquam saltem de plenitudine potestatis Romani Pontificis isti disputavere, n. 21. Quo sensu dici possint Episcopi suam a Romano Pontifice jurisdictionem habere, licet jure divino nitatur, T. IV. c. 47. n. 3.

Iterum de Romani Pontificis potestate, & primum de temporali.

Papæ potestas temporalis jam per prima 5. sæcula Ecclesiæ, T. VII. c. 36. n. 5. 6. 7. 14. Item inde usque ad Caroli Magni tempus, c. 27. n. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Quo sensu Gregorius II. dicitur Leoni Isaurico Imperatori Romam Italiam & reliquum occidentem subtraxisse, n. 5. 8. §. *Dixi*. De potestate temporali Papæ Ecclesiæve Romanæ sub Imperio Caroli Magni, c. 29. Post annum millesimum, cap. 32. Regna facta ei tributaria, T. VII. c. 32.

De spirituali.

Suprema potestas in Ecclesia universa Romano Pontifici tradita est ex Concilio Tridentino, T. II. c. 23. n. 8. §. *Nec*. Suam exerit potestatem in Patriarchas & Concilia etiam Orientis, T. VI. c. 24. n. 16. 17. 18. 19. Quos olim Metropolitas & Episcopos ordinaret, v. tit. *Episcopi*, §. *de Episcoporum consecratione.* De omni Ecclesia quemcumque voluerit Clericum ex Gregorio VII. potest ordinare, T. I. c. 6. n. 12. T. IV. cap. 8. num. 1. 2. potest cuivis Litteras dare, quibus se curet a quo voluerit Episcopo ordinandum: sed tum Episcopus iste non poterit eum ordinare nisi cum litteris proprii ejus Episcopi, quibus certior fiat de ejus vita & moribus, alioqui per annum ipse ab Ordinibus conferendis; tum proprius ille ejus Episcopus eum ab altero illo Episcopo ordinatum poterit examinare, & si capacem ac idoneum reperiat, suspendere ac interdicere, T. IV. c. 8. n. 3. Quomodo factum est ut universos fere Episcopos confirmat jam Romanus Pontifex, T. V. cap. 30. tot. c. 32. n. 43. Scilicet alios contigit ab eo confirmari, quod dubium quid esset in eorum causa, c. 43. n. 2. Alios quod eos nollent sui Metropolitani confirmare, n. 3. Alios quod aliqua opus haberent dispensatione, n. 5. 7. Alios, quod aliqua superanda esset gravis difficultas, n. 7. Non enim has ultro sibi reservavere confirmationes Romani Pontifices, n. 10. Huc etiam fecit quod desiere Concilia Provincialia: hinc quippe factum est, ut Episcoporum multi se a Romano Pontifice confirmandos curarent, n. 6. præcipue inde necesse fuit ab eo confirmari Metropolitanos, ut qui jam non possent, quod antea fiebat, in ejusmodi Conciliis confirmari, n. 7. *Ita*, n. 11. §. *Fateamur*. Metropolitarum jura esse illibata voluere semper, quantum in ipsis fuit Romani Pontifices, c. 30. n. 10. Ut hodierno illi usui, quo jam a solo Pontifice Romano omnes pene orbis Christiani Episcopatus dispensantur, & unus ferme ipse prisca omnia obtinet Metropolitarum jura.; potest patrocinium ex antiquitate arcessiri, T. IV. c. 8. n. 7. Ut hunc usum non sibi sumpsere Pontifices Romani, sed eo sensim pervenere, ipsa rerum adducti necessitate, c. 30. num. 4. 6. 8. cap. 31. n. 4. 9. cap. 32. n. 13. cap. 34. n. 8.

Roma-

Sacramentum obedientiæ ab Episcopis Pontifici Romano exhibitum.

Communio cum eo habenda.

Parentes.

dæorum patriarchis, nec a patriarchis item Montaniſtarum traxit Eccleſia; ſed ut veriſimilius eſt ab antiquis ipſis Judæorum Patriarchis, T. I. cap. 3. num. 14. Socrates patriarchas ait Synodo II. Generali inſtitutos fuiſſe: ſed latius iſte nomen illud uſurpat, eoque illos intelligit præcipuæ notæ Epiſcopos, qui in communionis principes & quoddam veluti centrum ſelecti & inſtituti ſunt ab eadem Synodo Generali. Patriarchas item appellant Nazianzenus & Nyſſenus quoſdam ætatis ſuæ Epiſcopos, ſed minus apta ſimiliter appellatione, & eo ſolum quod veteris Teſtamenti patriarchas pietate ſua iſti referrent, *ibid.* primus ſtrictiore ſignificatione legitur patriarchæ nomine appellatus S. Leo Papa a Theodoſio juniore, quo item nomine tum ipſe adhuc, tum Diœceſeon Exarchi in Chalcedonenſi Concilio afficiuntur, n. 13. Ortum ergo forte habuit iſthæc appellatio a Romanis pontificibus, indeque Exarchis ac primatibus aliis poſtea collata eſt, num. 14. Extat apud Vopiſcum in Adriani Imperatoris vita mentio Patriarcharum, ſed hi ſunt Judæorum patriarchæ, T. I. c. 7. num. 5. patriarcharum inſtitutio, eorumve ſupra ceteros Epiſcopos auctoritas haud eſt de jure divino. Sola videlicet iſtiuſmodi eſt Papæ ſuper omnes orbis Epiſcopos, & Epiſcopi uniuſcujuſque intra ſuam Diœceſim inſtitutio & auctoritas, T. I. cap. 7. n. 3. c. 14. n. 5.

Tres primis ipſis Eccleſiæ initiis fuere Sedes patriarchalem auctoritatem habentes, quanquam ſerius nomen illud inductum eſt, Romana ſcilicet, Alexandrina, & Antiochena, illaque earum auctoritas non inde fluxit quod civitates iſtæ Regiæ fuiſſent, capitave Imperii, ſeu Romani in Orbe toto, ſeu Græci in Ægypto in Syria; ſed quod Antiochiæ commoratus fuerit Petrus, Romæ manſerit, indeque Alexandrinam per Marcum diſcipulum eo a ſe directum fundaverit Eccleſiam, ex Innocentio & Gelaſio, T. I. c. 7. n. 8. Nicolao & Hincmaro, c. 14. n. 2. 6. Adeo ut Gregorio tres illæ Sedes una & eadem eſſent Petri Sedes, T. I. c. 8. n. 1. 2. Hinc illas nunquam commendant Antiqui, Euſebius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Theodoretus, & alii a Regia illa earum dignitate, ſed ab illis duobus Apoſtolis, Petro & Marco, c. 7. n. 11. 12. 13. Huc facit ex Gelaſio quod multis aliis in urbibus Sedem fixerint Imperatores, cum nullum tamen inde ſplendorem in Eccleſia conſecutæ fuerint, n. 9. Non quo non reſpexerit Petrus ad ſæcularem illam trium præfatarum urbium dignitatem, dum earum Eccleſias tum per ſe, tum per Marcum fundavit ac tenuit; ſed nempe eas præ ceteris huic Sedi ſuæ ſelegit, tum ut haberet Chriſti crux & humilitas ubi ſplendidius coruſcaret: tum ex Euſebio quod tribus illis in locis principatum obtineret idololatria, n. 10. & 13. tum quod ex præcipuis illis urbibus in minores alias Evangelium eſſet ultro diſſeminandum, c. 2. n. 8.

Is vero fuit primitus trium illarum Sedium ordo, ut Romana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium obtineret locum: donec Conſtantinopolitana ſe mediam inter Romanam & Alexandrinam interjecit, T. I. c. 7. n. 7. 8. Initio nullus alius erat in earum tractu Metropolitanus, quam in Romano Romanus, in Alexandrino Alexandrinus, in Antiocheno Antiochenus: ſinguloſque in Patriarchatu ſuo quiſque ordinabat Epiſcopos, c. 3. n. 5. Factos poſtea Metropolitanos Græci Patriarchæ cunctos primum ordinaverunt: Epiſcopos vero ſaltem remotiores iis dimiſerunt ordinandos, ſed ita ut nonniſi ex eorum permiſſu fieret ſingulorum ordinatio; Deinde & ex Metropolitis ſatis habuerunt alios ordinare, ſeu per ſe, ſeu per Legatos, T. I. c. 9. n. 12. Vel remotiores alios miſſo pallio confirmare. T. II. c. 57. n. 9. 11. Romanus tamen Pontifex numquam ſibi omnium in Occidente Metropolitarum ordinationem vindicarat, T. II. c. 57. n. 7. Multo minus Epiſcoporum, niſi provinciarum ſuburbicariarum, v. tit. *Epiſcopi §. De Epiſcoporum conſecratione.*

Tribus iſtis patriarchis adjecti ſunt poſtmodum Epiſcopi Conſtantinopolitanus & Jeroſolymitanus, qui quarto & quinto ſæculo creverunt in Patriarchas. Vide utrumque in Ind. Geogr. Poſt ordinationem ſuam mittebant invicem Orientis Patriarchæ communionis litteras, ſingulorumque nomina in ſingulorum Diptycis recitabantur, T. I. c. 9. n. 9. 10. Mittebant item & ad Romanum Pontificem litteras: hæque ſimiliter erant communionis vinculum, nec vero pertinebant ad ſuam ab eo confirmationem efflagitandam, T. V. c. 8. n. 11. Ex ditione ſibi ſubjecta Univerſalia ſeu patriarchalia convocabant Concilia, T. I. cap. 9. n. 14. c. 20. n. 12. Ad ipſos a Metropolitarum iis ſubditorum judicio provocabant tum Epiſcopi, tum alii Clerici, c. 9. n. 12. Omnibus intererant Conciliis Oecumenicis, primumque in iis ante reliquos Epiſcopos locum tenebant, c. 20. n. 12. Summa jurium patriarchalium, c. 13. n. 8. c. 20. n. 12. Fruebantur poteſtate exiruendi in toto Patriarchatu ſuo, adeoque & in omnibus ſuæ ditionis Epiſcopatibus Monaſteria, quæ ex ipſis; non autem ex Epiſcopis illis penderent,

rent, c. 13. n. 8. Insignia eorum erant pallium & Crux quæ illis in toto patriarchatu suo prægestabatur, v. tit. *Crux* & tit. *Pallium*. Singulare Patriarcharum Orientis ornamentum & insigne erat ignis seu lampas, quæ Imperatorum & Imperatricum exemplo, aut communicato privilegio, iis præferebatur: nisi & id ex illo veteri sit usu profectum, quo viris vel dignitate vel sanctitate præstantissimis solebat cum lampadibus accensis obviam iri, T. II. c. 58. n. 7. 8. 9. Radiabant auro, & argento istæ patriarcharum lampades, ut & Imperatorum ac Imperatricum: nullis autem præferebantur Metropolitis, nisi paucissimis, qui nulli primati vel patriarchæ obnoxii erant, cujusmodi sunt Cypri & Bulgariæ Metropolitani, & si qui alii, n. 8. purpureos quoque Imperatorum calceos induebant Orientis, num. 9. Quam inepte Ballamon ex quinque dictis illis Patriarchis, Romano, Constantin. Alexand. Antioch. & Jerosolym. dicat conflari caput Ecclesiæ, sicut unum hominis caput ex quinque ejus sensibus, T. I. c. 15. n. 1. 2. 4. 5. 6. Quomodo item inter illos quinque distribuat ipsa Papæ, Patriarchæ & Archiepiscopi nomina, T. I. c. 13. n. 5.

Suos ex Hieronymo Patriarchas habebant Montanistæ, T. I. cap. 21. n. 3. Suos item Ariani & Vandali in Africa, num. 4. Metropolitanos suos Gothorum Reges in Italia dixere Patriarchas. Suus fuit Longobardis in trium Capitulorum schisma abreptis, Aquilejensis videlicet Metropolita: suus item ibidem postea iis, qui a partibus erant Romanorum & Imperatorum: scilicet Gradi Episcopus, T. I. c. 21. n. 6. v. Ind. Geograph. tit. *Aquilejensis Patriarcha*, & tit. *Gradensis Patriarcha*. Nec sui defuere Gallis. Patriarcha dicitur Gregorio Turonensi S. Nicetius Lugdunensis Metropolita, & Concilio II. Matisconensi priscus Lugdunensis item Metropolita, & Desiderio Caturcensi Sulpicius Metropolita Bituricensis. Ut proinde id nominis ei potissimum aptaretur in Galliis Metropolitano qui inter Regis omnes Episcopos eminebat, ut hic Nicetius & Priscus, aut qui ingentis cujusdam provinciæ caput erat, ut Bituricensis qui caput erat Aquitanicæ primæ, T. I. c. 21. n. 7. 8. v. Ind. Geograph. tit. *Lugdunensis Patriarcha* & tit. *Bituricensis Patriarcha*.

Novi porro illi mediæ ætatis Patriarchæ sola fere nominis illius magnificentia ceteros superabant Metropolitas, nullo videlicet alio privilegio præ iis spectabiles, ne concessa quidem prærogativa aut præeundi aut sedendi ante Metropolitas alios. Hujus certe generis fuere Aquilejenses Patriarchæ, ex quo cœpere usque ad ann. 960. quo tandem a Leone VIII. jussi sunt supra omnes alios Italiæ Metropolitas sedere, T. I. c. 22. n. 1. 2. Hujus item aut non admodum absimilis generis fuit aliquandiu Bituricensis Metropolita: cui scilicet nihil fuit juris in ullos Metropolitas alios, nisi ex quo Carolus Magnus Aquitaniæ Regnum instituit. Tunc enim in ceteris illius Regni Metropolitas jus illud cœpit obtinere Bituricensis Metropolita, ut de eorum judiciis posset per appellationem cognoscere, T. I. c. 22. n. 5. 6. 7. Quamquam & in eo adhuc juniores isti seu mediæ ætatis patriarchæ veteribus illis concedebant, quod non, ut illi, pallium subjectis sibi Metropolitis largirentur, c. 23. n. 3.

Cum expugnatæ sunt a Latinis patriarchales Græcorum urbes Constantinopolis, Antiochia & Hierosolyma, duo unicuique illi Sedi præfuerunt patriarchæ, Græcus & Latinus, Græcum enim Græci perrexerunt eligere, & Latini Latinum cœperunt habere, quod alter alteris regendis non esset idoneus. Similiter vero cum hos Græci recuperassent, perrexerunt Latini a Romanis pontificibus spem urbium illarum recuperandarum non abjicientibus assumi, T. I. c. 26. n. 7.

In Concilio IV. Lateran. sub Innocentio III. sancitum est, ut ab ipso pontifice Romano pallium Græci patriarchæ acciperent, præmisso fidelitatis & obedientiæ sacramento: illud vero suis deinde Suffraganeis impertirent, simile ab ipsis erga Romanam Ecclesiam Sacramentum accipientes, T. I. c. 16. n. 4.

Uti conventum est in Concilio Florentino, ut e duobus Constantinopolitanis Patriarchis Græco & Latino, qui superesset, solus deinceps esset utriusque gentis patriarcha Constantinopolitanus, & solus is in posterum acciperet successorem: ita quoque conventum fuisset cum tribus aliis patriarchis Orientis, si eo tempore decretis Florentinæ Synodi subscripsissent, T. I. c. 26. n. 7. Subscripsere quidem postea misso ad Pium II. Legato, nec desitum est tamen utrinque a novorum patriarcharum creatione: & quare? *ibid.* Si novus quispiam patriarcha crearent, ecquid ei juris inesset? n. 14.

Patrimonium.

An quis cum patrimonio possit habere Beneficium, vid. tit. *Beneficiarius*.

Patronatus.

De Patronatu primis 5. sæculis Ecclesiæ, T. IV. c. 29.

Patronatus est jus, quod habet quispiam ad nomi-

probatissimi Sacerdotes, inquit Isidorus Pelusiota, eum jubent dare pauperibus, c. 27. n. 11. Ita prope Anastasius Sinaita: c. 30. n. 5. Agobardus, c. 31. n. 11. Chrysostomus, cap. 37. n. 10. Cum Ecclesiæ bona jam non essent pauperibus omnibus nutriendis partita, jussit Turonense, II. ann. 567. Concilium singulos parochos ac cives suum pauperem pascere, T. IX. c. 29. n. 3. Suum item sub Imperio Caroli Magni debebat quisque pauperem alere, & eam in rem inquirebat Episcopus, dum suam visitaret Diœcesim, T. VI. cap. 79. n. 10. Solebant sub ejusdem Imperio fideles in morte tres bonorum suorum partes instituere, & tertiæ unius quartam partem pauperibus legare, T. VII. c. 23. n. 6. Eos Joannes Eleemosynarius Episcopus Alexandrinus vocabat dominos suos. Eorum septem millia & quingentos habebat singulis diebus alendos T. IX. c. 30. n. 1. Pauperibus quantislibet alendis ajebat non posse exhauriri ipsum Christi adeoque Ecclesiæ ærarium, n. 2. Capitularia Caroli Magni sive Ludovici Pii præcipiebant, ut in opulentioribus Ecclesiis duæ partes ex tribus proventuum & oblationum, pauperibus distribuerentur, reliqua tertia pars Clericis servaretur. In Ecclesiis vero quæ non ita locupletes essent, Cleri & pauperum partes essent æquales, T. IX. c. 31. n. 5. Partitio tandiu usitata bonorum ecclesiæ in episcopum, Clerum, pauperes & reparationes Eccl. siæ, v. tit. *Partitio*. Pauperibus deberi quidquid ultra necessitatem Beneficiarii superest, eorumque procuratores esse Beneficiarios, Beneficia denique esse eorum patrimonium, probatur omnium auctoritate Conciliorum. Patrum, Virorumque gravissimorum & exemplis a primis ecclesiæ sæculis ad hæc usque tempora T. IX. cap. 26. ad c. 34. Aculeata S. Bernardi pro pauperibus verba, c. 32. n. 8. c. 33. n. 3. c. 41. n. 1. Quanta Episcopis debet esse pauperum & afflictorum cura, T. VI. c. 87. Quanta & Regibus, c. 91. n. 4. 5. 6. 9. & *seqq.*

Peculium.

Concilium III. Lateranense vetabat, quominus peculium Monachis permittatur, nisi ii sint, quos Abbas præfecerit administrationibus Christi, T. VII. c. 53. n. 2. T. VIII. c. 26. n. 5. Ita quoque Turonensis Provinciæ ann. 1231. Concilium, eod. n. 5. Ceteris tamen etiam Monachis Parisiense ann. 1212. Concilium indulget, ut ex prælati sui permissu modicum aliquid habeant ab suum usum, *ibid.* Jam priores cœperant esse proprietarii, & proprium sibi peculium habere, cum antea nihil possent in usus suos detorquere, *ibid.* v. tit. *Monachi*, §. *De Monachis proprietariis.*

Pensiones, T. VIII. cap. 29. 30. 31.

De Pensionibus usque ad annum octingentesimum.

Eæ tum nonnisi Clericorum necessitati & juxta mensuram necessitatis dabantur, haud habita ratione vel annorum quibus ministrassent, vel redituum Ecclesiæ cui ministrassent, c. 29. n. 8. 9. 16. Prima & multa pensionum in Concilio Chalcedonensi exempla, n. 2. 3. 4. 5.

De pensionibus sub Imperio Caroli Magni & Regiæ ejus prosapiæ, c. 30. pensiones tum. Laicis etiam datæ, c. 30. n. 9.

De Pensionibus post annum millesimum, T. VIII. c. 31.

Non potest quis Beneficii quod resignat fructus omnes retinere, cap. 31. n. 4. Non potest super ea ecclesia, cui nihil obsequii præstitit, pensionem retinere, n. 4. Non potest quis pensionem sibi retinere, cum habet aliunde quo se transigat, *ibid.* Ut ad solum Pontificem Romanum devoluta sit facultas constituendarum pensionum, cap. 31. n. 5. 6. §. *Ex hac*, n. 8. Nullæ & simoniacæ declarantur a decimi sexti sæculi Conciliis pensiones absque Romani pontificis interventione concessæ, num. 13. Pensionibus admittendis Romani Pontifices usque ad Avenionense schisma invicte semper repugnarunt, num. 11. §. *Memorabiles*. Legitimæ pensionum causæ, T. VIII. c. 31. n. 13. Non debent excedere fructum tertiæ partis Beneficii, num. 8. Eas tolli postularunt Oratores Caroli IX. Francorum Regis in Concilio Tridentino, num. 11. Statuit Ludovicus XIV. ann. 1671. ne sive ex parochiis, sive ex Cathedralium aut Collegialium Ecclesiarum Canonicatibus, nisi post ministerium in iis per quindecim annos exhibitum, & infirmitatem episcopo perspectam, pensiones recipi possint: & ne tertiam fructuum partem illæ excedant, ea denique conditione, ut Titulari supersint trecentarum saltem librarum reditus, num. 13. Hoc edictum postea extendit ad Dignitates & Beneficia omnia in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegialibus residentiam personalem postulantia, *ibid.* Jure communi immaturi quique pueri erant idonei pensionibus accipiendis, seu instar essent eleemosynæ ad eorum sustentationem, seu ut functioni alicui viribus eorum pari in ecclesia manciparentur, seu ad remuneranda utcumque obsequia parentis eorum de ecclesia benemeriti. At Bullis S. Pii V. & Sixti V. abrogatum id fuit, pensionesque Clericis reservatæ sunt, qui in veste

& ton-

T. II. c. 12. n. 8. Quamquam tamen potestatem illam deberet prudentia dirigere, c. 12. n. 14. pœnitentiam publicam imponere, aut ea fungentes, functosve reconciliare presbyteri vetabantur, nisi interveniente casu necessitatis, & quidem nonnisi cum interposito etiam tum Episcopi consensu, nisi adeo urgeret illa, ut jam per tempus iste requiri non posset, T. II. c. 23. n. 5. 17. pœnitentia publica tum occultorum, tum publicorum etiam peccatorum desiit in Oriente a sæculo quinto ineunte, scilicet a tempore Nectarii CP. Episcopi, T. II. c. 7. n. 14. 15. Non exolevit tandem apud Græcos, & necdum quidem mos, Eucharistiæ horum peccatorum reis inhibendæ & post absolutionem procrastinandæ, c. 10. n. 13. In Occidente vero desiit publica peccatorum occultorum pœnitentia septimo sæculo: publicorum autem etiam peccatorum sæculo duodecimo exeunte, vel sublata est, vel cœpit esse rarissima, T. II. c. 7. n. 14. 15.

De Pœnitentia sæculo 6. 7. & 8.

Necdum septimo sæculo publicæ pœnitentiæ obnoxia erant omnia peccata; & quænam ei subjicerentur, T. IV. c. 59. n. 7. 8. Tot ei tamen lapsu temporum subjecta fuerant, ut jam tum fere omnia. At & inde circiter illud sæculum altera illa invecta est disciplina, qua nonnisi jam pro peccatis publicis publica obiretur pœnitentia, c. 56. n. 16. pœnitentes sibi capillos tondebant, habitumque mutabant nec poterant sive tonsuram illam abjicere, sive habitum deponere, T. II. c. 38. n. 3. 5. c. 39. n. 1. Communis illis erat hæc cum Monachis tonsura: ecqui distabat a tonsura Clericorum, c. 38. num. 6. Mulieres etiam pœnitentes a Concilio III. Toletano jubebantur habitum mutare, c. 38. n. 3. Jam sexto exeunte sæculo, vel ineunte septimo presbyteri, sed quibusdam solum in locis, cœperunt esse ordinarii pœnitentiæ publicæ ministri, T. II. c. 23. n. 18.

De Pœnitentia sub Imperio Caroli Magni & familiæ ejus, seu sæculo 8. 9. & 10.

Modus quo pœnitentia imponebatur, & loca in quæ pœnitentes octavo sæculo contrudebantur, T. IV. c. 72. n. 10. §. *In ea*. Qui iis sæculis studium pœnitentiæ publicæ ingrediebantur aut ingredi meditabantur, se ad januas Ecclesiæ, sacco induti, Decanis astantibus vel Archipresbyteris parochisque, offerebant Episcopo, ut ab eo pœnitentiæ legem & ordinem acciperent, T. II. c. 11. n. 10. Si quis publici capitalis peccati reus detrectaret publicæ pœnitentiæ se subjicere decimo-quinto post peccatum die & ab ipso Archipresbytero commonitus, jam poterat eum parochus suus ex ceterorum parochorum consilio, a cœtu fidelium arcere, c. 74. n. 11. Immo Episcopi utebantur opera Ministri Regii, ut publicorum peccatorum capitalium reos cogerent pœnitentiæ labores subire, si pœnitentes illi liberi erant. Si vero agricolæ & rustici, erant, poterant eos Episcopi vel invitos subjicere pœnitentiæ & pœnis corporalibus addicere, T. VI. c. 79. n. 7. 8. Missi quoque Dominici in curam hanc incumbebant hominum ad pœnitentiam adigendorum, c. 92. n. 7. Queritur tamen Jonas Aurelianensis, quod publicorum peccatorum rei non jam ad pœnitentiam publicam adigerentur, sed se ipsi etiam fidelium gregi immiscerent. T. II. c. 11. n. 12. Sola occulta presbyteris aperiebantur, Episcopo publica servabantur, n. 6. 7. 11. Jubebantur presbyteri ex rigore priscorum Canonum pœnitentiæ Sacramentum administrare, n. 1. 3. 4. 5. Nemini publicorum illorum, quæ pœnitentiæ publicæ obnoxia erant, peccatorum reo presbyteri ea condonare poterant nisi vel jubente Episcopo, vel in mortis periculo, num. 7. Exceptis quibusdam illis locis ubi jam presbyteri cœperant esse ordinarii pœnitentiæ ministri, cap. 23. num. 18. Ii, quibus in periculo mortis a presbyteris subventum fuerat, debebant si convaluissent, solemni manuum impositione ab Episcopo reconciliari, c. 11. n. 11. Oblationes factæ pro pœnitentibus ante sui seu ab Episcopo, seu a presbytero reconciliationem mortuis, rejiciebantur ab aliis Ecclesiis, ab aliis admittebantur Pœnitentia publica necdum iterabatur. Sique peccata publica ei obnoxia quis rursus perpetrabat, illi solum in morte præstabatur Eucharistia, T. II. c. 11. n. 8. Nono jam sæculo paulatim irrepsit in mores Ecclesiæ usus redimendi certa pecuniarum vel eleemosynarum quantitate peccatum quodcumque præscriptamve ei pœnitentiam, T. VII. cap. 74. n. 1. Initio solum ex parte, n. 2. 3. Deinceps etiam absolute, n. 4. Approbantibus id etiam sanctissimis quibusque viris, ut Petro Damiani, *ibid.* Hæc pœnitentiæ agendæ ratio ex eo profecta fuerat, quod iis temporibus quasi lege sancitum esset pœnitentia septem annorum expiandum esse quodlibet mortale peccatum. Ex quo fiebat ut computato peccatorum numero, anni pœnitentiæ sæpe supra ducentos & multo plures essent subeundi, sicque nullius vitæ diuturnitas huic pœnitentiæ par fuisset, nisi ejus eleemosynis contrahendæ & redimendæ facultas data fuisset n. 5.

De pœnitentia post annum millesimum.

Cum

Peſa-

apud

ſiæ vergebat, n. 1. Aliud erat precariarum genus, cum uſum fundi alicujus cuipiam concedebantur ad nutum concedentis protrahendus aut contrahendus, c. 22. n. 3. Aliud adhuc erat, cum quis ſua in Eccleſiam patrimonia conferens, ſolo eorum uſufructu contentus erat, perſoluto cenſu ann. 12. denariorum, *ibid.* poſſunt & præcariis inſcribi Beneficia illa militaria, quibus qui donabantur, temporales ditiones Eccleſiæ tueri debebant, aut etiam ſubminiſtrare militem principi, qui eas in tutelam ſuam receperat, c. 22. n. 4. Poſtquam exolevit uſus precariarum, ambiere Laici fundos Eccleſiæ ſibi locari & ad firmam ſibi dari, num. 6. De precariis rurſus, T. VII. c. 8. num. 7. ad num. 14.

Presbyter.

Ab uno ſolum Epiſcopo ordinandi ſunt Presbyteri, T. V. c. 1. num. 9. Quare plures Epiſcopi in Origenis unius ordinatione memorantur, *ibid.* & n. 10. Ut Presbyteri officio ex Auguſtino nihil vel lætius vel damnabilius, nihil vel periculoſius, vel beatius, prout varie adminiſtratur, T. I. c. 53. n. 1. Presbyteri antiquitus ea etiam quæ Presbyterorum ſunt munia, nonniſi vel abſente, vel jubente Epiſcopo exequebantur, T. I. c. 1. n. 12. c. 2. n. 3. T. II. c. 23. n. 2. Ne ſacrificium quidem ex Ignatio, T. I. c. 51. n. 4. Ne baptiſmum quidem ex Tertulliano, c. 52. n. 1. Nulla in re non pendet ab Epiſcopo, T. I. c. 2. n. 4. 5. Quandonam cœpere concionari, vid. tit. *Prædicatio*, §. *Presbyteri*. Vocantur a Leone ſecundi ordinis Sacerdotes, a Sidonio Apollinari Antiſtites in ordine ſecundo, a Theodoſio Imperatore ſecundi Sacerdotes, T. I. c. 53. n. 2. Ab Optato in ſecundo Sacerdotio conſtituti, c. 51. n. 5. Suæ iis erant ſedes in Sacrario circa eminentiorem & ornatiorem Epiſcopi thronum, unde locus Preſbyterium appellatus eſt, T. II. c. 3. n. 4. c. 24. n. 9. Præcipit Concilium IV. Carthaginenſe, ut Epiſcopus quolibet loco ſedens, ſtare Presbyterum non patiatur, ſeque intra domum Collegam Presbyterorum eſſe cognoſcat, c. 3. n. 12. Non ipſi, ſed Epiſcopi per plura ſæcula Baptiſmum ſolemnem adminiſtrabant, T. II. c. 23. n. 3. 12. 14. Per ſex ſaltem prima ſæcula vetabantur Presbyteri benedictionem ſuper plebem in Miſſa fundere, num. 17. Necdum iis licebat Miſſam dicere ad altare quo die illam in eo dixiſſet Epiſcopus, *ibid.* Ordinarii erant miniſtri Extremæ unctionis ab occupationes varias, quibus Epiſcopi deſtinebantur, num. 7. Iis aliquando datum eſt Subdiaconos & inferiores alios Clericos ordinare, n. 11. Iis item olim excommunicare, n. 10. 13. In Oriente confirmant, T. II. c. 23. n. 15. Confirmare in Eccleſia Romana ſemper vetiti ſunt, n. 7. Id eis permiſſum eſt in aliquibus Occidentis Eccleſiis, n. 6. 8. 9. At ſeu in Oriente, ſeu in Occidente ſemper iis inhibita fuit & Epiſcopis reſervata Chriſmatis confectio conſecratione, num. 5. 6. 15. Pœnitentiam publicam imponere, aut ea fungentes functosve reconciliare vocabantur, niſi interveniente caſu neceſſitatis, & quidem interpoſito tum Epiſcopi conſenſu, ni adeo neceſſitas urgeret, ut jam requiri non poſſet, T. II. c. 23. n. 5. 7. Eaque lex vigebat adhuc ſub Caroli Magni & proſapiæ ejus Imperio, c. 11. n. 7. 1 . Poterant tamen illo ſub Imperio ſæculiſque ſuperioribus ea admittere peccata, quæ publicæ pœnitentiæ non erant obnoxia, c. 11. n. 6. 11. c. 23. n. 4. 5. Sed & ſexto exeunte ſæculo vel ineunte ſeptimo cœperant quibuſdam in locis ordinarii eſſe pœnitentiæ miniſtri, c. 23. num. 8. Verum fuit ab initio & per 1200. & amplius annos Beneficium ipſe Presbyteratus, conjunctum nempe jus habebat ad annonam temporalem; nec quis Presbyter creabatur, quin certæ ſimul Eccleſiæ illigaretur, T. I. c. 51. n. 1. Presbyterum a ſex Epiſcopis judicari volunt I. & II. Synodus Carthaginenſis, T. IV. c. 15. n. 9. 10. Confirmatur id a Concilio Triburienſi, c. 17. n. 9. Permittit Rotomagenſe ann. 1072. Concilium, ut Epiſcopi, qui eo convenire non poterunt, Vicarios ſui mittant Presbyteros, c. 18. n. 7. Permittit deinde Gregorius IX. ut & Diœceſanus ipſe Epiſcopus loco Epiſcoporum Abbates alioſve Diœceſeos ſuæ Prælatos aſſumat, *ibid.* Presbyterorum exempla qui Presbyteri munia nunquam obierint, T. IV. c. 28. n. 8. T. V. c. 65. n. 20. 24. Vel qui inviti aut etiam inſcii ordinati ſunt, T. V. c. 65. n. 20. 21. 22. 23. Dum olim ordinabantur Presbyteri, ſingulis dabat Epiſcopus Hoſtiam conſecratam, cujus particulam per quadraginta dies unoquoque die acciperent, T. II. c. 26. n. 5. §. *Ceterum.*

Ut in Oriente qui ante Presbyteratum conjugati erant, poſſunt adhuc poſtea liberis operam dare, ita nec irregularis cenſetur eorum proles, T. IV. c. 80. n. 9. c. 81. n. 1. Occidentem vero quod attinet, non fuere quidem unquam irregulares Clericorum illorum filii, modo ante ordinationem geniti, c. 81. n. 2. c. 84. n. 3. At in Conciliis undecimi ſæculi vetiti ſunt ad ſacros Ordines promoveri, quicumque, quod tunc erat multo frequentiſſimum, nati erant ex majoribus Clericis poſt eorum ordinationem, niſi hanc ora-

Diaconatu inferiorum caput, vacanteque Sede gubernacula Romanæ ipsius Ecclesiæ cum Archidiacono & cum Archipresbytero tenebat, n. 5. 6. Qui alibi Primicerius, dicebatur in Hispania Primicerius. Primiclerus autem primiclericusve dicebatur, quia totius Cleri Diacono inferioris caput erat, num. 7. 8. Cum antea toti eidem illi Clero dominaretur Archidiaconus, n. 10.

Primitiæ rerum prorsus omnium primis sæculis a fidelibus offerebantur, T. VII. c. 3. n. 6. 7. 9. c. 3. 4. 9. c. 5. n. 1. 2. 3. 4. Item ab anno octingentesimo ad millesimum, c. 7. num. 4. 5. 6. Ab anno millesimo, cap. 9. num. 3. 4. 10. 13.

Principes.

Episcopi & Abbates in Curia Caroli Magni gaudebant prærogativa progrediendi & sedendi ante quoscumque sanguinis etiam Regii Principes, solis exceptis conjuge, filiis ac filiabus Regis, T. VI. c. 38. n. 5. 6. Mutatum id fuit sub Carolo VI. cujus quatuor patrui supra omnem Clerum sedere cœperunt, c. 54. num. 12.

Principum consensus an olim esset expectandus ab eorum subditis, ut Clerici fierent vel Monachi.

Constantinus Clero prohibuit eos quorum vel personæ vel facultates publicis jam oneribus, muneribus & vinculis erant obligatæ, quamdiu a ratiociniis nexibusve illis non essent expeditæ. Ceteris vero haud petendus erat ejus consensus, T. III. c. 61. n. 5. 6. T. VII. c. 18. n. 13. ad 18. Affinis isti legi lex alia Arcadii & Honorii de iis, qui ad Clerum non possent adsciscí, T. III. c. 61. n. 8. T. VII. c. 18. num. 21. Strictiorem longe tulit legem Clodovæus, videlicet ut ne liberi quidem & ingenui homines, ab omni licet nexu alieni, possent nisi eo permittente in Clerum cooptari, nisi si eorum patres aut avi sacerdotio jam fuerant implicari; hancque legem confirmavit Concilium I. Aurelianense ann. 515. paucis post ejus Baptismum annis, T. III. c. 61. n. 1. 2. Coercita tandem est lex ista a Concilio Remensi sub Dagoberto Rege, ad eos, qui oneribus exactionibusque publicis essent obnoxii, n. 1. 2. Omnes istæ leges Clerum spectant non Monachos, n. 2. Complura Nobilium vel Procerum exempla, qui nonnisi cum Principum suorum assensu se vel Clero vel vitæ Monasticæ voluerint mancipare, num. 3. Quamquam alii consensus illius sibi negati rationem haud habuerunt, c. 60. n. 6. Mauritius Imperator legem tulit, qua tum Clericatu prohibebantur, qui publicarum rerum administrationi aliquando fuerant implicati: tum milites vetabantur in Monasteria se conjicere, nisi stipendiorum suorum cursu finito. Prima legis hujus pars Gregorio probata est: secundæ intercessit, nec eam nisi a se mollitam & temperatam voluit executioni mandari, T. III. c. 61. n. 10. 12. reique effectu caruit, c. 60. n. 8. 11. Justiniani lex de Curialibus & Officialibus, c. 61. n. 11. Carolus Magnus edixit, ut nulli se vel Claustris vel Clero nisi petita ejus licentia manciparent, c. 60. n. 3. Excusatur illius ea in re consilium, n. 1. 3. 4. 5. Illam tamen ipse revocavit ab Episcopis admonitus, n. 5. 6. 8. 10. 11. 12. 13. Edictum Caroli Calvi nihil de libertate profitendi seu in Clero seu in Monasteriis diminuebat, n. 13.

Prioratus.

Prioratus Regulares quomodo describere in Sæculares, T. III. c. 60. n. 10. 11. c. 69. n. 4. T. VIII. c. 27. n. 2. 3. 4. 5. 6. De prioratibus Curatis. T. III. c. 69. n. 16. Priores etiam dicebantur ii, qui in pauperum aliquot Monachorum Cellulis vel obedientiis præerant paucis illis, n. 2. 3. Non poterant isti soli esse, num. 1. 2. 4. 5. 6. 12. Poterant ab Abbate revocari, num. 3. 8. 12. Debebant ei rationes reddere, num. 3. 11. 20. Quidam erant priores sub nullius Abbatis ditione, T. III. cap. 69. n. 12. Discrimen priorum Conventualium ab aliis, n. 12. 13. 20. Prior in Monasteriis dicebatur quicumque præerat Monasterio, sive Abbas cum aderat, sive eo absente Præpositus, aut isto Decanus, aut in istorum absentia quicumque erat professione primus, c. 67. num. 8. 9. Erat jam in usu nomen illud tempore S. Gregorii, ipsumque usurpat, c. 65. n. 3.

Privilegia Monasterii concessa a Romanis Pontificibus, Patriarchis, Episcopis, Principibus, T. III. c. 29. ad c. 41.

De Privilegiis sub Clodovæo & ejus familia.

Quæ privilegia Monasteriis sub Clodovæo & ejus prosapia concessere seu Reges seu Episcopi, Monachos Abbatesque non eximebant a spirituali jurisdictione Episcopi; sed eo tantum pertinebant, ut Episcoporum jurisdictioni, cui olim suberant, eximerentur bona eorum temporalia, vel ut suum ipsi Abbatem possent Monachi eligere, vel ut nullum eorum nisi ex Abbatis consensu posset Episcopus ordinare, vel ut pretii nihil in sacrorum administratione posset ab iis exigere, vel ad aliud quidpiam simile tandem referebatur, T. III. c. 29. toto & c. 30. num. 11.

Similiter quæ sub eadem Clodovæi Regia prosapia Monasteriis concessa fuere privilegia a Romanis Pontificibus, sive Gregorio sive aliis ea Monachos non eximebant ab Episco-

porum jurisdictione spirituali, sed ad iis similia pertinebant, quæ modo dicebantur, T. III. c. 30. n. 1. ad num. 7. Erant tamen ista quædam jurisdictionis spiritualis ipsius imminutio. At id præstabat Gregorius, tum sæpe Regibus ipsius aut Monasteriorum Fundatoribus & Episcopis petentibus, tum etiam quod in plurimis Monasteriis multa Monachi paterentur ab Episcopis, n. 1. 2. 3. 4. Primus omnium Adeodatus Papa Monasterium S. Martini Turonensis spirituali exemit Episcoporum jurisdictioni, aut potius jam a proprio Episcopo, assentientibus ceteris Galliæ Episcopis ei datam confirmavit exemptionem, num. 7. Voluit tamen ut ab eodem Episcopo Turonensi Chrisma & Ordines reciperent illi Monachi, num. 7. 9. At nec id reliquum fecit Zacharias Papa Episcopo Moguntino in Abbatia Fuldensi, sed eam sedi Apostolicæ immediate subjecit, num. 8. Verum id tum ipso ejus Fundatore S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino petente præstitit, tum præstitum firmaverunt ipsi Galliarum Episcopi & Rex Pipinus, n. 8. 9.

Sed & longe ante hæc tempora, quamquam tamen post Augustini ætatem, is erat in Africa usus, ut Monasterium in quacumque Diœcesi vel Provincia fundaretur: illius tamen Episcopi jurisdictioni immediatæ subesset, cui illud subjicere voluerat ejus fundator. Hinc tot per Africam sparsa, Carthaginensi suberant Episcopo Monasteria, quod illorum Fundatores caverent ea illius præsertim tutelæ & jurisdictioni subjicere, T. III. c. 31. a num. 1. ad n. 14. Similiter in Orientis toto utroquoque Patriarchatu poterant Fundatores Monasteriorum, in quacumque illius erigerentur Diœcesi, ea in ipsa illorum fundatione Patriarchæ ipsi subjicere: tumque Episcopo ipsi in cujus Diœcesi sita erant, nulla prorsus erat potestas in illa Monasteria, ne Ordinum quidem conferendorum, aut Abbatis consecrandi, aut Missæ celebrandæ, c. 31. num. 14. 15. 16. c. 34. n. 1. 2. 3. Id quoque juris sibi tribuebant & Metropolitæ ipsi intra suam Metropolim: at iis a non paucis repugnabatur, c. 31. n. 18. c. 34. n. 8.

De Monasteriorum privilegio sub Caroli Magni & prosapia ejus Imperio.

Quæ sub Carolo Magno & Regia ejus progenie data sunt Monasteriis privilegia, tum iis data sunt ab illis ipsis, quibus subjiciebantur, Episcopis, vel ex eorum petitione; tum eo fere solum pertinebant, ut Monachis libera fieret Abbates suos eligendi potestas, suaque tota ipsis esset bonorum suorum temporalium administratio: ac per ea duo capita eo collimabatur, ut eliminarentur Abbates Commendatarii. Manebat vero nihilominus sua Episcopis jurisdictio spiritualis, T. III. c. 32. toto. Quæ item illa eadem ætate concessa sunt a Romanis Pontificibus privilegia Monasteriis, vel concessa sunt petentibus ea ipsis etiam loci Episcopi, vel iis concessa sunt locis, quæ in ipsa sui fundatione subjecta fuerant Romanæ Ecclesiæ, c. 32. n. 1. cap. 33. n. 1. 3. 4. 5. 6. Tum vero erant de libera illis facienda potestate eligendi suos Abbates, & res suas temporales dispensandi: non autem per ea eripiebantur omnino Episcoporum jurisdictioni, c. 32. n. 1. 2. c. 33. n. 4. 7. 8. Excutiuntur & suppositionis arguuntur quorumdam Monasteriorum privilegia, c. 35. num. 2.

De Monasteriorum Privilegiis circiter annum 1000.

Multa circiter annum millesimum & deinceps concessa leguntur Monasteriis privilegia, sed vel in iis sua servatur Episcopis jurisdictio spiritualis: vel si subtrahitur, id aut in ipsa caurum est eorum fundatione, ita scilicet volentibus Fundatoribus, eaque Romano Pontifici prorsus subjicientibus, aut ipsis postmodum adjectum est ex Regum & Episcoporum petitione, T. III. c. 36. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 10. c. 37. toto, aut ex ipso ortum est impotenti plurium Episcoporum in Monachos auctoritate & imperio, c. 38. n. 10. Cluniacum Romano Pontifici immediate suberat, sed ea fuerat conditione fundatum a suo Fundatore, & quidem in agro libero, seu nulli obnoxio: istius autem generis privilegia S. Bernardus excusat, T. III. c. 28. n. 3. 4. Ex illius Monasterii privilegiis istud unum erat, ut Abbas ad suorum ordinationem faciendas posset, quem vellet Episcopum apud se invitare, quo de Matisconensis Episcopus Ausanumque ann. 1025. Concilium quærebatur. Sed talibus ea ætate privilegii occasionem dabat illa simoniæ incontinentiæque lues, quæ tot Occidentis Clericos & Episcopos afflaverat, T. I. c. 6. num. 10. Cassinense Monasterium sibi soli subjecere tandem Romani Pontifices, jurisdictionique Episcopi loci subtraxere: sed tum in S. Benedicti gloriam, tum quod illud ipsi sumptibus suis restaurassent, tum quod ibi tutum sæpe reperissent asylum: iis enim Romani Pontifices usi sunt contra obtrectantium querelas excusationibus, T. III. c. 28. num. 4. Cistercienses initio nuntium remisere privilegiis, seque nulla expetituros professi sunt, & Episcopis subjectionem re profitebantur, n. 6. 9. 10. Ea tamen experiere postea; & primus illos ab Episcoporum correctione & visita-

Psalmi.

7. 11. c. 78. n. 3. 5. 7. c. 79. n. 1. c. 81. n. 11. c. 83. n. 2. c. 84. num. 2. 6. Totum diebus singulis Psalterium ab antiquis vitæ Monasticæ cultoribus recitabatur, T. II. c. 77. n. 2. c. 78. n. 3. c. 81. n. 8. Illud singulis noctibus & singulis item diebus Leo IX. recitabat T. II. c. 84. n. 7. Albertus Magnus singulis fere diebus, n. 15. Et alii c. 86. num. 7. 9. Clerici illud memoriter ediscebant, c. 81. n. 1. 2. 10. c. 84. n. 7. Pueri illud & puellæ in scholis edocebantur, c. 87. n. 4.

Publicani.

Publicani vocantur Tertulliano ex officio peccatores, T. IV. c. *66.* n. 9. Non poterant ad Ordines sacros promoveri, *ibid.*

Puella.

Egregia puellarum domi institutio, T. IV. c. 92. num. 6. 10. De iisdem, tit. seq.

Pueri.

Pueri olim a teneris annis, & puellæ similiter ab infantia, immo sexennes & septennes aliquando tradebantur Monasteriis instituendi & educandi, T. III. c. 53. n. 7. 9. c. 54. n. 6. 7. c. 59. n. 2. §. *Petrus*. Non tamen nisi qui vel a semetipsis vel a parentibus ad vitam ipsam Monasticam amplectendam destinabantur, c. 54. n. 6. 7. c. 57. n. 3. c. 56. n. 3. 7. 8. Et quidem in Oriente non propterea seu pueri illi seu puellæ ad vitæ illius professionem adigebantur; cum postea ad ordinariam professionis ætatem perveniebant, nisi tum ipsi per se eam exposcerent, T. III. c. 56. num. 11. iisque ut fuit perpetuus Orientis usus, ita fuit & Occidentis primis sæculis. Istiusmodi enim pueros, aut puellas cum tali parentum voluntate traditos Monasteriis ab iisdem parentibus, aut ab iisdem quomodocumque seu Clero, seu Monasticæ vitæ dicatos, Augustinus, & Leo non patiebantur postea seu ad Clerum seu ad vitam Monasticam admitti, nisi institutum illud per se ipsi expeterent, c. 56. n. 11. 12.

Contrarius tamen post Leonis tempora per Occidentem usus serpsit ac obtinuit. Hos enim in Gallia seu ad Clerum ad Monasticum Institutum, prout illos ad alterutrum parentes destinassent, adigunt etiam invitos Concilia Aurelianense V. & Matisconense primum, T. III. c. 55. n. 6. In Hispania similiter Concilia Toletana IV. & X. nisi quod ultimum istud pueros suæ permittit electioni, quo decimum jam annum prætergressos nondum seu Clero seu Monastico Instituto parentes devovissent: cum alibi usque ad 14. annum hæc parentibus inesset facultas, c. 56. n. 1. 2. 3. c. 59. n. 1. §. *Petrus*. In Germania illos quoque eo vel invitos adigit consultus a Bonifacio Moguntino Gregorius II. Papa, c. 56. n. 6. In Italia idem Gregorius II. & ante eum S. Benedicti Regula, n. 8. 9. Quod Angliam attinet, quidpiam quidem simile in ea sublucet, c. 56. n. 10. At videtur in eum Theodorus Cantuariensis Episcopus humaniorem illam Græciæ, Græcus ipse, consuetudinem invexisse, num. 11. Non in ea tamen consuetudo ista per eum invecta perseverasse colligitur ex Lanfranco Cantuariensi item Episcopo, c. 59. num. 2. Humaniorem quidem illam Græcorum disciplinam revocaverat in futurum Moguntina ann. 813. sub Carolo Magno Synodus, quanquam eos, qui in antecessum his fuerant compedibus innexi noluit absolvere, c. 57. num. 1. At non adeo obtinuerat mitior isthæc sanctio, quin statim sub Ludovico Pio & sub Carolo Calvo illius alterius durioris deprehendantur vestigia, c. 57. num. 2. 4. Quin similiter eam Vormatiense ann. 868. Concilium statuto suo firmaverit, num. 5. Immo & sola & porsus in usu erat toto adhuc undecimo sæculo, & pene duodecimo exeunte, T. III. c. 56. num. 14. c. 59. num. 2. 4. At cœpit tandem a Cælestini III. temporibus proscribi, & illa e contra humanior redintegrari, quæ sola in Occidente per priora quinque Ecclesiæ sæcula, & in Oriente semper obtinerat, c. 56. n. 15. 16. c. 59. n. 4. 5. Quamquam pauca adhuc initio sæculi XIII. mansere durioris illius consuetudinis vestigia, c. 59. num. 7. Quæ fuerint utriusque consuetudinis rationes? cap. 56. n. 2. & 17. Etsi vero jam non possint parentes filios suos impuberes Religioni vel Clero devovere, aut saltem non eos ita devovere possint, quin penes istos maneat libertas votum illud paternum non exequendi: manet tamen etiamnum penes parentes potestas eos vel invitos contradendi seu Monasteriis, seu Clero, & illiusce status veste induendi, T. III. c. 58. n. 5. 6.

Cum olim filii a parentibus eos vitæ Monasticæ devoventibus offerebantur, res isto ritu præstabatur: inter Missarum solemnia ad offertorium hostia & calix vino infuso dabantur impuberibus illis in manus, eorumque postea manus mappa altaris circumvolvebantur, ut sic quasi se hostias profiterentur, T. III. c. 56. n. 8. c. 59. n. 2. §. *Lanfrancus*. Ut vero poterant alias parentes suos vel invitos Clero vel Monasticæ vitæ mancipare, masculos ad annum usque 14. puellas ad annum 12. ita & eosdem poterant Parentes vel etiam tutores a Clero & Monasteriis abstrahere, si alterutrum professi fuissent ante illam ætatem absque eorum consensu, c. 62. n. 1.

Pun-

la est irregularitas, modo ubi eos insimulant, ea utantur obnunciatione, quod ad pœnam sanguinis non intendant, *ibid.*

Primis Ecclesiæ sæculis rei, qui erant morte afficiendi, nec Eucharistia nec absolutione impertiebantur, T. VII. cap. 77. n. 1. Prima Eucharistiæ iis dandæ mentio habetur in Remensi quodam septimi sæculi Concilio & in aliquibus noni sæculi Germanicis, quorum in uno porrigenda iis per Diaconum Eucharistia, si desit Presbyter, edicitur, n. 2. Multis tamen post illa Concilia sæculis denegata iis in Gallia pluribusque Provinciis aliis legitur seu Eucharistia, seu etiam absolutio, num. 3. Ea propter Clemens V. in Concilio Viennensi sub anathematis pœna sancivit ut Judices pœnitentiæ Sacramentum iis impendi paterentur, *ibid.* Nec tamen is in Gallia usus obtinuit nisi ann. 1396. sub Carolo VI. eod. c. 77. n. 4. Nec enim id ab ejus patre Carolo V. Gregorius XI. potuerat impetrare, n. 7. §. *Anno.* Et quidem Presbyter iis solum jussus est deinceps dari, Confessionem eorum excepturus, cum in ipsa jam forent ad patibulum via, num. 4. Quare Clemens V. & Carolus VI. de sola iis absolutione impertienda fategerint, non autem de Eucharistia, num. 5. Is usus in Ecclesia satis communis erat ea circiter tempora, ut sola donarentur absolutione, seu in Italia, seu in Gallia, seu in Anglia, n. 5. 7. 8. Communius tamen in Italia absolutioni addebatur Eucharistia. Sic jusserat Alexander IV. sicque fieri peroptabant sequentes Romani Pontifices, num. 3. 4. 9. Itque modo usus est Hispaniæ a tempore Philippi II. & Germaniæ a triginta adhuc antea annis, num. 10. Ita quoque fieri voluit ac in Statutis suis anni 1515. edixit Stephanus Poncherius Episcopus Parisiensis, & re aliquandiu fuit observatum, utinam & adhuc, n. 6. 11.

Religiosi.

Plures conjugatorum Equitum & tamen Religiosorum Ordines, T. II. c. 65. n. 7.

Reliquiæ.

Reliquiarum cultus contra Vigilantium ab Hieronymo defenditur, T. IX. c. 37. num. 13. Super Martyrum corpora jacebantur ea ætate a fidelibus Oraria, quæ iis deinceps erant sacrorum instar pignorum, T. II. c. 45. n. 12. Sive in Oriente sive in Occidente Reliquias collo appensas vulgo gestabant, T. II. c. 58. num. 4. 5. Habebat semper S. Germanus Altissiodorensis Episcopus earum capsas collo appensas, num. 5. §. *Jam de.* Ipsius ejusdem Germani vestes tamquam pretiosissimas Reliquias inter se in ejus morte partiuntur Episcopi, c. 43. num. 11. Concilium Epaonense Reliquias non patitur nisi in iis Oratoriis collocari, quibus vicini essent Clerici, qui frequentia psallendi possent sacris Cineribus famulari, T. II. c. 75. n. 1. Reges olim Francorum per Provincias mittebant Reliquias sacras, super quas Sacramentum fidei sibi præstaretur, c. 109. num. 2. Mos duodecimo sæculo circumgestandarum per Provincias Reliquiarum ejus Sancti cujus incensa vel diruta forte fuisset Ecclesia, quasi stipem ipsemet instaurandæ Ecclesiæ suæ mendicaret T. VII. c. 74. n. 6. 7.

Remensis Primatus, vid. ind. Geograph.

Reparationes Ecclesiæ.

Quando quinto, vel sexto sæculo institutafuit bonorum Ecclesiæ divisio in quatuor partes aut alicubi in tres, earum una assignata est reparationibus Ecclesiæ curandis, T. V. c. 36. num. 7. vid. tit. *Bona Ecclesiæ*, §. *Distributio bonorum.* Quartæ illius partis cura primum & diu fuit penes Episcopos, Archipresbyteros, Parochos, Beneficiarios, eod. c. 36. n. 7. Ei quoque implicari cœpere sæculo duodecimo & decimotertio Laici, n. 2. 3. Cum tandem Ecclesiarum reparationi non suffecerit quarta pars ista, ad alia recurrendum fuit subsidia, n. 5. Quam multa sub illo reparationum nomine contineantur, n. 1. Causæ quibus Laici in hanc sollicitudinem vel advocati vel admissi sint, n. 6. 7. Varia statuto Matricularios illos & rationes ab Episcopo reddendas attinentia, toto illo c. 36.

Repudium.

Prioribus Ecclesiæ sæculis aliquandiu visum est quamplurimis posse eum, qui juste uxorem repudiaverit, alteram ducere: primusque tantam huic quæstioni lucem effudit Augustinus, ut paulatim omnis ipsam ejus sententiam id prohibentem & illicitum affirmantem occidentalis Ecclesia convenerit, T. IV. c. 78. n. 14.

Residentia.

De Episcoporum residentia & variis ejus per varias causas exceptionibus, T. VI. c. 30. ad c. 58.

Residentiam Episcoporum non statuit Synodus Sardicensis: sed ut indubitatissimam supponit, T. VI. c. 30. n. 1. Supponunt jam & omnes Synodi, c. 33. n. 1. De ea Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Athanasius, Synesius, c. 30. n. 6. ad n. 13. Episcopos ultra tres septimanas, nisi ex necessitate inexorabili, Synodus Sardicensis non patiatur abesse, n. 4. Justinianus hac in parte molliot, cavebat solum ne ultra annum abessent, alioqui eo lapso deponendi, T. VI. c. 31. n. 4. 5. 6. Trullana Synodus nequidem per tres septimanas passa

passa est eos abesse, ac depositionis pœnam iis, si diutius abessent intentavit, n. 7. Quam tamen id postea parum a Græcis ipsis servatum, c. 32. n. 7. 8. Quam instaret Gregorius ut residerent Episcopi, c. 31. n. 8. 11. Includi vult Monasterio Episcopum, qui correptus non tandem resideret, c. 31. n. 8. Eos vero in ipsa eorum Ecclesia Cathedrali morari vult Concilium V. Carthaginense, non autem in aliqua alia suæ Diœceseos Ecclesia, nec in domo aliqua suburbana sua diutius quam oportet, T. VI. cap. 30. n. 5. Peccabant contra hanc legem tempore Gregorii Primates ipsi seu Metropolitani Afri, residentes passim per villas, c. 31. n. 18. Excusatur S. Gregorius Lingonensis Episcopus, qui magnam anni partem Divione agebat, n. 17. Canonem illum Carthaginensem innovat in suis Capitularibus Carolus Magnus & Concilium Francofordiense: nec istud Episcopum patitur amplius quam tres hebdomadas in suis etiam prædiis manere, T. VI. c. 32. n. 1. Etsi autem perpetuam ab Episcopis exigant Concilia residentiam; sed maxime tamen diebus solemnioribus, & præsertim Paschatis: Tempus Quadragesimale nonnulla, & adventum etiam alia ac in his Nicæna Synodus, adjiciunt, c. 30. n. 13. c. 33. num. 1. §. *Concilium*, & §. *In*, & num. 7. Innocentius III. Episcopos, qui sex ultra menses abessent, deponendos edixerat, cap. 33. num. 1. Humanis postea Gregorius XI. & Concilium Tridentinum, ecquid vero? num. 2.

Diu disputatum est in Concilio Tridentino sitne juris divini residentia Episcoporum; & quanquam ita se habere noluit apertis verbis definire, clare tamen insinuavit, T. VI. c. 33. n. 3. 4. Id disertis olim verbis statuerat Londinense ann. 1261. Concilium sub Ottobono Cardinale sedis Apostolicæ Legato, n. 1. §. *Quanquam*. Ita placuit quoque Bellarmino, num. 13. Ejus ad Clementem VIII. querelæ, n. 14. Abdicavit ipse Episcopatum Capuanum, cum eum vetaret Paulus V. Roma discedere, n. 15. Et quidem nulla sibi pensione reservata, cum fructus tamen omnes vellet ei Pontifex reservare, c. 42. n. 11. Querelæ item Cajetani & Cardinalis de Turrecremata, c. 33. n. 9. 10. Ne Cardinales quidem Episcopos a residentia Synodus Tridentina voluit exemptos, c. 33. n. 5. Et eos ad residentiam adegit Urbanus VIII. n. 11. Statuta Regum & Principum contra Episcopos non residentes, num. 12.

Canonicas non residendi causas affert Synodus Tridentina Christianam caritatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, ac evidentem Ecclesiæ vel Reipublicæ necessitatem. Qua in re ne sibi facilius Episcopi patiantur a seipsis illudi, certas adhibet cautiones, T. VI. c. 33. n. 6. Has extra causas Episcopis non ultra duos aut plurimum tres in anno menses absentiæ, sive continuos sive interruptos permittit, nec hos quidem nisi æqua subsit causa & gregis detrimentum non timeatur, num. 7. Cautiones Concilii I. Mediolanensis ann. 1565. & Toletani anno sequenti n. 11. Causæ Episcopo legitimæ non residendi, legationes ab ipso obeundæ & commoratio in Aula Regia jussu Principis, cap. 36. usque ad c. 40. Item peregrinatio Romana, c. 40. usque ad 43. Concilia quoque ab ipso frequentanda, c. 45.

Si quod olim erat Episcopo negotium obeundum apud Aulam Principis, sive pro se sive pro pauperibus, volebat eum Synodus Sardicensis a Collegis suis admoneri, ut loco sui Diaconum eo dirigeret, aut illum certe vetabat eo proficisci absque Metropolitani sui litteris, ut nec Metropolitanum absque Patriarchæ. T. VI. c. 30. n. 2. 3. Ea similiter erat Occidentis disciplina, ut si extra Diœcesim suam necessitate aliqua exire cogerentur Episcopi, non abirent absque Metropolitani sui litteris. Id tamen in Hispania non admodum erat in usu, nec diu viguisse videtur in Gallia. Eos ibi saltem volebat Gregorius litteras istiusmodi accipere ab Archiepiscopo Arelatensi Apostolico Vicario, ut & alii ejus voluerant decessores, haud tamen quidquam de Metropolitæ juribus volens diminutum, c. 31. n. 11. 12. 13. 14. Crimini dabat Hincmaro Laudunensi nepoti suo Hincmarus Remensis, quod absque illius licentia identidem e Diœcesi sua exiret, c. 32. num. 4. Episcopus cui tam adversa est Cœli in sua Diœcesi intemperies, ut in ea non possit sine vitæ discrimine consistere, potest non residere, T. VI. c. 70. num. 4. An & quatenus quoque possit vel ob persecutionem vel ob Provinciæ ab hostibus vastitatem? T. VI. c. 66. c. 68. num. 11. & *seqq.* c. 69. num. 3. 4. 5. 6. c. 70. num. 2. Ob pestilentiam non est a residentia liber, c. 67. 68. num. 4. ad num. 11. c. 70. num. 5. 6. 7. In eo quod Regibus nostris exhibent Episcopi sacramento fidelitatis, hanc inseri voluit Ludovicus XIII. clausulam, fore, ut in sua quisque Diœcesi resideat, c. 49. num. 7. §. *Exinde*.

De residentia Canonicorum Episcopis astantium, Capellanorum, Regiorum, Canonicorum omnium & Dignitatum.

Jam tempore Alexandri III. erat id in usu, ut Canonici qui Episcopo ministrant a

permittit, nisi ex Episcopi licentia, & quidem causa nonnisi rationabili, num. 7. Illos eadem lege constringit Synodus Tridentina, nec iis permittit ut absint ultra tempus bimestre & quidem ex Episcopi licentia scripto data, qui Vicarium iis interea substituet. Si absentiam suam ultra prorogent, censuris, privatione fructuum immo & Parochiæ ipsius abdicatione eum revocet Episcopus, c. 34. num. 12. §. *Adscripsimus*. Quin & ipsa Concilii Tridentini Congregatio declaravit nec posse Parochum per unam hebdomadam abesse, nisi tum ex justa causa, tum ex Episcopi etiam licentia scripto data, n. 17. §. *Parochis vero*. Multa itidem de Parochorum residentia ex Declarationibus Congregationis Concilii Tridentini, c. 34. n. 19. & c. 72. num. 9. Bonifacius VIII. cujus decretum confirmavit in Concilio Constantiensi Martinus V. potestatem indulserat Episcopis, dispensandi cum Parochis de residentia per septem priores annos, ut serio possent litteris operam dare, immo iis permittendi ut solum Subdiaconatum illico susciperent, septimo autem anno Diaconatum vel Presbyteratum, T. IV. c. 87. num. 9. Sed Congregatio Concilii Tridentini jam unum concedit Parochis annum, quo possint studiorum causa a Parochia sibi credita abesse, T. VI. c. 71. n. 9.

Resignationes Episcopatuum, T. V. c. 50. ad c. 60.

Jam supra dictum est de Beneficiorum aliorum resignationibus, tit. *Beneficia*, §. *De Resignatione Beneficiorum*. Sunt autem resignationes Episcopatuum aliæ simplices, aliæ in favorem.

Resignationes Episcopatuum simplices.

Non licet Episcopatu cedere nisi justis de causis, T. V. c. 50. num. 3. Ut si plebs sit contumax, c. 50. n. 4. c. 52. n. 11. 13. c. 53. n. 8. Quamquam nec tum id facile fieri debeat, c. 51. n. 9. c. 52. num. 3. c. 54. num. 3. §. *Si*. Si item locus est absolutissime valetudini infestus, T. V. c. 50. num. 9. Si reddendæ paci id conducat, cap. 51. n. 1. 2. 3. Eximium ea super re exemplum Episcoporum Africanorum, num. 4. Item si aliquod antea, licet occultum, admissum est crimen canonicum, id est, quod olim depositione puniretur, cap. 50. n. 6. 7. c. 51. num. 12. c. 54. num. 4. §. *Nec*, & num. 5. Vide tamen, *ibid.* n. 8. ubi id explicatione Innocentii III. mollitur. Si item sit civitas & Ecclesia eversa, c. 53. n. 4.

Non justa est vero cedendi causa, si quis difficultates futuras timeat, T. V. c. 51. num. 8. Nec, si non possint prædicare, modo hunc defectum suppleat vita, *ibid.* Nec si amore quis otii & silentii ducatur, num. 9. Nec si gregis sui vitia non facile speret a se emendanda. *ibid.* Sex causæ cedendi Episcopatu ex Innocentio III. adducuntur, c. 54. n. 8.

Non potest quis ob morbum vel ægritudinem a Superiore cogi ad abdicandum Episcopatum, T. V. c. 51. num. 11. c. 53. n. 1. Nequidem si nulla spes est reddendæ ei valetudinis, cap. 52. num. 1. c. 57. n. 7. c. 59. num. 7. Sed in hac occasione dandus ei quispiam, qui loco ejus curam suscipiat gregis, ac qui tamen eo superstite non ordinetur, nisi ultro ipse Episcopatu cedat, c. 52. n. 1. 2. c. 54. n. 10. §. *Canonistis*. Peccatum hac in parte in Anglia, cap. 52. n. 8. Secus item a Gregorio VII. consultum, c. 54. num. 3. §. *Sed*. Ab Innocentio III. n. 8. Et a Gregorio IX. num. 10. §. *Minime*.

Multa Sanctorum exempla, qui Episcopatum abdicarunt, T. V. c. 50. n. 7. 8. 9. 10. 11. c. 52. n. 6. 7. 11. 13. c. 53. n. 4. 5. 6. 7. 8. c. 54. num. 4. §. *Goffridus*, & §. *Legatus*, & num. 5. *Idem*. Aut qui de eo cogitando abdicarunt solum, T. V. c. 51. n. 4. 6. 9. c. 52. num. 3. c. 53. num. 7. §. *Hedenulphus*, & c. 54. n. 3. 4. §. *Aliquantis*, & *seqq.* num. 5. §. *Augurari*. Ut possunt ista vel facta vel consilia cum regulis de Episcopatu non abdicando conciliari, T. V. c. 52. num. 14. c. 53. num. 11. Exempla negati a Pontificibus Romanis consensus Episcopis abdicare se volentibus, T. V. c. 51. n. 9. c. 52. n. 3. c. 53. n. 8. 10. c. 54. n. 3. 4. §. *Testimonio*, & §. *Aliquantis*, & *seqq.* n. 5. §. *Augurari*, & n. 10. §. *Minime*. Quis hodiernus eorum usus, erga volentes Episcopatum abdicare? c. 54. n. 12.

Istæ autem Episcopatuum resignationes cessionesve ut fierent, per quinque prima Ecclesiæ sæcula nondum recurrebatur ad Romanum Pontificem: sed si qua lex observabatur, fiebant eæ in Concilio Provinciali, vel apud Metropolitanum, T. V. cap. 50. num. 3. Nec inde item ad annum 800. Romanus Pontifex adibatur, nisi forte ut ea super re consilium ejus exposceretur, vel nisi is esset Episcopus, qui singulari quopiam nexu ei illigaretur, ut qui aliqua ejus forte Legatione fungebantur, c. 52. num. 3. ad 7. Sed ut plurimum vel in Oriente Imperatores, vel in Occidente Reges, vel utrobique Metropolitanus adibatur ab Episcopo, qui Episcopatum volebat exuere, n. 6. 8. 13. 14. Etsi vero ab eo tempore usque ad annum millesimum jam quidem ponebantur rudimenta posterioris hodiernæ disciplinæ, quæ rem revocat ad Romanum Pontificem, T. V. c. 53. num. 4. 7. 8. 10. Non tamen ordinario ejus interpellabatur auctoritas,

sed

fed Coepifcoporum in Concilio Provinciali & Metropolitani, aut quandoque etiam Imperatoris vel Regum, num. 1. 2. 5. *6.* 11. Ab anno tandem millefimo frequentius longe factum eft ut Romani Pontificis affenfus & auctoritas requireretur, T. V. c. 54. num. 2. 3. 4. 5. Adeo ut tempore Alexandri III. vix unquam aliter Epifcopatu quis cederet, num. *6.* Nec jam prorfus aliter Innocentii III. tempore, num. 7. Explicatur quo fenfu fpirituale Epifcopi cum Ecclefia fua conjugium compararet idem Innocentius cum carnali conjugio, & quo item fenfu jus illius folvendi foli vindicet Pontifici Romano, *ibid.* Qui fenfim factum fuerit, ut illud foli tandem Romano Pontifici fit refervatum, c. 10. num. 2. c. 54. num. 3. §. *In hac*, num. 10. §. *Apparet*, & *feqq.* Ufus Orientis ab anno millefimo, cap. 54. num. 11. An qui Epifcopatum abdicavit ut in Monafterium fecederet, poffit inde ad eum revocari, num. *9.* Querelæ Bellarmini apud Clementem VIII. fuper refignationibus, num. 12.

De Refignationibus Epifcopatuum in favorem, vid. fub fin. tit. *Epifcopi*, §. *Succefforem an fibi*, &c.

Fuerunt vel a primis fæculis odiofæ hæ Epifcopatuum refignationes in favorem alterius, & a Concilio Antiocheno prohibitæ fuerunt, T. V. c. 55. num. 5. Ideo autem prohibebantur, ne tanquam hæreditatem tranfmitterent Epifcopi Ecclefias fuas ad nepotes vel confanguineos, c. 55. num. 4. c. 56. num. 7. c. *60.* n. 1. Earum tamen exempla plurima etiam a primis fæculis & deinceps, T. V. c. 55. n. 1. 2. 3. 5. 10. 12. c. 56. num. 1. 3. 5. *6.* 14. 15. c. 57. num. 4. 5. *6.* c. 59. n. 3. *6.* Frequentes erant in Hifpania, qua de re fuccenfet Hilarus Papa Hifpanis, c. *60.* n. 1. In iis autem impetrandis non folebant tum Epifcopi ad Romanum Pontificem recurrere, fed ad Provinciæ Concilia, ad Metropolitam, ad Principes, c. 57. n. 4. 5. *6.* *9.* 11. c. 58. num. *6.* 7. 8. 9. Aliquando tamen ad Romanos Pontifices, c. 57. n. 2. 7. Et paulo quidem frequentius ab anno millefimo, c. 59. num. 1. 4. Quin & cœpere tandem ante calcem duodecimi fæculi haberi irritæ, fi eorum accederet auctoritas, c. 59. num. 5. *6.*

Reftitutiones.

Reftitutiones rerum male partarum, vel incertarum, inventarum, vagarum, fi non magni fint pretii, permittuntur Confeffario, ut cui voluerit fiant; fi vero magni illæ fune pretii, Statuta Synodalia tum Ecclefiarum Trecenfis & Senonenfis, anno 1524. tum Ecclefiæ Carnotenfis adiri volunt Epifcopum, T. VIII. cap. 10. num. 5.

Richardus Angliæ Rex.

Richardus Rex Angliæ ad facrum bellum pergens vendit Epifcopis Comitatus & feuda. Rediens e Palæftina per Germaniam ab Imperatore Henrico in carcerem conjicitur. In Angliam reverfus repetit ab Epifcopis, quæ ipfius tradiderat, T. VII. c. 31. n. 11.

Rigenfis Ecclefia, vid. Indic. Geograph.

Roga.

Roga dicebatur largitio & erogatio auri, argenti, &c. quæ fiebat militibus: idque nominis inde traductum eft ad fimiles quæ fiebant aliquando Clericis largitiones, T. VIII. c. 20. n. 10.

Romana Ecclefia, vid. Indic. Geograph.

Romanum iter, T. VI. c. 40. 41. 42.

Siciliæ Epifcopi per fingulos annos terni ad Romanum Autumnale Concilium conveniebantur ante S. Leonis tempora. Voluit Leo ut nonnifi jam unoquoque triennio: & de hoc remittens adhuc Gregorius voluit ut unoquoque folum quinquennio, T. VI. c. 40. n. 2. 3. *6.* 10. Zacharias Papa jubet omnes Epifcopos Sedi Apoftolicæ Suffraganeos, aut qui a Romano Pontifice debebant ordinari, Romam fingulis annis ad feftum SS. Petri & Pauli pergere, c. 40. n. *6.* c. 41. n. 12. Quam multi five Reges five Epifcopi a Clodovæi tempore ufque ad Caroli Magni Romam fe pietatis ergo contulere, c. 40. num. 12. 13. 14. 15. Quam multi item fub Carolinæ familiæ Imperio five Nobiles, five Clerici, five promifcue Laici, T. VI. c. 41. num. 7. Quin & Abbatiffæ & Moniales: adeo ut tandem illas eo ultra pergere Concilia vetuerint, *ibid.* Parochi abfque Epifcoporum fuorum licentia iter illud fufcipere vetabantur a Conciliis, *ibid.* Sed nec Galli Epifcopi, five ad Concilia Romana a Romanis Pontificibus invitati, five voti explendi caufa poterant abfque Regis licentia eo proficifci, feu Clodovæi tempore, c. 41. n. *6.* feu fub Carolinæ ftirpis Imperio, num. 1. 2. 3 4. 5. *6.* 8. Quamquam nihil fimile poterat Regi Angliæ S. Thomas Cantuarienfis pofterioribus fæculis affentiri, c. 42. n. 7. §. *Inter.* Explicatur Canon Concililii VIII. Generalis, innuens de Regia ifta licentia non fatagendum, c. 41. num. 10. 11.

Ab anno millefimo convaluit difciplina Romani Pontificis a fingulis Epifcopis vifitandi: & quidem ætatis illius initio erant hæ vifitationes arbitrariæ, T. VI. c. 42. n. 4. Ad eas urgebat Epifcopos Gregorius VII. non prorfus ex præcepto adigebat, num. 5. Sub Pa-

fchale

Eis

Salo-

Canon eum, qui gratia & favore potestatum sæcularium fiet Episcopus, deponi segregarique, ac eos omnes, qui illi communicant, num. 1. Querelæ Hieronymi in Ordinationes obsequiis aut muneribus impetratas, vel favore & gratia Magnatum extortas, num. 13.

De eodem Simoniæ genere ab anno 500. *ad annum* 800. T. VII. cap. 55. & 56.

Exempla simoniæ in Ordinationibus ea ætate apud Occidentem, T. VII. cap. 55. num. 8. 9. 12. 14. 15. Nulla fere tum Ordinatio a simonia immunis in Gallia & in Germania, num. 11. Quam in eam invigilarent Romani Pontifices, num. 8. 11. 12. Quam item Gallicana Concilia, num. 13. In simoniacos agebant in Hispana Concilia depositione, anathemate, exilio, hæreditatum spoliatione, num. 14. 15. De simonia in Orientis Ordinationibus eadem ætate, cap. 56. Justiniani Constitutiones in simoniacos, cap. 56. num. 1. 6. 7. licet ab ea non esset ipse penitus immunis, num. 8. Quam toto Oriente grassaretur hæc lues, num. 3. 4.

De eadem sub Imperio Caroli Magni usque ad annum millesimum, T. VII. cap. 58. & 59.

In Occidente quam late dominaretur, cap. 58. num. 4. 11. De Simonia in Ordinationibus Orientis eadem ætate, cap. 59. Damnationi subjicit septima Synodus Oecumenica non modo eos, qui Ordines, sed & eos, qui officia quælibet Ecclesiastica, ut Oeconomi, Defensoris, Mansionarii &c. pretio suscipiunt, c. 59. num. 2.

De simonia in utriusque Ecclesiæ Ordinationes post annum Christi millesimum, T. VII. c. 60.

Quam late regnabat 10. & 11. sæculo per totum Occidentem, T. IV. cap. 50. num. 1, 4. 5. 6. 10. §. *Sub* cap. 61. num. 2. Ob ingentem illam Simoniacorum tum temporis multitudinem a Clemente II. Papa & successoribus ejus cœptum est cum iis dispensari simoniacis, qui non pretio sibi aut Ordines aut Beneficia paravissent, sed qui a simoniacis fuerant Ordinati, T. IV. cap. 61. num. 2. 3. Jam antea Fulbertus Carnotensis consuluisse videtur, ut cum homine etiam dispensaretur, qui fuerat simoniace Ordinatus, cap. 61. n. 8. §. *Non*. Sed explicatur, cap. 65. num. 6. Nec defuere tum Episcopi qui cum talibus re dispensarent, cap. 61. num. 8. *Non*, & cap. 65. num. 6. Multa de simoniacis decreta, cap. 65. num. 1. 2. 3. 4. Officiorum quorumlibet Ecclesiasticorum æque ac Beneficiorum emptores ac venditores damnantur de simonia in ætatis illius Conciliis, T. VII. cap. 60. num. 1. 2. 3. & 5. In Ordinationibus aliquid exigi solum vetat Parisiense ann. 1212. Concilium, sponte oblatum accipi patitur Londinense ann. 1125. Concilium, T. VII. cap. 60. num. 5. Recipi e contra oblatum vetant II. Lateranense, Palentinum in Hispania ann. 1322. Toletanum ann. 1473. Tridentinum & Concilium I. Mediolanense, num. 5. 6. 7. 8. Promulgatum est in Galliis Decretum illud Tridentinum, num. 9. Isaaci Comneni undecimo sæculo Imperatoris Græci Constitutio de solvenda Episcopo certa nummorum summa a Presbyteris. Diaconis & Lectoribus in Ordinatione sua, excusatur a simonia, & quomodo, T. VII. cap. 60. num. 10. Excusantur item a simonia Patriarchæ Constantinopolitani Turcis Imperatoribus tributum ante Confirmationem suam pendentes, eod. num. 10. §. *Sed quod*. Quando id cœptum, *ibid.* De simonia in Beneficiis post annum millesimum, T. VII. cap. 61. 101. Simoniæ reus est & Censuris obnoxius quisquis vitam Monasticam profiteretur spe vel pactione Regularis seu Prioratus seu Abbatiæ, cap. 61. num. 9. Nec a mentali simonia immunis est quisquis Ordines suscipit, ut Beneficium consequatur, licet lege Beneficii istius postea dimittendi non teneatur, *ibid.* Simoniæ quoque genus est cum in Beneficiis habetur ratio consanguinitatis, T. VII. cap. 57. num. 3. Quid fas vel nefas sit aut fuerit olim exigere vel accipere pro litteris seu testimonialibus seu dimissoriis tum Ordinum tum Beneficiorum pro sigillo item, pro cera, pro charta, pro Notariis, T. VII. cap. 60. num. 1. 6. 7. 9. cap. 61. num. 14. & cap. 62. tot.

De simonia in professione Religionis.

De isto simoniæ genere ab anno 500. *usque ad annum* 800.

Regula S. Fructuosi Braccarensis Episcopi jubebat prorsus ab eo qui vellet Monasterium ingredi, sua prius omnia vendi ac pauperibus, ne retento quidem nummo, distribui. Ceteræ vero Regulæ, ut Benedicti, Tetradii, Cæsarii, Magistri, Isidori Hispalensis, Id optabant solum ac consulebant, non jubebant, sed patiebantur sua ab eo dari, vel parentibus, vel pauperibus, vel Monasterio ipsi: omnium tamen eorum una hæc erat sententia, ut a professuro nihil exigeret Monasterium, T. VII. c. 59. n. 1. 2. 3. Eo autem facilius ab exigendo Monasteria poterant abstinere, quod tum idonea dote a conditoribus extruerentur si Isaaci Monachi Monasterium & paucula his similia excipiantur, quæ nullas terrenas volebant possessiones, n. 5. 9. tum plerique in profitendo res suas magnæ ex parte Cœnobio addicerent, num. 6. 7. 8. tum denique licet jam professi possent adire, quæ illis obtin-

tingebant parentum fato hæreditates, easque tunc ut cognatis vel pauperibus, ita & Cœnobio ipsi possent distribuere, cap. 50. num. 10. cap. 51. n. 5. ad num. 8. Quin nec illis hæreditatibus vel earum portione frustrabatur Monasterium, si mortuus erat, cum obtingebant, ille qui professus fuerat, cap. 50. n. 5. §. *Docet*. Porro si qui Monachus fieri volebat, is erat qui non posset se opere manuum sustentare, curabat Gregorius ei aliquid ex bonis paternis a parentibus assignari: ut proinde ea in occasione non displicerent pecuniariæ pensiones, cap. 50. num. 5. §. *Suo*. Si quæ tum vigebant leges sæculi de hæreditatibus profitentium Religionem, restituerentur modo, posset & æque facile revocari usus ille nihil ab iis expetendi, T. VII. cap. 51. n. 6. De simonia nec cogitabant nec suspicabantur aliquid Præpositi monasteriorum, dum nihil volebant exigere, sed unum summum paupertatis studium: nec secus facientibus Monasteriis opulentis simonia sed avaritia solum illinebatur, c. 51. n. 8. 9.

De simonia rursus in profitenda Religionis sub Imperio Caroli Magni,
T. VII. cap. 52.

Vetabant ea ætate Coocilia quidquam a profitentibus exigi, cap. 52. num. 2. 7. 10. Id vero facile adhuc servatu erat, tum quia pergebant adhuc Monachi hæreditates paternas adire, seu jam apertas, seu postmodum obventuras; tum quia Monasteriis penuria laborantibus succurrebatur ex fisco Regio: tum quia sanciebant Concilia, cavebantque Reges, ne plures admitterentur Monachi, vel Moniales, quam a Cœnobiu sustentari possent, num. 1. 3. 5. 8. Nec tamen cum illius ætatis Occidentalia Concilia vetarent quidquam a profitentibus exigi, simoniæ religionem objiciebant, ante ejus suspicionem injiciebant, num. 8. Eam nihilominus in Oriente objicit aut innuit Concilium VII. Generale, n. 10.

De eodem simoniæ genere ab anno millesimo,
T. VII. cap. 53. & 54.

Ætatis illius Concilia vetant exigi quidpiam a professuris, & tum simoniæ crimen, tum anathema intentant, cap. 53. num. 1. 2. Ne epulas quidem aut vestes ab iis exigi patitur Parisiense ann. 1212. Concilium, num. 2. Sic nec epulas Alexander III. cap. 5. Vestes ab iis permittit exigi, si ea est domus paupertas, Oxfordiense ann.1222. Concilium, n. 3. Plerasque Moniales ea ætate prætextu paupertatis infectas simonia fuisse dolet Lateranense IV. ann. 1215. Concilium *ibid.* Et ideo pretio hactenus receptas jubet vel in alia Monasteria traduci, vel novam in eodem Monasterio professionem edere, in extremum ibidem locum rejectas: si vero quædam postmodum pretio reciperentur, tum eas, tum recipientes ipsas jubet in arctioris Regulæ Monasteria ad perpetuam pœnitentiam agendam retrudi; id quod & de Monachis Canonicisque Regularibus statuit, *ibid.* Affine huic decretum Alexandri III. in Monachos & Canonicos Regulares, T. VII. cap. 53. num. 5. Ad extirpandam Monasteriorum simoniam vetat Oxfordiense ann. 1222. Concilium Moniales ullas ultra numerum reditibus Monasterii parem admitti, num. 3. 5. Vetat & id Bonifacius VIII. sique secus fiat, professionem eorum irritam decernit: ad non mendicantes autem spectabat illud ejus Decretum, n. 6.

Unde mos inolevisset pecuniam exigendi. T. VIII. c. 53. num. 2. 9. Quare nollent Concilia illius ætatis exigi quidquam a professuris, etsi ultra numerum ii essent, num. 4. Poterant tamen ultra numerum admitti, quotquot sponte quod sibi sufficeret, offerebant, num. 7. Si quis ultra numerum velint admitti, quibus tamen ultra numerum nutriendis non sufficiat Monasterium, docet sanctus Thomas posse ab iis alimenta exigi quanquam nec id proprie tunc dicendum sit exigi, nec pactionis a Conciliis vetitæ, sed eleemosynæ instar haberi debeat, T. VII. c. 53. num. 10. Sic S. Bonaventura, sic sancta Clara, n. 11. Sic Petrus Cantor, num. 14. Sic Concilium Senonense ann. 1528. cap. 54. num. 2. Sic S. Carolus Borromæus in suis Conciliis: unde quæ fuerit Concilii Tridentini sententia liquido potest haberi, num. 3. Sic etiam tum Poncherius Episcopus Parisiensis sui ann. 1506. Constitutionibus, tum Declarationes Cardinalium Concilii Tridentini, ac Congregatio negotiis Episcoporum & Regularium præposita, tum Avenionense ano. 1584. Concilium, cap. 54. num. 5. 7. 8. Immo ut in ipsis etiam Monasteriis, ubi numerus fixus est Monialium, possit numerariis ipsis ab Episcopo aliquid præstitui solvendum, tum ex iisdem Carolis Conciliis, tum ex iisdem Congregationibus, tum ex eodem Avenionensi Concilio, num. 3. 7. 8.

Sua & parentibus simonia, cum quosdam e liberis suis in Monasteria, etsi iis nutriendis paria gratis immittunt, quo ditior reliquis eorum filiis obtingat hæreditas, T. VII. cap. 53. num. 12. Simonia est Monialibus, cum plus habetur ratio pecuniæ quam personæ cum offerentis, num. 11. 14.

De Simonia in sepulturis, v. tit. *Sepultura*.

De

In

In Oriente Clerici Præsidesque Provinciarum defunctis Episcopis ædes Episcopales diripiebant & spolium invadebant, cum ut verisimile est, ad reprimendas hujusmodi rapinas intervenissent isti Præsides, n. 12.

De Episcoporum Abbatum, & Prælatorum inferiorum in colligendis spoliis potestate post annum millesimum, T. VIII. c. 56.

Abbates quidquid a Prioribus Obedientiariisve aliis sibi obnoxios congestum fuerat, ad se revocabant post eorum mortem videlicet istæ sic ad fontem suum refluere videbantur, c. 56. n. 1. 3. Nec ad illius ætatis Concilia vel Pontifices improbavere, sed certos solum iis fines præscripsere, n. 2. 4. Sic immo & eorum instar Episcopi & Archidiaconi aliive eorum ministri spolia colligebant sæcularium Beneficiariorum post ipsorum mortem. Nec mirum, si res a capite, arcessatur, & ab exorto Ecclesiæ. Quippe Beneficiarii depositum solum & administrationem fructuum Beneficiorum suorum habebant, non autem dominium & proprietatem; nec nisi depositum ipsi commendatum repetebant tunc seu Episcopus, seu Archidiaconus, num. 2. 3. 4. In Provinciæ Turonensis certis Regionibus Archidiaconi & Archipresbyteri lectum in quo decubuissent Parochi, sibi vindicabant, aut ejus loco certam pecuniæ summam, ab ipso etiam Provinciæ Concilio adprobatam, num. 4. Spolia Ordinis Cisterciensis ex S. Pii V. concessu non ad eorum Abbates Commendatarios devolvuntur, sed ad ipsum Ordinem, cap. 57. num. 11.

De summi Pontificis in spoliis colligendis post annum millesimum potestate, T. VIII. c. 57.

Ab annis jam ducentis aut trecentis Abbates Prioratuum, Episcopi & Prælati inferiores plurimorum Beneficiorum vacantium spolia ante accipere consueverant, quam Romani Pontifices de spoliis accipiendis cogitassent, cap. 57. num. 7. Necdum tempore Bonifacii VIII. ea colligebant Romani Præsules: immo ipse illum in aliis illis usum tollere conatus est & valde coarctavit, num. 2. Necdum item id apud Romanos Pontifices tempore Clementis V. & Joannis XXII. erat in usu, num. 4. Id ab eis cœptum est tempore schismatis Avenionensis inter Urbanum VI. & Clementem VII. Primusque iste, quod exsors esset Patrimonii Romanæ Ecclesiæ in Italia, quippe Avenione sedens, tum pinguia quæque sibi reservavit Beneficia, tum spolia Episcoporum Abbatumque morientium, num. 5. Restitit ei primum Universitas Parisiensis: at jussu Ducis Audium, qui Caroli VI. Regis tum impuberis tutor atque adeo Regni Rector erat, conticuit, *ibid.* Quæ pro usu illo, quæ contra illum rationes, num. 6. 7. 9. Quarto vel quinto post anno Carolus VI. ipse illum e Regno suo sustulit, T. IX. c. 57. n. 6. 8. Contra vero eum admisere complures orbis Christiani Provinciæ, n. 7. Eum tolli optavit Constantiense Concilium, at non sustulit tamen, sicut Synodus Basileensis, n. 10. Conatus est Pius II. spoliorum legem in Galliis innovare; sed & Ludovicus XI. & Ludovicus XII. vanos reddidere conatus suos, n. 11. In aliis Regnis obtinet, pauculis quibusdam limitibus & conditionibus a S. Pio V. circumscriptum, num. 11. 13. Illo porro jure illis qui ei subsunt Beneficiariis eripitur potestas testandi, num. 9. 11. 13. Sed de Testamentis Clericorum infra tit. *Testamenta*.

Stephanus de Garlanda.

Cum Diaconus esset, erat tamen & Regis tum Dapifer, tum Magnus Seneschallus, quod & postea Comes Stabuli. Hinc S. Bernardi adversus eum querelæ, T. IX. c. 24. n. 2.

Stipendia.

Deberi stipendia Ministris Ecclesiæ probatur lege naturali lege veteri, exemplo & verbis Christi, exemplo item & verbis Apostolorum, T. VII. cap. 1. num. 1. 2. 6. 7. 8. 11. Ea durius exigebant jam Clerici tempore Hieronymi, cap. 4. num. 1.

Strigoniensis Primatus, v. Ind. Geograph.

Studia, T. IX. c. 71. v. tit. *Schola*, & tit. *Theologus*.

Professoribus Theologiæ Beneficiariis non statim fuit ab initio stata & perpetua residentiæ immunitas concessa T. VI. cap. 71. num. 1. Eam illis Concilium IV. Lateranense sub Innocentio III. ann. 1215. concessit aut concessam confirmavit, num. 2. 3. Clarius adhuc stabilivit Honorius III. num. 4. Nec illam immunitatem iste coercuit intra Capitulorum Professores, sed & eam ad Professores Theologiæ etiam in Universalibus extendit, quæ & hodierna est disciplina, T. VI. cap. 71. num. 5. 6. Eadem Budense ann. 1279. Concilium extendit, aut extendendam annuit ad Juris Canonici Professores, num. 7. 8. immo Nicolaus IV. aut propagavit, aut jam propagatam confirmavit ad omnium Facultatum in Universitate Professores, num. 8. Sique eorum Beneficium in eo sit loco situm, ubi docent, perinde tamen est, num. 9. Etsi autem fructus suorum percipiunt Beneficiorum, non tamen distributiones: id gratiæ solis conceditur Cathedralium Theologis, & quidem iis solum diebus quibus docent, aut prædicant, num. 9. §. *Censuit*.

Stu-

Studiorum causa jam octavo sæculo licebat Clericis, loca scientiarum celebriora adire, etsi residentiæ lege essent constricti, T. IV. cap. 6. num. 9. Jam Alexandri III. tempore erat in usu positum, ut cum studiorum causa abessent, non tamen Beneficii sui fructibus privarentur, T. VI. c. 71. n. 3. Id gratiæ ipsis postea confirmavit Honorius III. qui eos hac gratia per annos quinque gaudere voluit, num. 4. Bonifacius VIII. per septem annos, id quod ad illos etiam extendit, qui Ecclesia Parochiali essent onerati, n. 6. Istis tamen Parochis unum duntaxat annum concedit Congregatio Concilii Tridentini, n. 9. Plura vide *Ibid.* & num. 10.

Subdiaconatus & Subdiaconi, T. II. c. 30. 31. 32. 33. v. tit. *Ordines*.

Subdiaconorum vel ipse meminit Ignatius, T. II. cap. 30. num. 2. Vetantur in Concilio Laodiceno Subdiaconi vasa sacra contrectare, gestare Orarium seu stolam, & vel tantillum recedere a porta Chori quam debebant custodire. Sicque nonnisi in minorum Ordinum classe a Græcis Subdiaconatus habebatur, num. 3. Et re non fuit olim Ordo Sacer, cap. 33. num. 2. in Subdiaconosque æque ac in Laicos Gregorius jubebat verberibus animadverti, cap. 31. num. 3. Quomodo dici potest institutionis esse divinæ, T. II. cap. 30. num. 4. Ejus apud Latinos meminere Cyprianus & Cornelius Papa, num. 8. 9. Ordinationem ejus describit Concilium IV. Carthaginense, num. 10. Vasa sacra contrectabat Subdiaconus apud latinos, ejusque officium erat Oblationes in Ecclesia a fidelibus suscipere, & ad Diaconos superponendas Altaribus deferre, cap. 31. num. 2. Erat tamen id primi e Subdiaconis, indeque Oblationarius Subdiaconis dicebatur Latinis, cum Græci primum Subdiaconorum vocarent Domesticum Subdiaconum, cap. 32. num. 8. Primus vere e Pontificibus in sacros Ordines retulit Subdiaconatum Innocentius III. cum statuit ex subdiaconis æque ac ex Diaconis absque prævia dispensatione posse assumi Episcopos, quos vetuerat Urbanus II. in Concilio Beneventano, immo constans ipsa Ecclesiæ disciplina ex aliis quam ex sacris Ordinibus assumi, T. II. c. 33. n. 2. 3. Præiverat tamen Innocentio III. aliqua ratione tum idem ille Urbanus II. cum declaraverat posse ex Subdiaconis licet non ordinario saltem cum venia Episcopos assumi: tum præfatus Gregorius dum Subdiaconos continentiæ legibus in Ordinatione sua prorsus astringendos sanxerat. Atque ita explicandus ipse Innocentius III. dum ait relatum ab Urbano II. & a Gregorio Subdiaconatum in sacros Ordines, num. 2. 3. Urbanum II. inter & Innocentium III. Hugo de Sancto Victore Subdiaconatum adhuc eximit ex albo sacrorum Ordinum, & quidem ut ex communi sententia, n. 4. Jam dudum ante illa, immo & Gregorii tempora Concilium II. Toletanum sacris Ordinibus gradibusve Subdiaconatum annumerat, T. II. c. 63. n. 2.

Svecia, v. Ind. Geograph.

Suessionensis Ecclesia, v. Ind. Geograph.

Sugerius Abbas.

Sugerius Abbas San-dionysianus, Regni Vicarius a Ludovico Juniore dicto in Palæstinam pergente creatur. Ejus laudes, T. VIII. c. 24. n. 11.

Supellex, T. IX. c. 34. ad c. 40.

Supellex Episcoporum ac Clericorum quam modesta esse debet ex omnibus huc usque Conciliis & Patribus, T. VI. cap. 34. usque ad c. 42.

Superflua.

Superflua Beneficiariorum pauperibus debentur, T. VIII. c. 22. n. 1. Superflua item divitum, T. VII. c. 4. n. 12. c. 6. n. 9. 10. c. 9. n. 13. §. *Addit*, T. IX. c. 100. 101. 102.

Syncelli dicebantur antiquitus, qui cum Episcopo in eadem cella manebant, ut vitæ ejus & omnium ejus actionum testes essent, T. II. cap. 100. num. 1. Vocabantur & Concellanei & Cellulani, num. 5. Motis id invectum fuit a Monachis ad episcopatum assumptis, qui ut prius Concellaneos Monachos habuerant, perrexerunt Episcopi jam facti Concellaneos sibi adhibere, in quo & alii eos imitati sunt, num. 1. Syncellorum jam usus erat apud Orientis episcopos ante Concilium Chalcedonense, *ibid.* Quinto sæculo in Italia edicto Regio simul & Pontificio jussi sunt Presbyteri quoque & Diaconi sibi semper adhibere Syncellos, num. 6. Eandem eodem ævo cautionem sibi adhibuisse leguntur Galliæ Episcopi, eademque uti jussi sunt ibidem Archipresbyteri, num. 7. 8. Cumque ista in pluribus exolevisset consuetudo eam instauraverant nono sæculo Concilia Galliæ, cap. 105. num. 1. Firmatur & eodem tempore in Italiæ Conciliis, c. 101. n. 2.

In Occidente ut plurimum e Clericis erant Syncelli Episcoporum; in Oriente vero ut plurimum ex Monachis, ut & vulgo ex Monachis ibidem Episcopi assumebantur, T. II. cap. 102. num. 3. 4. in Oriente item qui ex pluribus episcopi vel patriarchæ Syncellis primus erat Protosyncellus appellabatur: isque persæpe erat ejus successor, T. II. c. 100. n. 9. cap. 101. num. 6. Hinc fiebat ut & ipsi Principes Imperatorumve filii sese curarent

fieri Syncellos. Constantinopolitani Patriarchæ, *ibid.* immo ut & episcopi ipsi & Metropolitæ hunc eundem affectarant locum, n. 7. id quod eos Syncellis addidit animos, ut supra Episcopos & Metropolitanos consessus & honoris Primatum exambierint, & tandem obtinuerint, cap. 101. num. 8. cap. 102. num. 5. Post annum millesimum perrexere Concilia per singula hucusque sæcula decernere, ut sui semper essent Episcopis Presbyteri Clericive comites individui, ac totius privatæ secretiorisque vitæ testes, T. II. cap. 102. n. 1. 2. id diligenter observare Anselmus Cantuariensis, Cardinalis Borromæus, & Franciscus Ximenius Archiepiscopus Toletanus, num. 3. Quin & decimo-tertio sæculo Cardinalis Legatus insulæ Cypri omnibus ibi Dignitatibus Capituli præcepit, ut duos sibi semper adjunctos haberent Clericos, vitæ eorum testes futuros, Canonici vero unum.

Synesius.

Synesius quantum pugnat ne Ptolemaidos crearetur Episcopus, T. V. cap. 65. num. 6. c. 66. n. 11.

Synodi Diœcesana, T. VI. c. 73. 74. 75. 76.

De iis ab anno 500. *ad annum* 800. T. VI. c. 73. toto.

Quæ earum causa, qui finis, cap. 73. num. 1. 2. Ad illas ea ætate conveniebant Abbates, quippe & ipsi tum super seipsis tum super Monachis suis examinandi presbyteri item ac Clerici prorsus omnes, immo & Laici: suffragii definitivi jure penes solum Episcopum forsitan manente. Sedebant proximi post eum Abbates, num. 3. 4. Sunt hæ Synodi omnibus aliis Synodis, seu Universalibus, seu etiam Provincialibus antiquiores, c. 75. n. 1.

De iisdem sub Imperio Caroli Magni & Regiæ ejus prosapiæ, T. VI. c. 74. toto.

Convocabantur per Archidiaconum & Comitem, Regiomve Præfectum, qui absentes mulctabat, cap. 74. num. 1. Singulis annis habebantur, num. 5. immo & bis alicubi per annum: quæ fuerat earum lex antiqua, scilicet pro antiqua illa lege & consuetudine Conciliorum Provincialium bis anno quolibet habendorum, n. 6. 10. §. *Istiusmodi*. Ad eas Parochi quosdam e privato suo Seminariolo Clericos adducebant, num. 2. Quid in iis generetur, num. 2. 3. Ex earum intermissione queritur Atto Vercellensis Episcopus collapsam Ecclesiæ disciplinam, n. 10. Præter annuam ipsam Synodum Diœcesanam Episcopus Parochos omnes per turmas & per hebdomadas convocabat intra ædes suas, uberius a se & diutius in iis instruendos, num. 5. Et præ his conventibus annua illa Synodus vocabatur Synodus generalis, num. 6. Præter geminum illud Conventuum genus, ipsis Parochi Kalendis uniuscujusque mensis intra Decanatus sui ruralis terminos apud Archypresbyterum ipsum conveniebant, num. 10. 11. Quanta cum sobrietate: inde debebant abire, num. 10.

De Synodi Diœcesanis post annum millesimum, T. IX. cap. 75. toto.

Bis pluribus in locis habebantur, c. 75. n. 6. 7. 8. Erant necessario semel saltem in anno habendæ. Sic præter alia multa Concilia edicunt IV. Lateranense, Basileense, Tridentinum, num. 5. 7. 8. 9. Pœna suspensionis Episcopo eas non habituro irrogatur a Concilio eodem Lateranensi. Quin & eam *ipso facto* incurrendam statuit Salisburgense ann. 1420. Concilium: Comminatoriam tamen solum declarat hujusmodi Censuram Congregatio Concilii Tridentini, num. 5. 6. 10. Quæ earum forma, quis ordo, num. 2. Sedebant in iis Presbyteri pro suæ Ordinationis ævo *ibid.* Abigebantur ab iis Laici, nisi si erant eorum causæ discutiendæ; Clericorum enim & laicorum causæ in iis agebantur, *ibid.* Hinc nullum durationis earum tempus præfinitum: biduo tamen aut triduo eas protrahi jubet Concilium Basileense, n. 3. 8. §. *Novus*. Abbates mitra donati cum mitra in iis sedebant, n. 6. Qui reliquorum astantium habitus? *ibid.* Coloniensia duo sæculi decimisexti Concilia solos ad eas adigunt Abbates, Archidiaconos, & Decanos rurales, num. 8. Cum alia vulgo Concilia Parochos omnes iis adesse jubeant, num. 6.

De Synodis aliis minoris Archidiaconorum, Decanorum ruralium, & Officialium post annum Christi millesimum, T. VI. cap. 76. toto.

Synodales Testes.

Synodales Testes ii olim dicebantur viri probati qui Diœcesim unamquamque circumcursabant, vitam ac mores uniuscujusque exploraturi, ac Synodis ipsis sive Provincialibus sive Diœcesanis renuntiaturi, T. VI. cap. 76. num. 8. cap. 79. num. 9. 10.

T

Tarentasia, v. Ind. Geograph.
Tarraconensis Ecclesia, v. Ind. Geograph.
Tarranensis Ecclesia, v. Ind. Geograph.

Taurorum pugna.

Taurorum pugnam Sanctus Pius V. prohibuerat intentata excommunicatione tum iis Principibus aut Respublicis a quibus permitterentur, tum clericis majoribus & Be-

commigraret : Si cui erant liberi, nec ante professionem suam testatus fuerat, jam poterat adhuc post professionem suam testari, & sua inter eos & Cœnobium dividere; ita ut nec illos nec istud posset portione legitima frustrare : si intestatus iste decederet, singulis ejus liberis sua futura erat portio legitima, reliqua Monasterio. Hæ erant Justiniani leges, T. VIII. cap. 43. num. 9. 10. 11. 12. 13. cap. 45. n. 6.

Sub imperio Caroli Magni & ejus prosapiæ.

In Oriente vigebant adhuc eædem Justinianæ leges : suntque tum Basilicis insertæ tum in Photii Nomocanone, T. VIII. cap. 43. n. 13. cap. 45. num. 6. Extat & Leonis Sapientis Imperatoris Novella duplex. In prima statuit, ut qui anno 16. vitam Monasticam profitetur possit jam ante illam professionem suam testari: si vero anno decimo profiteatur, non possit testari antequam ad annum ætatis decimumquintum pervenerit; ante quem si moriatur, tertia pars solum bonorum ejus cedat cognatis ipsius, aliæ vero duæ Monasterio; immo & totum Monasterio si nulli sint ei cognati, T. VIII. cap. 45. num. 5. in secunda statuit, ut quæcunque obtingunt jam Professis bona sive ex testamento cognatorum sive ab intestato, ea possint cui voluerint distribuere, si dum professi sunt, aliquid Monasterio contulerint : alioqui tertiam ei conferant novæ illius successionis partem, reliqua prout voluerint administraturi, num. 7.

In Occidente Carolus Magnus in Capitularibus irrevocabiles esse vult donationes eorum, qui profitendo sua omnia tradunt Monasterio, T. VIII. cap. 45. num. 5. Lex alia Capitularium statuit ut si quis alterutrius sexus ante profiteatur quam testatus fuerit, omnia ejus fiut Monasterii, etiamsi liberos habeat, *ibid.* Id tamen, quod duriusculum haberi possit, ita videtur intelligendum ut sua liberis illis non eximenda sit tamen portio legitima; Monasterioque solum hic addicatur quidquid ultra istorum portionem legitimam possidebat ante professionem suam ipsorum parens Monachus Monialisve, T. VII. cap. 23. n. 5.

Post annum Millesimum.

Oxfordiense ann. 1222. Concilium Monachos vetat testamenta condere, ut qui se suaque profitendo dedicaverint Deo, nec in dominium alienum quidquam transferre possint, qui nihil habent temporale suum, T. VIII. cap. 49. num. 3. Innocentius III. uni quidem Monacho testandi licentia concedit, sed privilegio singulari, *ibid.* Vetat quidem etiam Prælatos Dertusense in Hispania ann. 1429. Concilium occupare bona, de quibus in morte statuerint Religiosi, quis secundum statuta vel laudabiles consuetudines permissum sit de bonis a Deo sibi collatis disponere, n. 4. At his forte verbis non Monachos intelligit, sed Religiosos Hispaniæ Equites. Equitibus enim Sancti Jacobi tum constitutionibus suis tum sanctæ Sedis privilegio concessum est testari de bonis Ordinis ipsius, quæ obtinebant, & de iis, quæ acquisissent, num. 6. Aut si Monachos intelligit, eos certe quibus fuerant Obedientiæ & Claustrales administrationes, quarum redditus possent ante obitum suum quibus vellent addicere, ex statutis & Constitutionibus quibusdam mollioribus Ordinis sui, quæ tunc visæ sunt tolerandæ, n. 4.

De Testamentis Abbatum.

Videtur olim minore cum indulgentia actum erga Abbates quam erga Monachos : præceptaque iis fuisse testandi facultas, T. VIII. cap. 40. num. 1. 2. cap. 43. n. 17. Abbati Probo fuit opus privilegio & dispensatione S. Gregorii, ut testamento legare posset ea; quæ habuerat antequam Abbatis Officio fungeretur, cap. 43. num. 5. Videtur tamen Justinianus dedisse iis facultatem statuendi in morte de omnibus successionibus, quæ ipsis post susceptam Abbatiæ administrationem jure cognationis usque ad quartum gradum obtingebant; ceteris ipsi eorum Monasterio prorsus addictis, cap. 40. num. 1. 2. Plura tamen septimo & 8. sæculo occurrunt seu Abbatum seu Abbatissarum testamenta. Sed vel eo solum fine condita sunt ut firmarentur magis, quæ isti Abbates vel Abbatisse Cœnobio suo relinquebant, vel ex Pontificia dispensatione condita sunt, vel necdum adeo obtinebat usus ille adeundarum dispensationum Pontificarum, cap. 43. num. 19. Forte denique pluribus in locis, quod patrimonii bona attinet, eadem erat Abbatibus quæ Monachis testandi facultas, num. 19. Post annum etiam millesimum immo sæculo 12. Stephanus & Joannes Angliæ Reges Abbatibus pollicentur firma fore, quæcunque in morte distribuerint ut distribuenda statuerint : sed fine forsan non alio hæc ab iis condebantur testamenta quam ne Magistratuum vel Principum aut Ministrorum prædationi pateret Ecclesiastica successio, cap. 49. num. 1. Ut sit, cum pugnatum est ne Abbates, Beneficiariisve alii seu Regulares seu Sæculares testamenta conderent, ut cum id illis concessum est, perinde erat, & eodem collimabatur, scilicet ut quæ sunt Ecclesiæ, nonnisi in pios usus impendantur, nec enim eos ab ista lege eximebat illa iis

data

T. II.

T. II. c. 37. num. 2. 5. 6. 7. 8. 10. 12. 13. Solo se breviori modestiorique capillitio ab Laicis Clerici secernebant, num. 2. Ad quam modestiam cum eos fidelesque omnes Petrus Paulusque chortarentur, potest in eos origo referri tonsuræ Clericalis, cap. 3. num. 5. cap. 38. num. 9. 12. Falso enim sive ab ipsis, etiam ab Aniceto creditur instituta, cap. 37. num. 3. 4. 5. Quod per coronam suam Episcopi a Fidelibus tunc adjurabantur, aut eorum coronæ adprecarentur alii, aut ab aliis eorum corona salutaretur, non intelligendum est de rasa quapiam vel attonsa capitis corona, sed de Regali ipso illis communicato Christi sacerdotio, cap. 37. num. 9. Vel de capitis ornamento, mitra vel corona dicto, quo Sacris operantes utebantur, cap. 45. num. 6. Erat autem maxima illa capillorum modestia; adeo ut sexto sæculo Martinus Braccarensis, necdum tonsuram coronamve memorans, Clericos tamen jubeat esse capite attanso & auribus parentibus, c. 38. n. 2.

A sexto sæculo ad Caroli Magni tempora.

Sæculo sexto exeunte cœpit Clericorum Tonsura, nempe ut Clerici ea ex parte imitarentur Monachos, qui haud ita multo ante præ humilitate, & ut despicatui essent, etsi caput non adhuc sibi novacula radebant, nec ad pressum attondebant, capillos tamen ad aures & ad cutem usque sibi præcidebant, T. II. cap. 37. num. 12. 13. Cum eo tamen discrimine quod Monachi, sicut nec Pœnitentes, circulum non haberent capillorum, infra cingentem attonsos & præcisos illos superius capillos; Clerici vero e contra talem circulum per modum coronæ infra capillos illos attonsos præcisosve gestarent, unde & Corona Clericalis dicta est, cap. 38. num. 3. 4. 6. 8. Tales exhibet vultque esse in Hispania Clericos omnes Concilium IV. Toletanum ann. 633. habitum, num. 3. Tonsura igitur clericalis duobus constabat, scilicet superioribus illis capillis ad illum usque circulum nec novacula rasis nec ad pressum tonsis, & corona illa, seu illo inferiori capillorum utique copiosiorum circulo, num. 3. 4. 6. 8. 10. Ita quoque se res habebat eo tempore in Anglia, tonsuramque simul ac coronam gestabant Clerici, c. 38. num. 10. & 11. id quod & ipsi ibidem vicissim imitati sunt Monachi, num. 16. 17. in Gallia similiter eadem ætate duobus illis iisdem partibus constabat Clericorum Monachorumque tonsura, scilicet superiori illa detonsa capitis parte, & inferiori illo capillorum circulo, T. II. cap. 39. num. 2. 3. 4. 5. Est autem cur dubitetur, an non vere superior illa pars capitis rasa esset in Gallia; ita ut nihil ei penitus inesset capillorum, num. 6. in Italia iisdem temporibus duplici illa eadem parte constabat utrorumque tonsura, & ita quidem ut superior illa, licet attonsa, non tamen capillis esset nudata, cap. 39. num. 7. 10. Sed & Laici qui in ministerio & ex familia erant Ecclesiæ, Tonsuram quoque in Italia gestabant, num. 8.

Sub Imperio Caroli Magni & Regiæ ejus prosapiæ, ac deinceps.

Ætate Caroli Magni jam superior pars illa capitis quam inferior ille cingebant circulus, novacula radebatur in toto Occidente, T. II. cap. 40. num. 3. 4. 11. §. *Clerici*. Æqualis erat, & antea fuerat, tum Monachorum & Clericorum sive tonsura sive corona, tum etiam omnium inter se Clericorum, cap. 38. num. 3. 4. cap. 39. Eaque rotunda & circularis, cap. 41. num. 3. Et quidem ejus amplitudinis, cujus nunc amplitudinis est corona Canonicorum, *ibid.* Cœpta est postmodum in Clericis imminui: jussique sunt isti sæculo 33. amplas quidem gestare coronas, seu Monachi amplissimas, Episcopi tamen haud Monachali dissimilem, *ibid.* Jam sæculo duodecimo ea lex erat, ut major vel minor esset pro majoribus vel minoribus Ordinum gradibus, *ibid.* Eam gestare æque jubebantur conjugati Clerici, ac alii non conjugati, nisi vellent privilegio Clericorum exui, *ibid.* Quanta porro esset in præcipienda Clericis Tonsura coronave severitas, v. tit. *Clerici*, Tonsuræ & coronæ significationes morales & mysticæ, T. II. cap. 38. n. 6. 7. 12. c. 40. n. 4. 5. 10.

Concilia sæculi decimi quarti & deinceps jussere nullum insigniri Tonsura, quin contestaretur se casto eam animo exoptare, velleque semper in Clericatu manere, ac ad sacros Ordines aliquando promoveri, T. IV. c. 14. n. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

De Tonsura Clericorum apud Græcos.

Ut de Occidente jam dictum, sic in Oriente Clerici initio se a Laicis breviori modestiorique coma secrevere, T. II. cap. 37. num. 14. Atonsi sunt postmodum, sed sine corona, seu sine illo priorum circulo quem gestabant Occidentis Clerici, cap. 39. num. 16. At & in hoc imitati quoque postea sunt Occidentis Clericos, num. 14. Tempore Ratramni Corbejensis Photiique totum sibi caput Græci capillis nudabant, cap. 40. num. 3. 4. Tempore Michaelis Cerularii apicem capitis redebant, comam reliquam nutrientes, cap. 42. num. 4. Concertatio Græcorum Clericorum cum Latinis super capillis & barba, T. II. cap. 40. num. 3. 4. cap. 42. num. 4. 5.

Geor-

in ea alba, qua in suos usus quotidie utitur, Missam cantare, præcipiunt alii ut eam celebret cum amictu, alba, cingulo, fanone, manipulo, stola & casula, quæ nitida sint, & nullis aliis serviant usibus, *ibid.* Jam tum, ut modo fit, Diaconi certis diebus abstinebant in Missa Dalmaticis, & Casula plicata utebantur, num. 4. De Græcorum illa eadem Caroli Magni, & Posterorum ejus ætate vestibus sacris, eod. c. 49. n. 6. *& seqq.*

De communi civilive Clericorum veste ab anno 1000. *ad annum* 1300.

Nullam tum temporis videtur fuisse Clericis necessitas assumendi coloris nigri, T. II. cap. 50. num. 1. Immo in historia Abbatiæ S. Martini Tornacensis dicitur Monachorum habitus niger, Clericorum albus, num. 9. §. *Eadem*. Edicunt solum sæculorum illorum Concilia, ne plurium sint colorum vestes Clericorum, tum ne splendidiorum: ac præsertim rubeas & virides iis inhibent, & quidem ipsis etiam Decanis, n. 1. 2. 3. 4. 9. Has tamen Episcopis gestare fas erat, n. 4. Cum eos haud excepissent sæculi septimi Concilia, c. 46. n. 2. Edicunt item ne seu interioribus, id est subtanis, seu exterioribus uterentur Clerici vestibus, quæ scissæ & apertæ essent sive ab anteriori aut posteriori parte, c. 51. n. 2. 3. 5. 6. 8. Edicunt quoque ne cappis manicatis uterentur: & quidem ex Conciliis illis alia id universis inhibent Clericis, alia solis Presbyteris & Dignitatibus, & quidem in publicum procedentibus, n. 2. 3. 4. 6. 9. Scissas vero & manicatas seu cum manicis pendulis vestes tam acriter interdicunt Clericis, quod iis uterentur illi Laici qui oblongis adhuc utebantur vestibus, n. 9. Alia cappas istas manicatas solum in Ecclesia, & inter sacra ministeria prohibent, cum alia eas ubique antea proscripsissent, num. 4. Jubentur ab iisdem illorum temporum Conciliis Presbyteri nunquam stolam deponere, ne in itinere quidem, T. II. cap. 50. num. 1. Id quod argumento est stolam communiter non fuisse signum jurisdictionis, cap. 52. num. 10. Jubentur in horum Conciliorum prioribus, Clerici vestes habere oblongas & talares; in posterioribus, saltem ultra tibiarum medietatem productas, cap. 50. num. 3. 7. Vestem lineam seu albam super cetera indumenta gestabant Clerici omnes quocunque in loco, & quidem ad terram usque pertingentem; postmodum eam in Ecclesia solum retinuere, extra Ecclesiam vero soli Canonici Regulares, & ea quidem qua eos uti videmus brevitate; quæ enim jam sunt superpellicia, hæc olim erant albæ, cap. 50. num. 4. & cap. 52. num. 4. seu talaria erant superpellicia, cap. 52. n. 4. Et exeunte decimo sexto sæculo ultra medias adhuc tibias illa propendebant, cap. 52. n. 4. 5. Ea autem alibi erant manicata seu manicis amplis instructa, alia non manicata seu sine ullo manicarum genere & instar Roquetorum, num. 4. 5. Nullus porro ante Stephanum Tornacensem meminit superpellicii, eratque tum temporis talare, c. 52. num. 5. Plura vide de cucullis, de colaribus, de calceis, de cappis &c. toto c. 50.

De Clericorum veste communi civilive ab anno 1300.

Concilia item ab anno 1300. præcipiunt ut Clericorum vestis sit talaris, nec tamen terram verrat, ut item sit clausa, & quidem sine botonibus. Permittunt quædam ut ab anteriori parte sit aperta altitudine sesquipalmæ; quædam ut ad genua usque, quo facilius possint incedere, T. II. c. 51. n. 1. 2. 3. 4. Vestes clausas exigunt alia solum in Presbyteris, Canonicis, & Dignitatibus, num. 2. Permittunt nonnulla breviorem usum vestium in itinere, & re iis usus est Sanctus Carolus Borromæus, n. 2. 3. 4. Non item adeo curant de manicis modo sint modestæ, num. 2. Vestes sericas alia permittunt, prohibent alia, ne exceptis quidem Episcopis, quos tamen excipiunt nonnulla, cap. 11. n. 3. 4. 6. c. 52. n. 4. Collaria inhibent rugata rugatusque illas breviunculas in extremo brachio lineas manicas, n. 5. 6. Calceos item inhibent, qui rubei, virides vel albi essent, aut boucletis argenteis instructi, cap. 51. num. 1. 2. 3. Vestes nondum exigunt nigras Concilia ann. 1314. & 1338. num. 1. Cavent solum ne vel viridis, vel rubei, vel albi coloris sint ann. 1429. & 1473. num. 3. Et ne item strictæ nimium sint, ac corpori bene adjacentes, c. 51. n. 3. Aliquot post annis jam exigunt Constitutiones Parisienses, ut nigri sint coloris, aut ad nigrum proxime accedentis, *ibid.* Atque niger color jam tum factus fuerat solitus & communis Clericorum color, n. 9. Demum Concilia Tridentina posteriora nigrum præceperunt prorsus, exceptis Dignitatibus, si quæ alium postularent, cap. 51. n. 4. 6. Alia Clericis pileo interdixerunt solum in Ecclesia, alia etiam in urbe, iis solum relinquentia birretum, exeunte sæculo decimo sexto jam quadratum, antea rotundum, T. II. c. 51. n. 2. 3. 4. 5. 6. Clericos quædam in sacris Ordinibus constitutos, quædam universos prohibuerant vestibus lugubribus in morte fratrum & suorum, matris & patris, & quædam quidem omnino, quædam solum intra bimestre spatium, c. 51. n. 1. 3. 4. 6. Quam vero semper

per

per constaret secum Ecclesia, cum alia aliis temporibus & locis prohiberet vel permitteret, num. 10. De soderaturis, armutiis, caputiis, cocullis, c. 51. n. 1. 2. 3. 4. 5. Iterum de caputiis, armutiis, pileis, birretis, quæ nomina ut plurimum idem sonabant, genus scilicet vestis tegendo capiti Clericis Laicisque commune; aliquando quid diversim significabant, c. 52. n. 6. Quæ vero communis erat Laicis & Clericis armutia, Canonicorum tandem facta est insigne, c. 52. n. 6.

In Episcoporum & Clericorum vestibus quanta debet esse modestia ex omnibus huc usque Conciliis & Patribus, T. IX. a cap. 34. ad c. 42.

De Clericorum in Ecclesia vestibus ab anno millesimo.

Multæ iis erant in Ecclesia & extra Ecclesiam ætate illa communes, quæ tandem ab illis nonnisi in Ecclesia gestatæ sunt, sia caputia, armutiæ, birreta, T. II. cap. 52. num. 6. Sic stola sine qua nec in itinere quidem licebat olim Presbyteris incedere, & quæ tandem nonnisi in Ecclesia cœpta est gestari, cap. 50. num. 1. Sic albæ aut superpellicia, sine quibus numquam incedebant, nisi quod nulli in ea licebat alba sacrificare, in qua extra Ecclesiam incedebat, cap. 50. n. 2. cap. 52. num. 4.

Ex Clericorum vestibus quædam erant quæ ex vestibus Imperatoriis desumptæ fuerant: Imperatoribus scilicet largientibus sua Sacerdotibus, ut & Sacerdotes sua Imperatoribus ac Principibus, T. II. cap. 45. num. 8. cap. 46. num. 5. cap. 47. num. 4. cap. 49. num. 3. 7. cap. 52. n. 1. 2. cap. 57. num. 2. Quæ nunc observatur vestium hibernarum & æstivarum in Ecclesiis vicissitudo ac diversitas, jam observabatur Nicolai III. tempore, cap. 62. num. 4.

De vestibus Laicorum.

Brevibus utebantur Galli vestibus, nempe Bracchis ante Romanum Imperium: vestes vero longas, scilicet togas suas apud eos Romani induxere, T. II. c. 51. n. 7. Quas & Galli retinuere, cum Galliarum potiti sunt Franci: immo & iis sensim se assuefecere Franci, totaque Gallia oblongis utebantur vestibus, *ibid.* Sed Galliam tandem Franciamve multis post sæculis pertæsum est longarum istiusmodi vestium. Cœpta res est ab hominibus de trivio, hosque deinde circiter ann. 1300. secuti sunt Nobiles quique; perstitere diutius in vestibus oblongis Reges ipsi, sed & eas tandem dimisere, nec iis jam tempore Caroli VI. utebantur, nisi in solemnioribus cæremoniis, *ibid.* Oblonga vero vestis illa, qua hactenus usi fuerant Reges Galliæ, ea erat, quæ deinceps fuit & etiamnum est vel Præsidum Parlamenti, vel Cancellariorum Franciæ: purpura quippe eos, & aliis Regiæ dignitatis ornamentis donavit Rex Philippus Pulcher dictus, T. II. c. 51. n. 8.

Rectoribus item Universitatis a Regibus Francis concessæ sunt quibus utuntur fœderaturæ, T. II. cap. 51. num. 8.

Galerus unde dictus? T. II. c. 51. n. 6. §. *Hæc ipsa.*

Vicarii Apostolici.

Vicarii Apostolici dicebantur ii, quibus Romani Pontifices in Patriarchatu suo vices suas committebant, in certas quasdam Provincias earumque Metropolitas. Eorum munus erat tum invigilare, ut ab omnibus servarentur Canones: tum Provinciis illis & Metropolitis jus dicere, ac de omnibus ferme causis supremam ferre sententiam; intactis tamen & integris Metropolitarum ipsorum juribus, T. I. c. 18. num. 8. c. 30. num. 1. 2. 3. Primus hujuscemodi Vicarius occurrit Archiepiscopus Thessalonicensis tempore Damasi Papæ, c. 18. num. 6. *& seqq.* Eadem postmodum dignitate & auctoritate nobilitati sunt in Gallia Episcopi Arelatensis, c. 30. n. 5. *& seqq.* Viennensis, cap. 30. n. 5. 7. cap. 35. num. 10. 11. Remensis, cap. 30. num. 10. 11. Lugdunensis, cap. 34. toto. In Hispania Episcopi Hispalensis, Tarraconensis, Toletanus, c. 30. n. 2. 3. 4. In Anglia Episcopus Cantuariensis, c. 31. n. 6. 7. 9. c. 36. num. 1. 2. 3. In Germania Moguntinus Episcopus, c. 31. n. 2. 5. In plagis aliis Septentrionalibus Adalbertus Hamburgensis Bremensisve, c. 37. n. 2.

Vicariatus isti Apostolici non erant machinæ adhibitæ ad propagandam Romanorum Pontificum dominationem, aut ad novo servitutis jugo opprimendam libertatem Ecclesiasticam; sed per eos solis serviebatur Regnorum & Provinciarum utilitati & necessitati, scilicet stabiliendæ in iis Religioni & Ecclesiasticæ disciplinæ, T. I. c. 31. n. 7. 8. c. 32. n. 1. §. *Exarchatus*, cap. 33. num. 12. cap. 34. n. 13. Immo illi ipsi Principes & Reges Episcopos suos illa dignitate ornari multis precibus efflagitabant, cap. 31. num. 7. c. 34. num. 13. Nec nisi ex Principum & Episcoporum consensu ut plurimum instituebantur, c. 32. num. 4. 5.

Vicarii Generales Episcoporum.

Munere Vicarii Generalis fungebantur primis sæculis in Parochis ruralibus Chorepiscopi ubi essent: in civitate vero ipsa is, quem de Presbyterorum numero seligebat Episcopus,

ut

De Vicariis Canonicorum.

Vicarii Parochiarum.

Vicedominus.

Vigi-

FINIS.

IN

INDEX
GEOGRAPHICUS

Eccleſiarum, quarum in hoc toto Opere ſit mentio.

A

(1) *Albara*. (2) *Avila*. (3) *Acrida*. (4) *Adrumete*. (5) *L'Egitto*. (6) *L'Etiopia*. (7) *L'Africa*.

(1) *S. Mauritio.* (2) *Agen.* (3) *Aister.* (4) *Aubenas.* (5) *Alba Reale.* (6) *Allano.* (7) *Alby.* (8) *Aldembourg.* (9) *Alet.* (10) *Alep.* (11) *Alessandria d' Egitto.*

(1) *Alexandria della Paglia*. (2) *Almeria*. (3) *Samastro*. (4) *Amiens*.
(5) *America nuovo mondo*. (6) *Aniano*. (7) *Angers*. (8) *Andres*. (9) *Angelopolis*.
(10) *L' Inghilterra*.

(1) *Le Puy*. (2) *Antiochia di Syria*. (3) *Antiochia di Pisidia*. (4) *Antibo*.
(5) *Palmiez*. (6) *Acqui*. (7) *Aix in Provenza*. (8) *Aquilea*. (9) *L' Aquitania*.
(10) *L' Aragona*. (11) *Arard*. (12) *Arles*.

c. 55. n. 17. *& seqq.* c. 118. n. 5. *& seqq.*

Arelatensis Nosocomii forma, T. II. c. 94. num. 11. Notariorum ibidem munus, c. 104. n. 13. Aliorum olim Clericorum regula, T. III. c. 3. n. 12. Item & Monachorum, c. 16. n. 4. c. 24. n. 1. *& seqq.* Necnon & Monialium, c. 45. n. 9. 12. Monasterii Regii Privilegium singulare, c. 30. n. 2. cap. 37. num. 4. §. 3. Quin & ad Monachos pertinebat in Arelatensi Provincia major pars Parochiarum, T. II. c. 27. n. 5. Alia privilegia Ecclesiæ & Capituli Arelatensis, T. III. c. 41. n. 15. etiam ab Imperatoribus concessa, T. VII. cap. 31. num. 6.

Argentoratensis (1) in Germania Capituli conditiones cur Gregorio IX. non probatæ, T. III. c. 63. n. 9. Earum tamen probata origo ab aliis, T. II. c. 104. n. 3. *& seqq.*

Arbusensis (2) Episcopatus in Dania a quo institutus? T. I. c. 56. n. 8.

Ariminensis (3) in Æmilia Episcopus licet Ravennati Metropolitæ subjectus, Romam ordinandus mittebatur, T. V. cap. 18. n. 10. Cur jure suo privatus in Monasterium? T. III. num. 4.

Arisitensis (4) in Gallia Narbonensi Episcopatus contra Ruthenum amplius centum annos qua auctoritate perstitit? T. I. cap. 55. n. 2. §. *Narrat*.

Armachani (5) in Hibernia Primatus descriptio, T. I. cap. 36. num. 8. 9. cap. 45. num. 13. cap. 59. num. 3. §. *At*. Illius Ecclesiæ summa potestas in ipsos etiam Reges & Principes, T. VII. cap. 32. num. 16. Purior itidem vivendi ratio, T. IX. c. 41. n. 12.

Armenorum (6) Ecclesia initio per suum Regem, & Apostolum, Cæsariensi Cappadociæ videtur fuisse subjecta, T. I. c. 17. n. 5. Postea Patriarchæ Antiocheno per suum Ordinarium Catholicum, qui idem est ac Persidis, & Romagyriæ, c. 16. n. 7. §. *Supra*. c. 24. n. 4. 5. 9. Tandem post ejuratam Eutychianam hæresim, Romano ipsi Pontifici, præsertim in Concilio Florentino, c. 24. n. 3. 11. 12. Et quidem deinceps per suum duplicem Catholicum seu Primatem, n. 4. 5. Tertius est Franc Armenorum a Francis seu Europæis nomen, & fidem adeptorum, num. 6. Quomodo demulsit Pontifex gentem in urbe Capha Chersonesi cum Latinis mixtam, c. 29. n. 3. Armeniæ Regi antea Confessarii deligendi privilegium indulserat, T. II. c. 10. num. 11. Armenorum consuetudines de confessionibus &c. T. IV. c. 8. n. 8. Alia olim damnata de officio lectoris a Laicis usurpatio, T. II. cap. 31. num. 4. An lingua Armena, T. I. c. 82. n. 10.

Armorica (7) Dux dum simul in Romanam & Francicam potestatem insurgit, varie concutitur a Synodis & Pontificibus, T. I. c. 5. n. 2. Ut puta de creatis ab eo 6. ex 4. Episcopis; c. 56. num. 4. Necnon ob ejus Archiepiscopum Dolensem; cap. 34. n. 10. c. 44. n. 4. E contra vero in auferenda prava consuetudine naufragiorum, T. VII. cap. 24. num. 1. Cur nunc Armorica vocetur regio strictæ obedientiæ; T. IV. cap. 46. n. 1. 2. 3. An etiam in jure deportus Parochiarum? cap. 37. num. 14.

Arverniæ (8) primus Episcopus a quo; T. I. c. 55. n. 6. Successorum jus in totam provinciam, T. VII. c. 32. n. 10.

Ascalonensem (9) Episcopatum quomodo Bethleemiticus impedivit; T. I. c. 58. n. 15.

Asturicensis (10) Ecclesiæ Decanus olim fuit prior ab Episcopo & Capitulo amovibilis, sicut in aliis Hispaniæ Ecclesiis, T. III. c. 70. n. 5.

Asiæ (11) septem principes Civitates, Ecclesiæ per quem adjunctæ? T. I. c. 1. n. 8. c. 3. n. 2. 3. c. 17. n. 4.

Civilis Diœcesis decem habebat provincias, Ecclesiastica undecim, n. 2. 3. c. 32. num. 1. v. 3. Successu temporis fere omnes Asiæ Regiones Patriarchæ Antiocheno, vel Constantinopolitano videntur accessisse, cap. 16. num. 7. cap. 32. num. 1. v. 3. T. V. c. 8.

Athenarum (12) in Græcia Archiepiscopi cum Capitulo quadripartita partitio, T. VIII. c. 33. n. 9.

Athos (13) montis trecentorum Monasteriorum sanctitas & privilegia, T. III. c. 36. n. 11. §. 2. 3.

Atrebatensis (14) Episcopatus vicissitudo, T. I. c. 49. n. 5. cap. 57. n. 4. 6. Illius Capituli disciplina, T. III. c. 41. n. 3. §. 4. n. 10. Necnon & Abbatiæ sancti Vedasti, cum Capitulo annexo, c. 11. n. 14. Qualis olim Episcopi Oeconomus? c. 70. n. 6.

Attiniacum (15) in Gallia Belgica palatium variis conventibus, & insigni Capitulo Abbatiæ Compendiensi subjecto clarum, T. III. c. 9. n. 14.

Avenionensis (16) Comitatus qando emptus a Papa T. IV. cap. 52. n. 8. Legatio vero ibi relicta, *ibid*.

Avenionensis Diœcesis Abbatia S. Ruffi quibus

(1) *Strasbourg*. (2) *Arbuysen*. (3) *Rimini*. (4) *Arisse*. (5) *Armach*. (6) *L'Armenia*. (7) *La Bretagna minore*. (8) *Clermont in Auvergna*. (9) *Scalona*. (10) *Astorgues*. (11) *L'Asia*. (12) *Atene*. (13) *Il Monte Athos*. (14) *Arras*. (15) *Attygni*. (16) *Avignon*.

B

(1) *Richenau*. (2) *Ausbourg*. (3) *Autun*. (4) *Aurillac*. (5) *Orleans*. (6) *Ausch*.
(7) *Ausavich*. (8) *Auxerre*. (9) *Babylonia*. (10) *Bagdet*. (11) *Bayeux*.
(12) *Le Isole Balcari*. (13) *Bamberg*. (14) *Banger*. (15) *Le nazioni barbare*.
(16) *Barcelona*. (17) *La Baviera*. (18) *Le Bec*.

(1) *La Fiandra paesi bassi.* (2) *Bellay nella Bressa.* (3) *Beaulieu presso Loches.* (4) *Beauvais.* (5) *Beaunes.* (6) *Benevento.* (7) *Beritho.* (8) *Bethlehem.* (9) *Beziers.* (10) *Bourges.* (11) *Blois.* (12) *Bobi.* (13) *La Boemia.* (14) *Bologna sul mare in Francia.* (15) *Bologna La Grassa.* (16) *La Bosnia.* (17) *Brague.*

C

(1) *Brandebourg.* (2) *Bremen.* (3) *S. Brieu.* (4) *Broinde.* (5) *Li Bulgari.* (6) *Barabur g.* (7) *Bordeaux.* (8) *Burgos.* (9) *Bourgueil.* (10) *Bourg nella Bresse.* (11) *La Borgogna.* (12) *La provincia Bizacena.* (13) *Chalon sulla Saona.* (14) *Caen.* (15) *Caors nel Querci.* (16) *Saragozza.* (17) *Cesarea di Cappadocia.*

(1) *Cesarea di Palestina*. (2) *Cesena*. (3) *Il gran Cairo*. (4) *Cagliari*. *Cailleri*.
(5) *Calcedonia*. (6) *Camaldoli*. (7) *Cambray*. (8) *Cande*. (9) *Cantorbery*.
(10) *La Cappadocia*. (11) *Capua*. (12) *Caramith*. (13) *Carcassona*. (14) *La Carinthia*.

(1) *Carlile*. (2) *Li Carmini del Monte Carmelo*. (3) *Chartres e Chateaudum*. (4) *Cartagine*. (5) *Cartagine*. (6) *Li Certosini*. (7) *Monte Cassino*. (8) *Castillon sulla Senna Chalon*.

Immo

(1) *La Mans.* (2) *S. Calez. S. Riquier.* (3) *Cester. Li Caldei.* (4) *Chiemsee.*
(5) *Chilester. S. Martino il Bello. Bolcham.* (6) *Cis Città di Caramania.* (7) *Cisterciensi.*
(8) *Chiaravalle.* (9) *Clairmont nell' Auvergna.* (10) *Classe.* (11) *Clery.* (12) *Clugny.*

(1) *La Colchide, overo li Lazi.* (2) *Colocz.* (3) *Colonia.* (4) *Compiegne.*
(5) *Compostella.* (6) *Condon.* (7) *Costanza overo Salamina.* (8) *Costanza.*
(9) *Costantinopoli.*

Der-

(1) *Conventre overo Coventry*. (2) *Li Cofti*. (3) *Corbie*. (4) *Corfù*. (5) *Corinto*. (6) *Cormery*. (7) *Cracovia*. (8) *Crasse presso Narbona*. (9) *Cipro*. (10) *Damasco*. (11) *Danimarca*. (12) *Delfinate*.

Dertusensis (1) Episcopatus Abbatia celebris quomodo privilegio donata? T. III. cap. 37. num. 4.

Derveise (2) in Gallia Monasterium, quo privilegio ex consensu Episcopi Catalaunensis auctum? T. III. c. 32. n. 9.

Diensis (3) cum Valentino Episcopatu in Gallia Narbonensi singularis in pluribus conjunctio, T. I. c. 57. n. 9.

Divionensis (4) Sancta Capella a Burgundis Ducibus quibus dotibus, conditionibus, ac privilegiis munita? T. II. c. 112. num. 6. §. 5. T. III. c. 36. n. 12. §. 2. T. VIII. c. 37. n. 13. Quos vicissim honores Canonici Ducibus ac Ducissis rependerint? T. III. cap. 64. n. 4. §. *Cum*. Divionem præterea Canonici Regulares S. Stephani cur e solitudine revocati? T. III. c. 11. n. 11. §. 2. n. 15. Quo etiam privilegio donati? c. 33. num. 3. Necnon ibidem Abbati Sancti Benigni, *ibid.* & c. 41. n. 19. §. *Diximus*. Cœnobio demum Sancti Vigorii aucta, T. V. cap. 39. n. 7. Non ita concertatione eum Canonicis Visuntinis de causa Ecclesiarum oppidi Saliuensis, T. III. c. 62. num. 2. Quænam vicissim Monachi S. Benigni Ducibus contulerint? cap. 64. num. 4. Necnon Ecclesiæ Cabilonensi, T. VIII. cap. 25. num. 10. §. 3.

Dolensis (5) in Armorica Archiepiscopatus qua ratione concussus? T. I. cap. 34. n. 10. c. 43. n. 7. 8. c. 44. n. 4. c. 45. n. 18. 19. Pallium tamen cum cruce prius Episcopo oblatum, T. II. c. 59. n. 1.

Dorcestrensis (6) in Anglia Sedes cur Lincolnam cum proprio capitulo translata? T. II. c. 20. n. 3. §. *In*.

Dublinensis (7) in Hibernia Ecclesiæ singulare exemplum in vacantia, T. III. c. 10. n. 10. §. 8. Aliud ex vita communi ab Archiepiscopo procurata, c. 1. n. 10. §. *Si*.

Dulnemensis (8) in Anglia Episcopus, quare nonnisi ex Monachis eligendus? T. III. c. 18. num. 3. Quibus tamen artibus insidiatur privilegio Monachorum sui Capituli? cap. 30. num. 9. Opulentam aliunde Parochiam collegio Canonicorum cum Rege instruit, T. III. cap. 11. n. 13. §. 5. Ipsemet vero a Rege amplissima cudendæ monetæ potestate, & per eam Comitatu instituitur, T. VII. cap. 31. num. 10. 11.

E

EBoraci (9) in Anglia Episcopatus a quo? T. I. cap. 55. n. 8. Metropolis, seu Primatus qualis? c. 31. num. 6. 7. 9. c. 41. n. 11. 13. An usque in Scotiam? cap. 45. num. 11. 13. T. III. c. 41. n. 17. Eboracensis Episcopi sessio ad Cantuariensis dexteram, T. I. c. 49. n. 1. Cum eo tamen contentiones de Primatu, & de Cruce, c. 36. n. 1. & *seqq.* T. II. cap. 59. n. 6. Necnon de Capella Glocestriæ, cap. 112. num. 6. Ac de ipsa Cardinalitia prælatione, cap. 114. n. 1. Cantuaria tandem Eboracum perlata Regula S. Benedicti, T. III. c. 24. n. 15. §. *Missa*.

Ebrodunensis (10) in Gallia Narbonensi Metropolis propugnatur antiquitas, T. I. c. 41. n. 5. Illius quasi ecclypsis elucidatur, cap. 44. n. 1. 2. 3.

Edessena (11) in Mesopotamia Ecclesia Archiepiscopalis plures contra aliarum morem Diaconos habebat quam presbyteros, T. II. c. 29. n. 5. T. III. c. 3. n. 13. Ejus Scholæ celebritas, T. IV. c. 91. n. 3.

Eliberis (12) urbs olim Episcopalis Bæticæ, in qua celebratum est Concilium toto opere celebre, v. passim Ind. Rerum.

Eliensis (13) inter Angliæ insulas celebris Abbatia, quomodo in Episcopatum transmutata? T. I. c. 58. n. 2.

Eluzanus (14) in Aquitania olim Episcopus, inter Metropolitanos quandiu agnitus? T. I. c. 41. n. 9. c. 44. n. 1. 2. 3.

Emeritensis (15) olim in Lusitania Metropolitano episcopatus restituti, Novus cur prohibitus? T. I. c. 38. n. 6. 7. c. 42. n. 1.

Ephesus (16) cur inter septem principes Asiæ civitates a Joanne Ecclesiæ adjuncta: T. I. c. 1. n. 8. c. 17. n. 4. 5. Immo prius a Petro & Paulo Christi jugo subjecta? c. 5. n. 2. 3. Quænam illius traditiones? T. II. c. 45. n. 5. Quot Provinciarum ipsa sit caput? c. 17. n. 2. & *seqq.* Cur sæpius ipsa cum suo Exarcho Constantinopolitani incursationibus exposita? c. 10. num. 11. cap. 17. num. 6. c. 21. n. 1. T. V. c. 8.

Ermeasim (17) Monasterium Armeniæ Catholici seu Patriarchæ Sedes, T. I. c. 24. n. 5.

Erphersfurtensis (18) in Thuringia Germaniæ Episcopatus qua auctoritate erectus? T. I. c. 55. n. 5.

Ee 2 *Esto-*

(1) *Tortosa.* (2) *Moustier en Der.* (3) *Die.* (4) *Dijon.* (5) *Dol.* (6) *Dorchester.* (7) *Dublin.* (8) *Durham. Altrimenti, Duresme.* (9) *Yorck.* (10) *Ambrun.* (11) *Edessa.* (12) *Elvira.* (13) *Heli.* (14) *Euse.* (15) *Merida.* (16) *Efeso.* (17) *Ermeasim.* (18) *Erdfurt.*

Estoniensis (1) Provincia vel Episcopatus in Livonia sine Metropolitanis, T. III. cap. 41. n. 17. §. 3.

Europa (2) civitates ne quid novi patiantur, ex Concilio Ephesino, T. I. c. 45. n. 5.

F

F*Errariensis* (3) in Æmilia urbis Episcopalis Capitulum fixum usque ad majorem proventuum accessionem, T. III. cap. 10. num. 15.

Ferrariensis (4) in Diœcesi Senonensi Abbatia, Episcopis subjecta in pluribus mansit, T. III. c. 27. n. 2. §. *Ideo*. Plurium Episcoporum & Parochorum fuit asylum & portus cap. 17. num. 9. Quando in ea Canonicorum vitæ Monasticæ prælata est? cap. 19. num. 10. §. *Nihil*.

Flandri (5) in Belgio, a quo fide imbuti? T. I. c. 42. n. 6. Plura de Episcopatibus, &c. v. supra in *Belgia*.

Florentina (6) Tusciæ Ecclesia primaria, nunc Archiepiscopalis, officii mediæ noctis adhuc tenax sub S. Antonino Archiepiscopo, T. II. c. 86. n. 4.

Floriacensis (7) in Diœcesi Aurelianensi Abbatia alumnis Episcopis apud exteras etiam Nationes celebris, T. III. c. 17. n. 11. Ad illius magnificentissimum templum corpus Sancti Benedicti ab Aurelianensibus ex Monte Cassino asportatum est, c. 24. n. 15. §. *Tradit*. Hinc roboratum ejus privilegium, c. 32. num. 5. 6. c. 33. n. 5. c. 35. n. 6. §. 2.

Fontis Ebraldi (8) in Andegavensi Provincia Abbatia tribus Episcopatibus contermina a quibus administranda? T. III. cap. 38. num. 10. §. 4. Saltem in temporalibus, cap. 49. num. 7. §. *Unur*.

Forum Julii (9) urbs Carnorum ditionis Venetæ, quando & quali Patriarchatu auctum; T. I. c. 22. num. 1. 2. v. *Aquileja*.

Forojuliensis (10) in Gallia Narbonensi, seu Provincia, Episcopi jurisdictio in Abbatiam Lirinensem in quibus agnita? T. III. c. 26. num. 16.

Franc Armeni (11) a Francis nomen & fidem inviolabilem adepti, sub uno Archiepiscopo, qui & Catholicus & Patriarcha in urbe Nixeran dictus est, cum communione Sedis Apostolicæ, T. I. c. 24. n. 6.

Francia, *Franci*, (12) v. *Gallia*, &c.

Franconia (13) olim Francia Orientalis in Germania magna a quo & unde fidem acceperit? T. II. c. 42. n. 6.

Frisingensis (14) in Bavaria Episcopatus qua auctoritate institutus? T. I. c. 55. n. 4.

Frisones (15) Germaniæ populi unde & per quos ad fidem adducti? T. I. c. 42. n. 4. 6. c. 55. n. 7. 9. Inde & Metropoles ac Episcopatus, *ibid.* & *in singulis*.

Fuldensis (16) in Germania seu Franconia Abbatiæ insigne privilegium, T. III. c. 30. n. 8. 9. c. 35. n. 7. Illius Scholæ celebritas inter tres primas mediæ ætatis, T. IV. cap. 96. n. 13. cap. 97. n. 7. & *seqq.*

Fundensis (17) & Terracinensis Ecclesiæ in Latio, cur olim in unum Episcopatum conflatæ? T. II. c. 115. n. 5.

Fussala (18) castrum Hipponensis Diœcesis in Africa cur Episcopum habuerit? T. III. c. 54. n. 14. T. III. c. 3. n. 16.

G

G*Alliarum* (19) antiquæ divisiones variæ, T. I. cap. 41. n. 2. & *seqq.* Triplex deinceps lingua sub Carolina Francica stirpe, nempe Teutonica, Latina & Romana, T. IV. c. 90. n. 4. c. 96. n. 4.

Nullo tamen prætextu Regnum Francicum subjectum Romano, T. II. cap. 54. n. 2. & *seqq.* T. III. c. 4. n. 9. Mutua tantum inter Romanos hinc Pontifices, inde Galliarum Imperatores, Reges & Episcopos concordia, magno utrisque præsidio & ornamento, T. I. cap. 5. 55. num. 12. T. II. cap. 118. n. 1. & *seqq.*

Hinc moleste ferunt Episcopi Galliarum quemquam inter se & Papam medium fieri, T. II. c. 55. n. 5. Molestiusque ferunt Galli Græcorum in Romanam Sedem temerarios conatus, T. I. c. 14. n. 7. c. 15. n. 1. Hinc etiam Gallicanum Ecclesiæ Romanæ patrimonium, T. II. c. 93. n. 12. Quatenus & varii Galliæ Comitatus aut Provinciæ Romano Pontifici oblatæ? T. VII. c. 32. n. 13. Cur tandem extranei omnes in Gallia a Beneficiis exclusi? T. IV. c. 103. n. 6. & *seqq.*

Gallicana (20) Ecclesiæ quænam partes in fide definienda? T. II. c. 113. num. 4. §. *Sed*. Unde

(1) *Estonia*. (2) *L' Europa in Tracia*. (3) *Ferrara*. (4) *Ferriere*. (5) *Li Fiamenghi*. (6) *Firenze*. (7) *Fleury*. (8) *Fontevrault*. (9) *La Città di Friul*. (10) *Frejus*. (11) *Li Franc-Armeni*. (12) *La Francia*. (13) *La Franconia*. (14) *Freizingen*. (15) *Li Frigioni*. (16) *Fuldia*. (17) *Fondi*. (18) *Fussale*. (19) *Le Gallie*. (20) *La Chiesa Gallicana*.

Unde Gallis Francisve fides, & inde ad alios? T. I. cap. 42. num. 4. 5. 6. c. 55. num. 6. *& seqq.* c. 59. n. 4. Prævaluit tamen illorum sive zelus pro suis Ecclesiis, sive negligentia pro exteris, cap. 55. num. 7. 13. cap. 56. n. 8. c. 59. n. 2.

Quando Gallicanis omnibus Ecclesiis Palatina seu Regia prævaluit, in cantu & officiis? T. II. cap. 80. num. 7. c. 83. n. 4. c. 3. n. 1. *& seqq.* Jam ante Capella Regum sic dicta a cappa seu capsa sancti Martini, num. 14. 16. cap. 109. num. 1. 2. 3. De ejus Archicapellano, & variis Capellanorum generibus, n. 4. 5. cap. 112. num. 1. *& seqq.* Ex eodem fonte tot deinceps Regiæ Capellæ & similes, cap. 87. num. 1. *& seqq.* cap. 94. Et Regum ipsorum Sedes in variis Capitulis, T. III. cap. 64. num. 2. *& seqq.* *Præsertim* 10. 11. De ipsarum Capellarum Regiarum privilegiis, cap. 36. n. 12. Et de eorum ac similium defensoribus ac vicedominis per totam Galliam, T. I. cap. 99. n. 12. *& seqq.* T. VIII. c. 6. 29. 55.

Adde jam Regios Confessarios, variaque ad id Pontificum privilegia, T. II. cap. 10. n. 11. c. 102. n. 8. c. 109. num. 8. 12. c. 112. n. 9. Subjunge Syncellos seu testes & Consiliarios Principum & Episcoporum Galliæ, c. 100. n. 7. c. 101. n. 1. *& seqq.* c. 102. n. 7. c. 110. n. 6. *& seqq.* c. 111. n. 7. Necnon Lectores Notarios, c. 103. n. 4. *& seqq.* cap. 104. n. 12. 23. c. 105. n. 2. 3. Et ex eis Cancellarios ipsumque Archicancellarium, c. 104. n. 15. c. 105. n. 1. 2. c. 106. & T. IX. cap. 25. Simulque & nobilitatis privilegium Notariis & Secretariis Regiis concessum, T. II. c. 106. num. 9. Ac demum ad eundem scopum Eleemosynarios Regios, cap. 110. num. 15. 112. n. 9.

Erant antea Episcopi Consiliarii Regum Franciæ, T. II. c. 109. num. 6. Simulque cum Optimatibus judices ad portam Palatii, num. 9. cap. 110. num. 13. Et hinc Pares Franciæ Ecclesiastici, T. VII. cap. 30. numer. 16. cap. 31. numer. 8. §. *Hoc. De Parlamentis, Comitiis Generalibus*, &c. v. Ind. Rerum.

Quo honore afficiebantur etiam ad mensæ consessum Episcopi Gallicani a Regibus, T. VI. cap. 64. num. 6. *& seqq.* Quando tamen cœperint sacramenta obedientiæ ab eis exigi? T. V. cap. 47. num. 8. Quandiu & ipsum hominium, cap. 48. num. 11. cap. 49. num. 4. *& seqq.* Hinc jus metatus seu gistii apud Ecclesiasticos, T. VII. cap. 39. num. 15. Necnon & militiæ ab ipsis diversimode exercendæ, cap. 40. *& seqq.* Rursum de judiciis Ecclesiasticis in Gallia, T. VI. cap. 105. *& seqq.* De reis puniendis aut liberandis, T. IV. cap. 66. *& seqq.* T. VI. c. 95. 97. De manumissionibus Episcopalibus servorum, T. IV. cap. 62. *& passim seqq.* De reliqua demum immunitate bonorum Ecclesiæ per Gallias, T. VII. cap. 24. num. 11. *& seqq.* cap. 36. num. 4. *& seqq.* cap. 37. 42. 43.

Ex quo Gallicana cœperunt celebrari Concilia Nationalia non opus fuit amplius litteris formatis, & cur? T. I. cap. 40. num. 16. Nequidem Provincialium Conciliorum frequentiam impedire debuit Regnorum divisio, cap. 41. num. 15. Nec Episcopatus immutare, c. 55. n. 2. §. *Anno*. Nec libertates Gallicanas minuere Decreta Concilii Tridentini, c. 48. n. 11. T. III. c. 41. n. 11. De Pragmaticis Sanctionibus, de Concordatis & Indultis circa Beneficia Franciæ, & similibus, v. *Ind. Rerum & Conc.*

Quandiu liberæ permanserunt electiones canonicæ, & quis Gallicanarum consecrationum modus? T. V. cap. 11. 18. n. 1. Quænam eis irregularitates contrariæ? T. IV. cap. 58. 60. 61. Quodnam & a quo tempore jus Patronatus? cap. 29. *& seqq.* Necnon & spolii ac vacantiæ, T. V. cap. 3. num. 6. *& seqq.* T. VIII. c. 52. *& seqq.* De testamentis, T. VII. c. 21. *& seqq.* De sepulturis, T. VII. c. 67. 68. De variis oblationibus fieri solitis, c. 24. n. 15. T. VIII. c. 7. 8. 15. 18. De diversis precariarum generibus e Gallia præsertim ortis, T. VI. c. 22. T. VII. cap. 8. De partitione bonorum Ecclesiæ, T. VIII. cap. 15. *& seqq.*

Reliqui Gallicani mores & usus sub tribus Regum familiis, quoad Beneficia, T. II. cap. 27. *& seqq.* Quoad tonsuram & habitum; cap. 39. *& seqq.* Quoad cælibatum, & huc spectantia, cap. 62. *& seqq.* Quoad pœnitentias, ipsosque Pœnitentiarios, cap. 10. *& seqq.* Junge etiam Theologos cum munere prædicandi, cap. 10. *& seqq.* T. IV. cap. 88. *& seqq.* T. VI. cap. 85. Necnon Scholas toto orbe celeberrimas, T. IV. cap. 88. num. 10. cap. 93. 96. 97. 98. num. 9. Præsertim in ipso Regum Palatio, cap. 100. num. 7. c. 111. num. 8. *& seqq.* Subjunge peritos piosque Cantores, T. II. cap. 31. num. 10. Cum cantu & officio canonico, cap. 71. n. 9. & c. 75. Ad instar Romani reformato, cap. 80. Si quid tamen in Gallia melius quam Romæ præferendum ex ipsis Pontificibus, cap. 77. num. 5. 8. Adde varios Beneficiorum titulos, præsertim in frequentibus tota Gallia Oratoriis & Capellis, cap. 94. Item omnis gentis caritatis hospitia, cap. 90. 91. Ac demum Seminaria novæ formæ, cap. 105. num. 5. *& seqq.*

Præmittenda vetustiora per Gallias Canonicorum Capitula, cum suis juribus, T. III. cap.

(1) *L'Oratorio di Francia*. (2) *Gallovoy*. (3) *Gangres*. (4) *Jumiege*. (5) *Genova*. (6) *Li Giorgiani*. (7) *L'Allemagna*.

H

Hiber-

(1) *Glaskou*. (2) *Glastembury*. (3) *Glocester*. (4) *Gnesna*. (5) *Li Gotti*. (6) *Gozlar*. (7) *Grado*. (8) *Li Greci*. (9) *Grammont*. (10) *Granata*. (11) *Grasse nella Provenza*. (12) *Granoble*. (13) *Guadis*. (14) *Gommi*. (15) *Hambourg*. (16) *Heden*. (17) *Eraclea di Tracia*. (18) *Virsbourg*.

(1) *L' Ibernia, overo l' Irlanda.* (2) *Ippona, overo Bona.* (3) *Siviglia.*
(4) *La Spagna.*

(1) *Henove*. (2) *Li Homeriti*. (3) *Kuy*. (4) *Li Unni overo Ongari*. (5) *Jaca*. (6) *S. Gio: della Pegna*. (7) *Li Jacobiti*. (8) *La Georgia*. (9) *Issoire*. (10) *Gerusalemme e la Judea con li Judei*.

(1) *L'Illirico*. (2) *Le Indie Orientali*. (3) *L'Isle, Città di Fiandra* (4) *Ipri*. (5) *L'Italia*. (6) *L'Islebonne overo Honfleur*. (7) *L'Ocrida*.

V. cap. 55. num. 1. cap. 56. num. 4.

Justinianopoles (1) plures a Justiniano Imperatore institutæ, ac privilegiis auctæ, T. I. c. 18. n. 9. c. 19. 31. n. 7. c. 32. num. 1. v. 4. Vid. *sub aliis earum nominibus*.

K

KLoviensis (2) in Russia Metropolita, quandin Constantinopoli mitti solitus? T. I. c. 25. num. 4. & *seqq*. c. 26. n. 7. §. *Haud*.

L

LArissa (3) in Thessalia Metropolitanus cur jurisdictione privatus in Thebanum Episcopum, T. I. c. 55. n. 11.

Lateranensis (4) Ecclesia Scholis & Conciliis celebris, &c. v. *Romana Ecclesia*.

Lavaurensis (5), &c. v. *Vaurensis*.

Lauduni (6) in Gallia Belgica Episcopus a B. Remigio qua auctoritate institutus? T. I. cap. 55. num. 2. §. *Narrat* cap. 56. num. 4. Hinc forte nihil alienare poterat sine Metropolitano & Comprovincialibus, T. III. c. 64. num. 11. Præpositus vero & Vicedominus post Episcopum Clericos regebant & Laicos, cap. 66. num. 6. Cur extincta postmodum Præpositura? cap. 70. num. 4. §. *Cum*. Quando Episcopus factus est Par Franciæ, v. cum Aliis in *Gallia*.

Lavellanensis (7) in Regno Neapolitano Episcopatus quare unitus Melphensi? T. I. cap. 58. num. 18. §. *Quanquam*. T. VI. c. 5. n. 5.

Laureacensem (8) inter & Salisburgensem Metropolim in Germania alternatio, T. II. c. 44. n. 5. Illius Sedes Viennæ tandem restituta, c. 58. n. 8. §. *Postremis*.

Laureshamensis (9) Abbatia in Germania qualibus privilegiis a Carolo Magno cumulata? T. III. c. 35. n. 8.

Lazi (10), iidem forte ac Colchi quando & a quo fidem adepti sint? T. I. c. 42. n. 6.

Legionensis (11) in Hispania immunitas unde? T. I. c. 55. n. 11.

Lemovicis (12) in Gallia seu Aquitani primus Episcopus a quo T. I. cap. 55. num. 6. Pœnitentiarius quando? T. II. cap. 10. num. 5. Item mutatio Canonicorum S. Martialis in Monachos, T. III. cap. 19. §. *Octo*. Præterea *Salemniaci*, & aliorum Monasteriorum fundatio, cap. 24. num. 5. 6. Quatenus ab Episcopo servata Monachorum jurisdictio, cap. 28. num. 2. 3. cap. 32. num. 5. 6. Denique Canonicorum Regularium Lemovicensium consultatio pro suis Parochiis, cap. 22. numer. 5. §. 3. 4.

Leodiensis (13) Belgii Episcopi in Monasterium Lobiense jura & gratiæ, T. III c. 15. n. 4. c. 32. n. 8. Leodiense vero Capitulum Hujensem in urbem sine Episcopatu cur & quomodo translatum? T. I. c. 58. n. 14. Leodiensis tandem Cleri reformatio T. II. c. 20. n. 7. *in fine*.

Leonensis (14) in Episcopatu apud Armoricos San Magloriana Ecclesia Parisiensi subjecta, T. III. c. 19. n. 2.

Leopolitanus (15) in Polonia Archiepiscopatus quando institutus, T. I. c. 45. n. 7.

Lerinense (16) Monasterium Galliæ Episcoporum Schola seu Seminarium, ac Monachorum norma, T. II. c. 43. n. 2. 10. 12. T. III. c. 7. n. 1. c. 12. n. 6. 12. c. 15. n. 4. c. 24. n. 3. & *seqq*. Necnon cantus simul & officii canonici, T. II. c. 73. num. 26. In illud quænam tandem agnita jurisdictio Episcopi Forojuliensis, T. III. c. 26. n. 16.

Lexoviensis (17) in Normannia Episcopus a quibus ex pietate ad jurisdictionem agnitus, T. III. c. 40. n. 1.

Lichelfiendensis (18) Angliæ civitas, Regni Merciorum caput, Archiepiscopatu cur & quando aucta? T. I. c. 45. n. 2.

Lincolniensis (19) in eadem Anglia Sedis prærogativæ, T. I. c. 49. num. 1. 2. Illius partitio in duos Episcopatus, cap. 58. n. 2. & in septemdecim Regiones Archidiaconatus, T. II. c. 20. num. 3. §. *In*. Capituli immunitas solemnis, T. III. cap. 41. num. 1. 2. 3.

Lingonensis (20) in Campaniæ & Burgundiæ finibus Diœcesis Monasterium *Reomaum* a Clodovæo privilegio munitum sub Regula S. Macarii, T. III. c. 24. n. 1. Necnon & alia duo, cap. 33. num. 3. Quo loco autem Episcopus inter Pares Franciæ? v. in *Gallia*.

Lithuania (21) unde fides, inde & Episcopatus, T. I. cap. 59. n. 5. §. *Ex*.

Livonia (22) Episcopatus ac Metropoles a quo & quomodo erectæ? T. I. c. 45. n. 8. c. 58.

(1) *Justinianopoli*. (2) *Kiovia*. (3) *Larizza*. (4) *S. Gio: Laterano*. (5) *Lavaur*. (6) *Laon*. (7) *Laviello*. (8) *Lorech*. (9) *Laurosham*. (10) *Li Lazzi nella Colchide*. (11) *Leon in Spagna*. (12) *Limoges*. (13) *Liegi*. (14) *S. Paulo di Leon*. (15) *Leopoli ou Leombourg*. (16) *Lerins*. (17) *Lizieux*. (18) *Lichfield*. (19) *Lincolne*. (20) *Langres*. (21) *La Lituania*. (22) *La Livonia*.

(1) *Lob.* (2) *Lombes.* (3) *Londra.* (4) *Li Lombardi.* (5) *Lubech.* (6) *Lugo.*
(7) *Lucon.* (8) *Lyon.* (9) *Lunden.* (10) *Luxeul.* (11) *Licopoli.*
(12) *La Macedonia.* (13) *Magalone.* (14) *Magdebourg.*

scopatus a quo? T. I. c. 43. n. 8. §. *In Chronico.*

Majoricensis (1) in Balearibus insulis Episcopatus quibus inter Barcinonensem Episcopum, ac Regem conditionibus erectus? T. I. c. 58. n. 12.

Malaborenses (2), qui & S. Thomæ Christiani in India, sub Patriarcha olim Nestoriano, nunc sub Papa, T. I. c. 24. n. 9.

Malaca (3) in Hispania Betica Episcopatus qua auctoritate erectus? T. I. c. 58. n. 12. §. *Castella.*

Malbodii (4) in Diœcesi Cameracensi quando cœperint Canonicæ? T. III. c. 43. n. 12. §. *Non.*

Malleacensis (5) in finibus Pictavorum episcopatus quando erectus, & Rupellam translatus? T. I. c. 57. n. 22.

Marciniacense (6) Monasterium pro solis viduis cur ab Hugone Cluniacensi fundatum, T. III. c. 49. n. 7. Et eis quidem nonnisi viginti annos egressis, c. 55. n. 2. §. 2. Earum clausura quo miraculo comprobata? c. 48. n. 2.

Mareotis (7) Ægypti regiuncula, nec Chorepiscopi, nec Parochi capax, T. II. c. 1. n. 15.

Maronitarum (8) in Monte Libano Syriæ Ecclesia unde sic dicta, T. I. cap. 24. num. 1. Quænam illius fides, & ritus? *ibid.* Quinam tandem Patriarcha, illius Sedes, privilegia, sub Papa multoties agnito? *ibid.* Officia etiam ibi pro mortuis, T. II. c. 86. n. 9. Et alia ab omnibus frequentanda, c. 88. num. 7. A solis vero eorum episcopis S. Clericis inter omnes Orientales, sacramenta obedientiæ suo Patriarchæ præstanda, T. V. c. 46. n. 13.

Massiliensis (9) in Provincia Episcopatus qualis sub Proculo, T. I. c. 40. n. 9. c. 41. n. 7. Duplex ibi Monasterium sub Cassiano e Provincia oriundo, T. III. c. 24. n. 2. *& seqq.*

Mechlinia (10) in Belgio, Brabantiæ Metropolis erecta a quo? T. III. c. 45. n. 18.

Mediolanum (11) Insubriæ caput, prima post Romam Italiæ Metropolis Ecclesiastica, T. VI. cap. 40. n. 8. 9. Archiepiscopi deinceps privilegia, T. II. c. 43. n. 8. §. *Leo*, c. 58. n. 10. §. *Quanquam.* Et inter illa ad quid pallium? T. II. c. 55. num. 5. 10. Quousque vero crux ipsa præferenda? c. 59. n. 9. Mediolanensium aliquando stupor quod supra Archiepiscopum surgeret Legatus, c. 110. n. 1. Illi ab ipso Imperatore in veste Subdiaconi ministratum, T. III. c. 6. n. 9.

Mediolani quando cantus alternus, & inde per totum Occidentem, T. II. c. 72. n. 6. §. *Narrat*, c. 73. n. 4. *& seqq.* Immo perpetuus ex votis Ambrosii, c. 74. n. 5. c. 76. n. 1. De duplici Collegio Ecclesiæ S. Ambrosii, altero Canonicorum, Monachorum altero, sibi invicem succedentium in officio, ex decreto Innocentii, T. IX. c. 18. n. 1. §. 5.

De honore proprii Cleri, ex ipso Ambrosio, c. 7. n. 15. Vitæ communis olim a Canonicis servatæ restitutio incassum a S. Carolo tentata, c. 11. n. 12. §. 2. Quales erant ejus Thesaurarii? c. 70. n. 7. Et Magistri Chori seu Cæremoniarum, n. 9. §. 2. Sub eo privilegium Capituli de Scala probatum nullum, & cur? c. 37. n. 8.

De pluribus Congregationibus ab eo institutis, aut restitutis, T. III. c. 63. n. 12. 15. De collationibus Parochorum menstruis, T. VI. c. 76. n. 3. 4. 5. De Seminariis novæ formæ, T. I. c. 102. n. 3. *& seqq.* De Monasteriis, T. III. c. 2. n. 6. 8. c. 3. n. 15. c. 12. n. 5. 6. c. 26. n. 2. c. 33. n. 9. De antiqua Sanctimonialium consecratione, ex Ambrosio, c. 42. num. 11. *& seqq.* Variisque deinceps earum usibus, c. 44. n. 5. 6. c. 52. n. 18.

Mekeleburgi (12) Episcopatus in Holsatia cur & a quo institutus T. I. c. 58. n. 6.

Melitenses (13) ab insula Siculi maris sic dicti, in Gallia quandonam dominantes, T. II. c. 65. n. 7. §. *Porro.* De iisdem sub nomine fratrum S. Joannis Hospitalariorum, v. ind. *Rerum*, & supra tit. *Jerusalem.*

Melodani (14) in Gallia Celtica Episcopatus frustra tentatus, T. I. c. 55. n. 1. 2.

Melphensis (15) in Regno Neapolitano Episcopatui, cur Lavallensis unitus, T. I. c. 58. n. 10. §. *Quanquam.* A quo Baroniæ confirmatæ, T. VII. c. 30. n. 11.

Menevia (16), aliter *S. Davidis* civitas, quandiu Walliæ in Anglia Metropolis, T. I. c. 45. n. 12.

Merseburgensis (17) in Germania Episcopatus extinctio & redintegratio, T. I. cap. 56. num. 5. §. *Quin.* T. V. cap. 38. num. 1.

Messane (18) in Sicilia, quam aliter Mamertinorum civitatem appellant, Basilicæ Martyrum fundatio, T. IV. cap. 30. num. 4. In illa Episcopos unde collator est Abbatiæ S. Theodori, c. 41. num. 2.

Metensi (19) in Lotharingia Episcopo pallium

(1) *Majorica.* (2) *Il Malabar.* (3) *Malaga.* (4) *Maubeuge.* (5) *Mailhezais.* (6) *Marcigny.* (7) *La Mareotide.* (8) *Li Maroniti.* (9) *Marsiglia.* (10) *Malines.* (11) *Milano.* (12) *Mechlebourg.* (13) *Li Cavalieri di Malta.* (14) *Melun.* (15) *Melfi.* (16) *S. David.* (17) *Mersebourg.* (18) *Messina.* (19) *Mets in Lorena.*

(1) *Mexico*. (2) *S. Mesmen presso Orleans*. (3) *Mande*. (4) *Maucon*. (5) *Magonza*. (6) *Montpellier*. (7) *Monembasia*. (8) *Montalban*. (9) *Mons nell' Hainaut*. (10) *La Moravia*. (11) *La Moscovia*. (12) *Mutsal overo Babilonia*. (13) *Mueisse*. (14) *Modena*. (15) *Nancy*. (16) *Il Collegio di Navarra*. (17) *Li Narbonesi*. (18) *Narbona*. (19) *Nardo*.

(1) *Naineram.* (2) *Nazianzo.* (3) *Napoli.* (4) *Nismes.* (5) *Neocesarea.*
(6) *Li Nestoriani.* (7) *Nicea.* (8) *Nizza in Provenza.* (9) *Neomedia.* (10) *Nicopoli.*
(11) *Nicosia.* (12) *Drontheim.* (13) *Nevers.* (14) *Nola.* (15) *La Normandia.*
(16) *La Norvegia.* (17) *Norwich.* (18) *Novara.* (19) *Noyon.* (20) *La Linguadoca.*
(21) *Oran.* (22) *Il Mondo l'Oriente e l'Occidente con le loro Chiese in generale.*

(1) *Osca overo Guesca Osnabruk.* (2) *Ostia.* (3) *Oviedo.* (4) *Oxford.* (5) *Oxyrinche.* (6) *Paderbona.* (7) *Pamplona.* (8) *Pavia.* (9) *Parigi.* (10) *S. Nicolò del Louvre.*

Pri-

(1) *S. Dionigi in Francia.* (2) *S. Mauro des Fosez.* (3) *S. Martino de Campi.* (4) *S. Merry.* (5) *Passavia.* (6) *Patrasso.* (7) *Petrona.* (8) *La Persia.* (9) *Perugia.* (10) *La Fenicia.* (11) *Poictiers.*

(1) *Pisa.* (2) *Poissy.* (3) *Placentia.* (4) *Placenza.* (5) *La Polonia.* (6) *La Pomerania.* (7) *S. Ponts di Tomieres.* (8) *Pontoise.* (9) *Il Ponto.* (10) *Piombino.* (11) *Porto.* (12) *Il Porto gallo.* (13) *Premonstratensi.* (14) *Praga.* (15) *La Provenza.* (16) *La Prussia.* (17) *Ratisbona.* (18) *Ratzembourg.* (19) *Ravenna.*

Petro

[1] *Reims*. [2] *Faramida*. [3] *Rhodes*. [4] *Rieux*. [5] *Riga*. [6] *Rochester*.
[7] *Roma*. [8] *La Chiesa Romana*.

saria

nachis admixtum in ipso Pontificali Palatio; cap. 5. num. 9. 10. cap. 14. num. 7. c. 16. num. 5. Item integræ Monachorum Congregationes juxta majores Ecclesias ad officia? cap. 8. 17. num. 4. Ipsa Cathedralis Lateranensis, primum Monachis Cassinensibus, deinde Canonicis Regularibus aucta? cap. 11. num. 8. 11. §. 2. Cum Priori, loco Abbatis, cap. 69 num. 12. Necnon cum dimidia parte oblationum ab Anastasio IV. concessa, T. VIII. cap. 33. n. 4. §. 4. Jam quarta pars Pontificia Capitulo S. Petri ab Eugenio III. relicta fuerat, §. 3. Sicque prius divisa in partes bonæ Ecclesiæ Romanæ, cap. 14.

Præfatæ Lateranensis Ecclesiæ Schola Romana omnium Italiæ olim celeberrima, T. IV. cap. 100. num. 3. Alia Italiæ Monasteria Romano, nonnisi ex Episcoporum consensu, addicto, T. III. cap. 36. num. 4. Quando vero orta Romæ necessitas consensus Principum pro Religionis ac clericatus professione? cap. 61. num. 7. Eis e contra concessus consessus in variis tum Romæ, tum alibi Capitulis, cum certis vestibus, cap. 64. num. 2. 9. De Beneficiis vacantibus in curia Romana, T. IV. cap. 48. T. V. cap. 33. num. 6. De sepulturis Romanis, tum Gentilium, tum Christianorum extra & intra urbem, T. VII. c. 65. 60. De jure spolii a Romanis Pontificibus nonnisi post alios usurpato, T. VIII. cap. 57. De primo etiam Annatarum usus, cap. 58. num. 11. 15. v. Ind. Regum, in prop. tit.

Spiritali hactenus ut plurimum stabilitæ Romanorum Præsulum potestati, quando per quos, & quæ temporalis accesserit? T. I. cap. 5. n. 14. T. VII. cap. 26. 27. 29. *fere integris*. Quæ ratio petendæ ab eis confirmationis temporalium, T. I. cap. 43. num. 9. Quando avaritia Romanos cœpit inficere? cap. 15. num. 1. Quinam Romanæ Ecclesiæ ejusque patrimonii ubique defensores? T. II. cap. 97. num. 6. 7. cap. 98. num. 1. *& seqq.* cap. 104. num. 2. 7. 8. 12. Quid prius Romæ custos confessionis aut sepulchri Martyrum? cap. 92. n. 2. Quodnam Gallicanum ipsum Romanæ Ecclesiæ patrimonium? cap. 92. num. 12. Denique an Romani aliis Ecclesiis sint extranei? T. IV. cap. 86. num. 15. cap. 103. num. 6. 9. Plura de his omnibus, v. Ind. Rerum sub propriis singulorum titulis.

Romanense (1) Capitulum in Delphinati a quo sponte vitam regularem expetiit, T. III. cap. 11. num. 13. §. 3.

Romani (2) Presbyterorum Oratorii Congregatio, qua forma? T. II. c. 51. n. 9. Seminariis Augustini non ex æquo comparata, T. III. c. 3. n. 10. c. 63. n. 14. §. *Si*.

Roskildense (3) in Dania Capitulum, ex Colonia sanctæ Genovefæ Parisiensis, T. III. c. 11. n. 14. Dimidia a Rege Provincia donatum est, T. IX. c. 30. n. 9.

Rothomagensis (4) in Normannia primatus qualis? T. I. cap. 31. num. 3. 4. Qua ratione contra Lugdunensem propugnatus? c. 34. n. 1. 2. 4. 11. Non supra Bituricensem, Auscitanum, & Narbonensem, num. 11. 14. Quatenus in Vicariatum Pontisarensem? T. II. cap. 8. num. 10. An Archiepiscopi jugum pallii refugerint? cap. 55. num. 2. Et ab eo nonnulli repulsi sint? cap. 57. num. 1. 4. 8. E contra alii nulli volebant domino subesse temporali, præterquam Papæ, T. VII. c. 31. n. 8. Freti forte jure, quo gaudebant, eligendi Duces, c. 18. n. 4. Quem locum hactenus habeant in proprio Capitulo, etiam ut Canonici? T. III. c. 10. num. 6. §. 34. Quot fundaverint Monasteria in Diœcesi? c. 16. num. 4. Privilegium Abbatia S. Andoeni Rothomagensis pro committenda Monacho propria Parochia, c. 22. num. 3. §. *Ea*. Præcipuum quotannis privilegium S. Romani liberandi unum ex vinctis, dum illius *feretrum* (5) per urbem defertur, T. VI. c. 99. n. 1.

Rupellam (6) in maritimam Galliæ Aquitanicæ urbem, cur translatus Episcopatus & Capitulum? T. I. c. 57. n. 12.

Russia (7) duplex; prima Nigra sub Polono Romanæ fidei quando restituta? T. I. cap. 25. n. 3. Non desperandum de Alba, cujus olim Apostolus Bonifacius qua instructus auctoritate? cap. 56. n. 7. cap. 59. n. 5. T. III. c. 17. §. 2. v. *Moschi* seu *Moscovia*.

Ruthenensis (8) in Aquitaniæ confinio episcopus Arisitensem quandiu vexavit, ut destrueret? T. I. c. 55. n. 2. §. *Narrat*.

S

S*Agiensis* (9) in Normannia episcopus qua auctoritate in Ecclesiam suam adduxerit Canonicos Regulares ex San Victorina Abbatia Parisiensi? T. III c. 11.

Salemina (10) seu Constantiæ in Cypro, in ipso Episcopali domicilio Monasterium a S. Epiphanio erectum, T. III. cap. 4. n. 5. §. 2. Reliqua v. in *Cypro*, & *Constantia*.

Saler-

(1) *Romans*. (2) *L'Oratorio Romano*. (3) *Roschild*. (4) *Rouen*. (5) *La Ferte*. (6) *La Rocella*. (7) *La Russia nera, e Bianca*. (8) *Rodes*. (9) *Seez*. (10) *Salemina*.

Sel-

(1) *Salerno*. (2) *Salingestat*. (3) *Salisbery*. (4) *Saltzbourg*. (5) *Salins*. (6) *Salona*.
(7) *S. Pont*. (8) *S. Denis in Feancia*. (9) *S. Flour*. (10) *San Gal*. (11) *San Papoul*.
(12) *S. Seegie*. (13) *S. Gille*. (14) *Sant' Aubin*. (15) *Sant' Andre*. (16) *S. Omer*.
(17) *Saints*. (18) *Li Saeaceni*. (19) *La Saedegna*. (20) *Sarlat*. (21) *Sezimes*.
(22) *Scaren*. (23) *La Scozia*. (24) *Squillaci*. (25) *Scitia*. (26) *Seleucia*.

(1) *Selle nel Poitou.* (2) *Semur.* (3) *Sens.* (4) *Il Nord. ovvero il Settentr.*
(5) *La Sicilia.* (6) *Li Chineſi.* (7) *Sipont.* (8) *Sirmiſch.* (9) *La Schiavonia.*
(10) *Solongnac.* (11) *Spoleto.* (12) *Strigonia, ovvero Gran.* (13) *Sublac.*
(14) *La Scozia.* (15) *Soiſſons.*

T

At

(1) *Soustanson.* (2) *Siracusa.* (3) *La Siria.* (4) *Tarantasia.* (5) *Tarragona.*
(6) *Li Tartari.* (7) *Treviso.* (8) *Turino.* (9) *Tonnerre.* (10) *Terroane.*
(11) *Terracina.* (12) *Li Teatini.* (13) *Thebe.* (14) *Thedford.* (15) *Thessalonica.*
(16) *Tavia.* (17) *Tiron.* (18) *Toan.* (19) *Toledo.*

(1) *Tolosa*. (2) *Temisvar*. (3) *Tournay*. (4) *Troyes nella Campagne*. (5) *Tournu*. (6) *Treveri*. (7) *Trento*. (8) *Trinone*. (9) *Toul*. (10) *Li Turchi*. (11) *Tours*. (12) *Marmontier*.

(1) *S. Martin. di Tours Cormefy*. (2) *Tulle*. (3) *Tyane*. (4) *Tiro*. (5) *Vabres*. (6) *Valenza nel Dolfinato*. (7) *La Vallée di Chaux*. (8) *La Valle degli Scolari*. (9) *La Guascogna*. (10) *Vaterford*. (11) *Lavaut. Uzez*. (12) *Veletri*. (13) *Vence*. (14) *Venne*. (15) *Venezia*.

Xan-

(1) *Vercelli*. (2) *Il Vermandois*. (3) *Verona*. (4) *Bezanson*. (5) *Vienna in Austria*. (6) *Vienna in Francia*. (7) *Vandomo*. (8) *Vinchester*. (9) *Verdun*. (10) *Viviers*. (11) *Vezelay*. (12) *Utrech*. (13) *Lisbona*. (14) *Vorcester*. (15) *Upsal*. (16) *Breslau*. (17) *Orvieto*. (18) *Urbino*. (19) *Il Principato di Galles*. (20) *Vuirsbourg*.

X

X*Antonica Ecclesia*, v. *Santonica*, &c.

Pleraeque Abbatiae, & aliae particulares Ecclesiae ad suas Dioeceses seu Episcopatus revocatae sunt.

FINIS.

T R A C T A T U S

BENEFICIARIUS

P R O

INDEMNITER SALVANDIS JURIBUS

Sanctæ Matris Ecclesiæ

Q U O A D

BENEFICIA ECCLESIASTICA

A U C T O R E

FR. CÆSARIO MARIA SGUANIN

Ord. Serv. B. V. M. & Sacr. Theol. Profess.

ARGUMENTUM
OPERIS.

SUblimem Clericalis status dignitatem & excellentiam acutiori mentis acie perpendens, prærogativas invenio multas, & quaslibet præstantissimas; quæ enim major dignitas censeri possit, quam removeri a negotiis, curisque Sæcularibus, & admitti, ac suscipi in sortem, & hæreditatem Domini, ejusque uni servitio, & cultui sub peculiari titulo intendere? duo quippe inter Christianam Rempublicam sunt *genera*, prout legimus 12. q. 5. *est autem unum genus, quod mancipatum divino officio, & deditum contemplationi, & orationi ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici, & Deo devoti, videlicet conversi . . . . hi namque sunt Reges, id est, se, & alios in virtutibus regentes: & ita in Deo regnum habent*. Can. *duo sunt*, Ex quibus satis aperte intelligitur, quod Clerici, seu omnes personæ Ecclesiasticæ, utpote divinis officiis ex singulariori titulo intendentes in privilegiis, & prærogativis supra laicos multum eminere, & merito honorari debeant: si enim gentiles, quantumvis destituti veræ fidei lumine, singulares prærogativas Sacerdotibus suis impertiendas esse censuerunt, testibus sacris litteris, Genes. 47. & can. *Sacerdotibus*. 11. q. 5. & cap. *non minus* de immunit. Eccles. quanto magis omnes illi viri honorem, & venerationem præ laicis merentur, qui unius veri Dei ministerio ex vi officii jugiter vacant, & potestatem divina celebrandi, ministrandique coram S. Altari per receptionem sacrorum Ordinum Cœlitus acceperunt? *Matth.* 18. Jo: 20. & propterea amplus omnino campus pateret, ut in condignas laudes, encomia Clericalis status, & regalis Sacerdotii possem excurrere; Clerici enim, & præsertim Sacerdotes teste Gelasio Papa can. *nolite*, d. 21. dicuntur, ac sunt, *Patres*, & *Magistri* populi, *a quibus se Domini populus benedici, salvari, & instrui cupit.* *can. Sacerdotes*. 6. q. 1. quin immo Clerici, & Sacerdotes regum, & principum *Patres*, ac *Magistri* jure nuncupari, & qua tales salutari merentur, secundum rescriptum S. Gregorii ad Metens. Episcop. *nam quis dubitet* (inquit Pontifex) *Sacerdotes Christi Regum, & principum, omniumque fidelium Patres, & magistros recenseri?* d. 96. can. 9. unde Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem non dubitavit asserere, Reges, & principes ex Sacerdotum judicio dependere; *duo sunt*) inquit ille) *quibus mundus hic regitur, Sacerdotalis, seu Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas, in quibus tanto gravius pondus Sacerdotum, quanto etiam graviorem præ Regibus in divino examine redituri sunt rationem. . . nosti itaque inter hæc te ex illorum pendere judicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem*. d. 96. can. *duo sunt*. Magna igitur est Sacerdotalis Ordinis potestas, & dignitas & ideo ex illis, quæ in mundo sunt, non possumus hic comparationem facere; teste enim S. Ambrosio de dignit. Sacerdot. c. 2. *non tam pretiosius est aurum plumbo, quam regia dignitate sublimior est ordo Sacerdotalis*: quare, si Sacerdotalis dignitas Regum, & principum fulgori, aut diademati comparetur, longe inferior erit Regum, & principum dignitas, quam plumbi metallum ad auri fulgorem, adeo, ut Reges, & principes genibus Sacerdotum debeant colla submittere, *can. eod.* Aliam iterum, & pariter omnino insignem prærogativam Clericis, & Sacerdotibus concessam ex orbis Ecclesiaste 2. *ad Cor.* intelligimus, & reveremur, nempe legationis officium, quoniam pro *Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos* cap. 5. 20. atque hoc *legationis* munus tunc humanæ salutis reparator Christus Dominus demandavit Apostolis horumque successoribus, quando post iteratam salutationem *Pax vobis*, dixit: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos* Jo: 20. quemadmodum enim Deus Pater filium suum unigenitum misit, ut iste qua homo inter Deum offensum, offensoresque homines reconciliationem, & pacem induceret, ac confirmaret, ita Deus homo suos in universum terrarum Orbem misit legatos, Sacerdotes nempe, & Clericos, ut hi per suum ministerium Deo reconciliarent, seu ad reconciliationem promoverent

homines, qui utpote gentes, vel Deum non cognoverunt, vel per hæreses, aut peccata se a Deo elongarunt. Una autem prærogativa supereit, & hæc omnibus aliis superior, ac excellentissima, quam in Sacerdotibus reveremur, & scimus, ne quidem beatis, purissimisque Cœli Spiritibus esse concessam: & est duplex, nempe in verum, & mysticum Christi Corpus potestas, vi cujus solis Dei ministris, seu Sacerdotibus Altissimi licet verum, & immaculatum Christi Corpus, & Sanguinem consecrare, offerre, manducare, ac bibere; deinde ex vi ejusdem potestatis Sacerdotes mysteria Dei, vel Sacramenta corpori mystico, seu Ecclesiæ (*quia unum corpus multi sumus* 1. ad Cor. 10. 17.) dispensant. Per compendium igitur condignam laudem, & gloriam Sacerdotalis Ordinis optime, quia Secundum directionem Spiritus Sancti, his paucis Apostolorum Princeps expressit: *Genus electum. Regale Sacerdotium, gens Sancta, offerentes Spirituales Hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum*. 1. Pet. 2. & quid huic encomio posset superaddi, nescio: novi tamen istud, quod quilibet Sacerdos ob hic paucis expressam, & omnibus notam potestatem plus sit, quam Moyses, ad quem dixit Dominus, *Ego te constitui Deum Pharaonis*. Exod. 7. Moyses proinde fuit magnus in populo Israel, sed ratione potestatis major hodie est quilibet Sacerdos in Sancta Dei Ecclesia. Et ideo, quanta est Sacerdotalis potestas, & dignitas, tanta foret injuria, si Sacerdos Altissimi, & minister Jesu Christi contemptum pateretur, *an enim ignoras*, ait S. Chrysost. Hom. 2. in 2. Epist. ad Timoth. *quid sit Sacerdos? Angelus utique Domini est. Non ex se ipso loquitur. Si despicis, non illum despicis, sed Deum, qui illum ordinavit*.

Dixi jam nonnulla pro laude Clericalis status, & regalis Sacerdotii, pauciora nunc dico pro argumento hujus operis; nam ecce secundum conditionem dignitatis, prout hic memini ex asserto Gelasii Papæ, erit necessum, ut coram supremo Judice reddatur ratio, si ergo propter hanc timere debent, qui in ovile Domini per ostium intraverunt, & non aliunde ascenderunt, seu qui debitis qualitatibus prædití sumpserunt sibi honorem item *qui res Dei*, *Patrimonium Christi*, & *bona pauperum* impenderunt juxta mentem S. Matris Ecclesiæ, si, inquam, hi beneficiarii causam timendi habent, ne subsistant in divino examine, tanto majus foret periculum quoad alios, qui aliunde ascendissent in ovile Domini. De his enim non purus homo, non Angelus, sed Deus homo & constitutus vivorum, ac mortuorum Judex pronuntiavit, quod sint fures & latrones, Jo: 10. similiter tanto magis deberent illi supremum tribunal metuere, qui bona Ecclesiæ, prout oportet, non impenderunt, quare pro avertendo hoc periculo adest tractatus iste beneficiarius, per quem declarantur jura S. Matris Ecclesiæ, ne beneficia sive habentia animarum curam, sive simplicia indignis, aut modo illicito conferantur, & ut actualiter beneficiati amplius intelligant, qualiter reditus beneficiales debeant impendere, & an plura beneficia affectare, ac retinere possint: quæ quidem omnia secundum Doctrinam SS. Patrum, definitiones Conciliorum, sacrorumque Canonum hic satis aperte declarabuntur pro majori Dei omnipotentis gloria, & emolumento Sanctæ Matris Ecclesiæ.

ELEN.

ELENCHUS
QUÆSTIONUM.

§. 3.

TRA-

TRACTATUS BENEFICIARIUS.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?

ANtiquitus jam, etiam inanium Deorum cultoribus, & ministris sumptus sustentandæ vitæ necessarios fuisse suppeditatos, sacri testantur codices: sic enim Sacerdotibus Ægyptiorum ex Prytanæo, seu publicis horreis reditus pro sustentatione necessarii; seu potius certa quædam cibaria subministrabantur: immo dum ingravescente, totamque Ægyptum infestante fame, alii omnes pro frumento agros quique suos Pharaoni adjudicare necessitabantur, solis Sacerdotibus possessionum suarum dominium retinere reliquum erat. Loquitur enim sacra Scriptura Genes. cap. 47. *Emit igitur Joseph omnem terram Ægypti vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, subjecitque eam Pharaoni, -- præter terram Sacerdotum, quæ a Rege tradita fuerat; quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas.* Non absimile institutum erat veterum Romanorum, qui testante Plinio lib.18. cap. 2. *Ne degustabant quidem novas fruges, aut vina antea, quam Sacerdotes primitias libassent.* Sed missa umbratili, commentitiaque religione illorum, qui in tenebris, & in umbra gentilitatis sedebant, ad verosveri, uniusque Dei ministros convertamur: & ecce! quemadmodum nulla Respublica, bene instituta, erat, quæ suos non haberet, revereretur que Sacerdotes, ita nulla gens unius, summique Dei cultui addicta erat, quæ ministris divini cultus portionem aliquam non exhibebat.

Porro in veteri testamento, seu potius primis illis temporibus apud veri Dei cultores divino ministerio, seu Sacerdotali honore digni colebantur primogeniti; quibus abunde provisum erat de ipsis necessaria portione, prout optime more suo declarat D. Thom. 2. 2. quæst. 87. art. 1. ad 3. dicens: *Ante tempus veteris legis non erant determinati ministri divini cultus, sed dicitur, quod primogeniti erant sacerdotes, qui duplicem portionem accipiebant: & ideo, etiam non erat determinata aliqua pars exhibenda ministris divini cultus, sed ubi aliquis occurrebat, unusquisque dabat ei propria sponte, quod sibi videbatur, sicut Abraham quodam prophetico instinctu dedit decimas Melchisedech Sacerdoti Dei summi, ut dicitur Genes. 14.* Ceterum de sacerdotibus, cultusque divini honorem promovendi curam habentibus ministris in novo Testamento, experientia comprobat, ipsis de liberali, competentique provisione circa temporalia respective prospectum esse: hæc autem provisio temporalis hodie potissimum determinata, & fundata est in beneficiis erectis. Igitur in ordine ad propositam quæstionem, qua quæritur: quid sit beneficium Ecclesiasticum.

III. Varii varias definitiones tradunt apud Garziam *de Benef.* part. 1. cap. 2. Qui tamen ceteris præferendam putat, quam astruit Corosius 1. part. cap. 2. num.

1. Sic declarans, quod beneficium sit *jus percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, Clerico propter divinum officium competens.* Bona est hæc definitio, quæ recte explicat naturam, & substantiam beneficii, & videtur converti cum suo definito. In idem recidit definitio a Natal. Alex. tom. 2. cap. 6. tradita, ac quoad substantiam nihil de novo assignat, sed naturam beneficii tantum magis explicat: ea autem definitio hæc est. *Beneficium Ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis provenientes, Ecclesiæ auctoritate constitutum, competens Clerico propter sacrum ministerium, seu officium spirituale, quod exhibere debet Ecclesiæ, cujus ex bonis sustentatur. Primo, jus* non quidem principaliter, & in se spirituale, sed potius temporale: cum sit jus percipiendi fructus, qui sunt temporales: dicitur tamen spiritnale hoc sensu, dependenter nempe, sive consequenter, ad Clericatum scilicet, quem præsupponit, ut loquitur S. Thom. 2. 2. quæst. 100. artic. 4. dicens: *aliquid potest esse annexum spiritualibus dupliciter, uno modo, sicut ex spiritualibus dependens, sicut habere beneficia Ecclesiastica, dicitur spiritualibus annexum, quia non competit, nisi habenti officium Clericale.* Dicitur *secundo, perpetuum*, ut beneficium a pensione distinguatur, quæ tantum ad tempus conceditur, & morte pensionarii extinguitur, cum interea beneficium morte beneficiarii non extinguatur. Per hoc etiam patet, quod administrationes, vel dignitates, quæ morte concedentis expirant, beneficia stricte dicta non sint: & tales dignitates, vel administrationes sunt verbi gratia Vicariorum Generalium, & Officialium Episcopi. Dicitur *tertio, Ecclesiæ auctoritate constitutum*; quia legitimi superioris Ecclesiastici approbatio, & confirmatio necessaria est ad hoc ut reditus propter officium provenientes, naturam beneficiorum induant: & per hoc beneficium a stipendio distinguitur, quia etiamsi stipendium propter celebrationem missarum verbi gratia in perpetuum fundatarum, etiam perennet, tamen ad hoc superioris Ecclesiastici approbatio, vel confirmatio necessario non requiritur & plerumque non accedit. Dicitur *quarto: Clerico competens*; quia beneficium nemini conferri potest, qui non sit minoribus ordinibus, saltem aut ad minimum prima tonsura initiatus; & ex isto capite ponit Navarrus in sua definitione *de red. Eccl.* 1. quæst. Monit. 55. loco verbi *Clerico*, personæ Ecclesiasticæ. Dicitur *quinto, propter sacrum ministerium*, &c. Dicit enim Bonifacius VIII. in cap. *Quia per ambitiosam*, titul. *de Rescript.* in 6. quod propter officium detur beneficium. Unde & Concilium Tridentinum Sess. 21. *de Reformat.* cap. 3. asseverat, quod *beneficia ad divinum cultum; atque Ecclesiastica munia obeunda sunt constituta.* Et merito; quemadmodum enim secundum legem divinam & naturalem qui Altari deserviunt, his etiam de Altari participare concessum est, secundum dicenda infra quæst. 4. Arg. 10. Ad. Id. Ita pariter, quibus de Altari participare permittitur, secundum legem divinam, & naturalem æquum, & justum est, ut Altari deserviant: id, quod optime decernit Concilium Coloniens. ann. 1547. celebratum, tit. 9. cap. 3. inquiens: *Divini juris est, ut qui servit Altari, de Altari vivat, nec bono jure it, qui non servit Altari, de Altari vivit: sicut stipendium non debetur, nisi militanti.*

IV. Jam quoad alteram quæst. partem, seu quotuplex sit beneficium, dico, beneficium posse esse omnino multiplex, si velimus beneficium in genere considerare, in quantum est benevola actio tribuens gaudium capientibus cap. 1. *in quib. caus. feudum amittat.* Seu in quantum actione benefica, & spontanea tribuitur; quia tamen in ordine ad præsens institutum, beneficium consideramus secundum posteriorem definitionem num. præced. datam, hinc dividimus illud primo in *Sæculare*, & *Regulare*. Beneficium Sæculare dicitur, quod sæcularibus personis est addictum, & debitum. Per personas autem sæculares intelligimus illos, qui nulli Religioni nomen dederunt, nec regulam quamdam professi sunt, sed in sæculo Deo serviunt. Beneficium Regulare illud est, quod pro solis Regularibus institutum est, aut Ordini ita annexum, ut per Regulares administrari debeat. Ex hoc ergo Regula generalis habet, quod nisi Pontificis dispensatio interveniat beneficia sæcularia, Sæcularibus, regularia Regularibus conferri debeant, secundum illud notissimum: *Sæcularia sæcularibus, & regularia regularibus*, & ea, quæ dicit Bonifacius VIII. in cap. *cum de Benefic.* de præb. in 6. Excipi de se posset quantum ad hoc quoad beneficia curata, h. e. curam animarum habentia, nam hæc

esto

esto saecularia sint, possunt solis Canonicis regularibus conferri, seclusa speciali dispensatione, cap. *quod Dei timorem:* de Stat. Monach. ubi Innocentius III. insuper significat, jam olim beneficia curata Monachis habendi privilegium fuisse. Jure novo tamen huic privilegio in d. cap. per concordata Conc. Lateranens. cum Leone Pap. & Cardinales *in Declar.* Trid. Sess. 14. cap. 10. ita derogatum fuit, ut citra Papae dispensationem Monachi ad saecularem Parochiam promoveri non valeant: & si secus ad Parochias Monasterio non incorporatas, promoti fuerint. Episcopus eosdem removere valeat. Atque ideo hodie omne beneficium praesumitur esse saeculare; nisi aliunde probetur esse regulare. Probari autem deberet vel ex litteris fundationis, seu erectionis, vel ex continua, nulla interveniente dispensatione, per 40. annos pacifica possessione. Nam titulo praescriptionis per pacificam tanti temporis possessionem ex saeculari fit regulare, & e contra ex regulari saeculare.

V. Dividimus beneficium secundo in beneficium duplex, & simplex. Beneficium duplex est, quod habet adjunctam aliquam praeeminentiam, jurisdictionem, vel administrationem majorem, vel minorem pro diversitate officii, vel dignitatis Ecclesiasticae. Primum ergo locum inter beneficia duplicia ob sublimitatem dignitatis obtinet *Papatus*, *Patriarchatus*, *Episcopatus*. Notandum tamen est, quod haec beneficia non distinguantur ab invicem quoad Ordinem, distinguuntur tamen quoad potestatem, jurisdictionem, & regimen; & quoad hoc Papatus reliqua beneficia praecedit, ob potestatem per se in universalem Ecclesiam extendentem. Porro quantum ad Episcoporum ordinem, in Ecclesia quadruplex est: Nam *Primo* sunt Patriarchae, sic dicti, quasi principes, sive supremi Patrum, utpote quibus etiam subsunt Archiepiscopi, & ad quos ab his appellare licet; Reverentur autem Ecclesia nominatius quatuor Patriarchas videlicet Constantinopolitanum, Alexandrinum, Hierosolymitanum, & Antiochenum. Secundo sunt Primates, sic nuncupati, quod ipsis post Papam *Primaria* judiciaria potestas competat, & hinc a Patriarchis nomine, non item re sunt diversi. *Tertio* sunt Metropolitani, sic dicti, quia certas civitates, vel potius certas Dioeceses Episcopales sub suo gubernio habent: in re sunt iidem, ac Archiepiscopi, qui sunt Ordinarii Superiores Episcoporum suae provinciae, vel ditionis. *Quarto* denique sunt Episcopi, qui olim respectu Archiepiscopi, suffraganei illius dicebantur: hodie autem communiter suffraganei nomine dicitur ille solus, qui vice sui Principalis Sacros Ordines confert.

VI. Beneficia duplicia minorem praeeminentiam habentia, sunt *Primo* dignitates, seu Praelaturae, quibus in foro externo jurisdictio competit: & talia sunt Abbatiae, & aliae Praelaturae tam saeculares, quam regulares: & hae exinde, dicuntur proprie *dignitates*. *Secundo* sunt *Personatus*, vi quorum habentur praeeminentiae in Ecclesia sine jurisdictione in foro externo, & sunt Praecentoriae, Cantoriae, & similes. *Tertio* sunt *Officia*, quae carent jurisdictione in foro externo, habent autem rerum Ecclesiasticarum administrationem. Rebuff. in prax. Benef. 1. part. Deinde beneficiis duplicibus annumerantur Parochialia, sive curata; Parochi enim, sive curati duplici oneri subjiciuntur, ex eo namque, quia administrationem, & curam animarum habent, non satisfaciunt suae obligationi per solam horarum Canonicarum, etsi devotam recitationem (ad quam omnes beneficiarii aliunde adstringuntur) sed tenentur insuper Ecclesiae sibi commissae, seu subditorum curam gerere, missas verbi gratia celebrando, Sacramenta administrando, Evangelium praedicando, *&c.* Unde vi hujus duplicis oneris, & curae dicuntur Parochi, & Curati habere aliquam praeeminentiam prae reliquis beneficiariis simplicibus. Haec de beneficio duplici.

VII. Ex his jam deducitur, quid sit beneficium simplex: illud nempe est, cui nec specialis praeeminentia, nec jurisdictio, nec administratio adjuncta est, sed simpliciter erectum est vel ad preces tantum persolvendas, vel ad alia officia peragenda, ut sunt Canonicatus, etiam Ecclesiae Cathedralis, Capellaniae, Altaria, *&c.* Canonicus namque qua praecise talis nec Sacramenta administrat, nec verbum divinum populo annuntiat, nec missas ordinarie celebrat, sed Deo servitium exhibet in decantandis horis, & alia officio sibi injuncto: unde & ex ista ratione Canonicatus appellatur beneficium sine administratione. Iterum simile beneficium sine administratione est Capellania, ut dictum, quae a Capella differt per hoc, quod Capella sit corpus per se, & suo modo Ecclesia per se:

se: Capellania vero nec sit corpus per se, nec Ecclesia per se, sed si sit in alia Ecclesia Altare, cui annexum est beneficium, tunc vocetur Capellania, & quidem perpetua.

VIII. Sed quid, si dubium sit, an beneficium aliquod sit simplex, an vero curatum, pro quo standum erit? Resp. standum esse pro simplici; quia multæ conditiones requiruntur, ut sit curatum, quæ præsumi non debent, sed probari. Illud tamen etiam verum esse judico, si beneficium extet, sed absque speciali munere annexo, quod tunc Prælatus, & Capitulum possit beneficio vacanti honestum onus imponere, ad quod deinde beneficiarius adstringatur. Ratio sumitur ex cap. *Significatum* Extra., *de Præb. & Dignit.* Ubi Alexander III. a Præposito, & Capitulo Insul. informatus, quod præbenda aliqua vacans in Ecclesia ibidem data fuerit cuipiam sacerdoti cum annexo onere quotidie missam de S. Maria celebrandi, &c. Respondit; *Quam siquidem institutionem eatenus confirmamus, ut prædictus Sacerdos, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assidue debeat obsequium impendere Ecclesiæ memoratæ, & quanto frequentius potest -- missarum solemnia celebrare*. Quod idem decrevit Conc. Mediolanens. I. Constitut. p. 2. tit. 26. inquiens: *Si aliqua dignitas, personatus, aut officium in Ecclesia fuerit; cui neque ab institutione, neque a constitutionibus propriis, quæ probatæ sint, neque his decretis proprium munus in divinis officiis sit attributum, aut quod sit, non satis constet: Episcopi duobus adhibitis de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter a Capitulo deligatur, assignent singulis dignitatibus, & officiis proprium munus, quemadmodum cum sententia SS. Canonum, & cum propriæ Ecclesiæ probatis constitutionibus, & cum his sanctionibus pro ratione loci magis congruere judicabunt. Ceteris etiam beneficiis, quæcunque jam ab Ecclesiasticis officiis immunia reperiuntur, sive Canonicatus, sive Clericatus, sive etiam simplicium nomine appellantur, iis Episcopus pristina munera restituat: ac si non constet satis, qualia essent, pro fructuum ratione munera imponat aut missas, divinaque officia celebrandi, aut Clericatus, simpliciaque beneficia sint, minorum etiam Ordinum functiones obeundi, ad divini cultus propagationem.*

IX. Dividimus beneficium tertio in beneficium electivum, & Patronatum. Beneficium electivum est, quod obtinetur per viam electionis a Capitulo, vel etiam postulationis, qua is postulatur ad beneficium, qui vel non erat de corpore Capituli, vel de jure incapax beneficii: ad hoc autem ut electus, vel postulatus acquirat jus plenum in beneficium debet necessario accedere legitimi superioris confirmatio cognita prius electi, vel postulati idoneitate, unde seclusa confirmatione nec electus, nec postulatus beneficii administrationem usurpare debet. Præterea nisi electus jure per electionem quæsito privari velit, debet inter tempus a jure determinatum a die electionis, sibi sufficienter intimatæ, in eam consentire, si tamen ea sit personæ electæ conditio, ut de se possit consentire in celebratam electionem: dico, *ut de se possit consentire;* nam persona sub obedientia constituta, cum careat velle, & nolle, debet prius obtinere licentiam, & ratihabitionem legitimi superioris. Quod si dein nullo ex his obstante vel in electionem consentire, vel confirmationem impetrare negligat intra trimestre, sive trium mensium spatium, noverit electionem de se factam esse irritam c. *quam sit Ecclesiis*. De Elect. in 6.

X. Porro modi eligendi tres sunt. Primus est per scrutinium: secundus per compromissum: & tertius quasi per inspirationem divinam. Per scrutinium electio celebratur, quando colliguntur suffragia. Per hanc autem eligendi viam is eligi debet, *in quem vel omnes, vel Major, & Senior pars Capituli consentit . . . aliter electio facta non valet, nisi forte communiter esset ab hominibus, quasi per inspirationem absque vitio celebrata*, ut loquitur Innoc. III. in cap. *quia propter* de Elect. Quapropter si ex una parte major sit eligentium numerus, sed tamen non cum notabili excessu: ex alia vero parte sit respective minor numerus, qui tamen sive ob auctoritatem, sive ob Capacitatem judicandi de dignitate electi, constituerent *Saniorem partem*, hi, licet numero minores, possent nihilominus infirmare, & invalidare electionem secundum jus commune, *Gloss. in cap. Ecclesia 2. vers. non consenserit*. Hoc tamen tunc tantum tenet, si, ut præfertur, major pars eligentium non sit cum notabili excessu; si enim iste excessus sit plane notabilis, h. e. si electus habeat suffragia a duplo Majori parte collecta, contra eum, quan-

quantum ad electionis vim a reliquis nihil excipi potest, si alias forma substantialis electionis observata fuerit, cap. *Si quando de Elect. in 6.* Idem quod dico de majore, & saniore parte Capituli quantum ad electionem, tenet quoque de aliis negotiis præsertim gravioribus, in Capitulo Canonice congregato, pertractari solitis: unde si alias serventur, quæ de jure servari debent, sive in ordine ad ferendam sententiam definitivam, sive ad terminandum negotium, vel causam, & colligantur suffragia cum notabili excessu supra medietatem, pars longe minor imprudenter, & otiose sibi arrogaret auctoritatem *partis Sanioris*.

XI. Secundus eligendi modus est per compromissum. Est autem compromissum simultanea partium inter se diffidentium promissio, qua sua sponte ad aliorum arbitrium suam remittunt controversiam, verbi gratia dubiam inter Capitulares idonei Prælati electionem, vel aliam controversiam decidendam. Atque hinc quantum ad præsens electio per compromissum celebratur, si uni, aut pluribus viris, iisque Deum, ac conscientiam propriam præ oculis habentibus, committitur potestas eligendi Prælatum idoneum. Debent autem compromissarii esse Clerici; quia Concilium Generale Lateranens. prohibet, *ne super rebus spiritualibus compromittatur in Laicum*, *quia non decet ut laicus in talibus arbitretur*, *cap.Contingit de Arbitr.* Porro si promissum fiat absolute, ita ut compromissarii habeant potestatem eligendi, quem volunt, dummodo tamen idoneum, erit proprie compromissum: si autem hæc potestas sit restricta, ita ut compromissarii teneantur illum eligere (exquisitis desuper secreto singulorum de Capitulo voluntatibus) in quem major, & sanior pars Capituli consentit, non multum differet a scrutinio, nisi quod in isto eligendi modo ad suffragia etiam secreta procedatur. Sed quid, si unus ex compromissariis a reliquis eligatur, potestne ipsius accedens consensus vim suffragii habere ad effectum obtinendi numerum majoris partis? Respondeo affirmative; quia sic electus per compromissum non semetipsum principaliter eligit, sed potius aliis prius se eligentibus consentit. Id vero non teneret in electione per scrutinium, quia tunc, qui sibi ipsi suffragium conferret, semetipsum principaliter eligeret, quod naturæ liberæ electionis repugnat: Cum sicut nemo in propria causa judex, ita nec arbiter esse debeat, intelligo principaliter.

XII. Tertius eligendi modus est quasi per inspirationem divinam. Et fit tunc, quando omnes electores uno veluti corde, & ore in eundem, nullo vitio interveniente, consentiunt: Et *quasi per inspirationem absque vitio* celebrant, cap. *quia propter* h. t. De hoc eligendi modo nihil specialiter monendum occurrit. Hoc unum advertendum est, quod, quocunque ex dictis modo electio celebratur, omnes de gremio Capituli, seu qui vocem habent, vocari debeant, adeo ut si unus, vel duo negligenter, vel per contemptum prætermittantur, electio infirma censeri debeat, nisi injuste prætermissi, & deinde certiorati de electione ob bonum pacis consensum præstare velint, ut decernit Innocentius III. cap. *quod sicut* h. t. inquiens, *quod si eos vocatos non fuisse constiterit sed contemptos, infirmanda erit electio penitus taliter celebrata, nisi postea propter bonum pacis curaverint consentire*. Dixi, *si negligenter vel per contemptum prætermittuntur*: nam si attentis circumstantiis loci, temporis, &c. Absentes commode interesse non possint, non erit dicendum, ipsos esse injuste prætermissos. Unde Innocentius ibid. „ Si qui „ interesse debuerant, non contempti fue„ runt, sed ad electionem vocati (si ta„ men sine periculo potuerint convocari) „ sive noluerint ad electionem celebrandam „ accedere, ipsorum absentia electionem „ non impedit „. In casu infirmitatis suffragium quoque ab ægrotante exquirendum est; respectu ægri enim, quamdiu sibi præsens est, nulla afferri potest ratio, ob quam suo suffragio privatus existere deberet.

XIII. Alterum hujus tertiæ divisionis membrum est *beneficium Patronatum*. Est autem illud, quod ad præsentationem Patroni, & legitimi superioris institutionem, collationem, seu investituram obtinetur. Ad præsentationem Patroni acquiritur jus *ad* beneficium, ita ut illud nulli alteri conferri possit: ad institutionem superioris vero acquiritur jus *in* beneficio. Porro Patronus ille est qui titulo fundationis, ædificationis, vel dotationis acquirit jus denominandi, seu præsentandi aliquem, quem, si dignus inventus fuerit, legitimus superior citra condictionem admittere, & instituere debet ad beneficium Ecclesiasticum vacans, Dico *vacans*; si enim beneficium non vacet, prætensa nulla est, utpote immediate contraria fini, quem jus Advoca-

tio-

tionis, seu Patronatus respicit: quin immo & promissio prætentandi alicui specialiter facta, beneficio nondum vacante fieret nulla, & contra bonos mores; cum stante tali promissione periculum esse possit, ne prætentatus beneficiarii mortem procuret, aut saltem de ipsius bona valetudine nimium tristetur, de infirmitate vero lætetur; cum exigua ædificatione Laicorum.

XIV. Jus Patronatus duplex est, Ecclesiasticum unum, laicum alterum. Primum est, quod persona Ecclesiastica possidet vel ratione dignitatis, aut beneficii, cui annexum est tale jus: & talis dignitas, vel beneficium esse potest Episcopatus, iterum jus Patronatus Ecclesiasticum habere potest alia quæcunque persona Ecclesiastica, si de bonis Ecclesiæ fundaverit, construxerit, *&c.* Capellam, Ecclesiam *&c.* Jus Patronatus laicum est, quod competit laico, qui, ut loquitur Concilium Tridentinum Sess. 14. de Reformat. cap. 12. *Ecclesiam, beneficium, aut Capellam de novo fundarit, & construxerit; seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit*. Hoc posterius jus Patronatus, nempe laicale incorporari seu uniri potest juri patronatus Ecclesiastici, vel per dotationem inter vivos, vel mortis causa, vel si alias ex quacunque dispositione Patroni laici alicui beneficio adjungatur: jus Patronatus Ecclesiastici vero quacunque dispositione uniri non potest juri laicali; ratio discriminis est, quia nihil prohibet, quominus, quod est humanis usibus dicatum dicetur deinde usibus spiritualibus: at vero indecens valde est, ut semel dicatum usibus spiritualibus, adeoque Deo, ulterius transferatur ad usus humanos secundum Reg. Jur. 51. Sed de his pluribus infra.

XV. Dividimus beneficium quarto in beneficium *optatum*, & *liberum*, seu libere Collativum. Beneficium optatum est, quod acquiritur per liberam optionem, verbi gratia quando Canonicus Senior suam præbendam relinquit, & præbendam vacantem optat, & ex consuetudine licite introducta, in illius possessionem admittitur. Dico *ex consuetudine licite introducta*, quia Ecclesia hanc consuetudinem permittere potest, tum quia hæc optio nec ipsi Ecclesiæ est perniciosa, nec naturæ beneficii repugnans; manet enim præbenda optata in statu, quo erat ante optionem, & solum succedit præbendæ dimissæ a Canonico optante. Ad optandum autem conceditur viginti dierum spatium, quo elapso expirat optandi facultas. Notandum autem est, quod non omnia indiscriminatim beneficia optare liceat; nam in Curia vacantia, aut summo Pontifici reservata, vel etiam Patronata optare non licet: non prima; quia jus ab inferiore ex consuetudine introductum præjudicare non debet juri Superioris; sed nec posteriora optare licet, quia talis optio fieri non posset nisi cum præjudicio Patroni Ecclesiastici, vel etiam Laici. Beneficium libere Collativum est, ad quod Collator nemine denominante, eum quem vult, instituit, suppolita tamen instituti idoneitate. Et hæc institutio in in re nihil est, quam mere liberalis donatio, & gratia.

XVI. Dividimus beneficium quinto in beficium *Titulare* & *Manuale*. Titulare est quod a titulo nuncupatur, adeoque de se in titulum perpetuum beneficiato confertur, ita ut citra gravem, & justam causam auferri non possit; ob eandem proinde rationem beneficia titularia ordinarie sunt sæcularia. Porro dum dicitur, beneficium titulare conferri *in titulum perpetuum*, intelligendum est, quoadusque beneficiarius jure per Collationem acquisito non privatur: quia tunc beneficium illud quoad titulum vacare dicitur: verbi gratia si Canonicus, aut alius beneficiarius in Episcopum eligitur, tunc electi in Episcopum Canonicatus, vel beneficium quoad titulum vacabit, quia perdit jus per Collationem acquisitum ad præhabitum Canonicatum, vel beneficium ex dispositione juris: retinebit tamen adhuc Canonicatum, *&c.* Quantum ad effectum possessionis, & administrationis ejusdem Canonicatus: nam tamdiu Canonicatum quoad effectum modo dictum retinebit, quoadusque Episcopatum plene adeptus fuerit, & supposito, quod plene adeptus sit, quoadusque fructus hujus beneficii pacifice, & libere non obtinet: at vero per hoc, quod sit in Episcopum electus, Episcopatum plane adeptus non est, sed insuper requiritur, ut electioni accedat confirmatio, & consecratio: & iterum fieri potest, quod Episcopatum plene adeptus sit absque eo, quod hujus beneficii fructus percipiat, quia forte alteri debentur vel ex causa, vel privilegio, aut statuto, & auctoritate Superioris, in hoc

utro-

utroque proinde casu prius beneficium vacat quidem quoad titulum, non item vacat quoad possessionem, & administrationem. Beneficium *Manuale* est, quod quidem confertur in titulum, sed revocabiliter, ad beneplacitum nempe, & voluntatem superioris, & similia beneficia, ad nutum revocabilia, sunt ordinarie regularia, ad quorum revocationem non requiritur gravis causa, sed sufficit sola Prælati voluntas, si ab ipso tantum collatio dependet: alia ratio esset, si collatio dependet a toto Capit. regulari v. gr. Prioratus, qui subinde non ab Abbate solo, sed a toto Capitulo confertur.

XVII. Dividimus beneficium sexto in beneficium *Papale* & *Episcopale*, beneficium Papale est, cujus Collatio a solo Papa dependet, ita ut ab aliis Ordinariis scienter, vel ignoranter etiam, conferri non possit, & similia beneficia sunt, quæ specialiter Papæ reservantur: & talia beneficia Cardinalium, & Curialium, h. e. Ministrorum, ad Curiam Romanam pertinentium, vel etiam familiarium Papæ. Item dignitates, quæ post Episcopatum Majores sunt in Ecclesiis Cathedralibus, aut Principales in Collegiatis, ut sunt Præpositura, nisi forsan quoad hoc Ecclesiæ particulares gauderent speciali Privilegio, vel indultu eligendi Præpositum. Iterum beneficia Papalia (per concordata Germaniæ) *quæ non sunt Patronata*, & conferri consueverunt alternis mensibus, videlicet Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri, Novembri: reliqui menses sunt Ordinariorum Collatorum ut sunt Episcopi, vel etiam (in Germania) ex consuetudine, privilegio, aut statuto, Capitula, vel etiam singuli Canonici circulariter, seu per ordinem. Hæc autem beneficia Papalia manent reservata ad spatium trium mensium a die intimatæ vacaturæ, ita ut, si intra tres deinde menses nulla fiat provisio Pontificia quoad beneficium vacans, jus conferendi redeat ad Ordinarium Collatorem; si autem intra dictum tempus provisio Pontificia fiat, esto inita idem tempus non innotuerit in loco beneficii, tunc provisio Papalis omni alteri provisioni præferenda est, secundum Constitut. Gregorii XIII. editam ann. 1576. quæ incipit, *Quæ in Ecclesiam*. Dixi autem supra, beneficia, *Quæ non sunt Patronata*, Papam sibi reservare; nam Patronata, quorum Patroni nempe sunt Laici, Papa sibi non solet reservare, cum hæc reservatio Ecclesiæ perniciosa magis esset, quam favorabilis; eo quod Laici per similem reservationem, qua jure Patronatus gaudere non possent, potius absterrerentur a fundando, ædificando, vel dotando, quam allicerentur.

XVIII. Iterum inter beneficia Papalia recensentur illa, quæ Pontifex non tam sibi, quam Romano Imperatori noviter electo, ex speciali indulto, & antiquissima consuetudine reservat, ita ut Imperator qua noviter electo in unaquaque Ecclesia sui Imperii ad beneficium vacans, vel etiam proxime vacaturum *primarias preces* seu ut alii volunt, *primas* offerre semel valeat, h. e. denominare, vel præsentare personam idoneam, cui beneficium vacans, vel deinde vacaturum conferri debeat. Ab hoc tamen privilegio Imperatori concesso immunia sunt beneficia Patronata; Privilegia enim cum injuria tertii concedi non solent; si autem hoc indultum extenderetur etiam ad beneficia Patronata, Patroni injuriam paterentur, ut patet. Item excipiuntur ab hoc privilegio beneficia monocula; est autem beneficium monoculum illud, quando Prælatus non habet jus nisi ad unum tantum beneficium conferendum: tunc enim de simili indulto premi non debet, quod se etiam ad similia beneficia extendat: videtur enim indignum, ut Prælatus in gratiam Imperatoris illo unico, quo fruitur, lumine privetur.

XIX. Sed ut totum paucis demus: si Pontificem ut universalis Ecclesiæ gubernatorem, & supremum dispensatorem considerare volumus, jam omnia totius Ecclesiæ beneficia, sive duplicia, sive simplicia, patronata, electiva, vel libere collativa sint, dicentur, & erunt beneficia Papalia vi juris supremi, quod habet in universalem Ecclesiam, si enim alii Collatores inferiores habent a Pontifice potestatem præsentandi, conferendi, instituendi, &c. multo magis ipse Pontifex similem potestatem habere debet, quia, ut habet nota Jur. Reg. apud Ulpian. l. 46. ad Edict. *Nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse habet*. Hac igitur stante plenitudine potestatis Papa potest triplici modo conferre beneficia. Primo, jure præventionis: Secundo, jure concursus; Tertio, jure devolutionis.

XX. Papa igitur *primo* jure præventionis beneficium conferre potest, in quantum ipsi per plenitudinem potestatis integrum est

est omnem collatorem, etiam Patronum prævenire in instituendo beneficiario, supposito, quod beneficium vacet: immo ipsi etiam liberum est, dare gratiam expectativam ad beneficium proxime vacaturum: per c. *dudum* de præbend. in 6. quæ tamen gratiæ exspectativæ omnibus Papæ inferioribus sunt abrogatæ, & prohibitæ, ne hujus occasione expectatarius mortem beneficiarii machinetur, aut desideret. Quapropter *decernit S. Synodus* Tridentina (Sess. 24. c. 19.) *mandata de providendo, & gratias, quæ exspectativæ dicuntur, nemini amplius, etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus, & aliis singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, nec hactenus concessis cuiquam uti licere. Sed nec reservationes mentales, nec aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas Ecclesias, vel Monasteria alicui, etiam ex S. Rom. Ecclesiæ Cardinalibus concedantur, & hactenus concessa, abrogata esse censeantur*. Sed si ita est, Cur ergo primariæ preces Imperatoris admittuntur ad beneficium proxime vacaturum? Respondeo secundum dicta num. 18. beneficia ab Imperatore qua noviter electo conferri solita, de se esse Papalia, quia sunt Papæ reservata non pro se, sed pro Imperatore: unde quantum ad hoc gratia exspectativa Papæ reservata manet non pro se, sed pro Imperatore: & ideo quantum ad hoc gratia exspectativa Papæ potius adscribenda est, quam Imperatori.

XXI. Secundo, Papa jure concursus ita beneficium conferre potest, ut etiam secluso jure præventionis, cum quolibet ordinario Collatore concurrat; cum enim quilibet ordinarius Collator potestatem habeat, nunquam tantam potestatem habere potest, ut Papa sibi non retineat eandem potestatem, tanquam supremus omnium beneficiorum dispensator, in gradu excellentiori. Hoc tamen fatendum est, Papam ordinarie nec jure præventionis, nec jure concursus uti, hoc ipso, quod sibi certos menses pro faciendis collationibus reservaverit: extra quos menses ordinariis Collatoribus plenariam reliquit conferendi facultatem, quod omnino prudentissime factum est, ut hac ratione præcaverentur plurimæ confusiones, lites, murmurationes, aliaque cuilibet facile obvia incommoda.

XXII. Tertio, jure devolutionis solet Papa providere beneficio vacanti, quando ordinarii Collatores vel propter negligentiam omittunt, vel propter delictum valide nequeunt conferre beneficium. Negligentia in præsenti tunc committitur; quando collatio, vel electio ultra tempus a jure determinatum differtur. Sunt autem pro Episcopatu, vel Prælatura regulari a jure determinati tres menses, pro reliquis vero beneficiis inferioribus sex menses a die sufficienter cognitæ vacationis: & tunc elapso hoc spatio, & non facta provisione, ex jure devolutionis Papa providet. Propter delictum jus devolutionis ad Papam spectat: si vel scienter beneficium indigno conferatur, vel ad Episcopatum, aut Prælaturam regularem indignus eligatur, vel forma substantialis electionis non servetur: tunc ergo in triplici hoc casu provisio spectabit ad Pontificem ex jure devolutionis.

XXIII. Hactenus nonnulla diximus, quantum ad beneficia Papalia, nunc pro secundo membro divisionis n. 17. pauca dabimus quoad beneficia Episcopalia; Suntque illa, quorum collatio ab Episcopis dependet, ut primo Episcopi conferre possunt omnia beneficia sua Diœcesis spectato jure communi; hæc enim potestas dignitati Episcopali omnino videtur esse debita: Episcopus siquidem, quemadmodum tanquam Pastor super gregem, in reliquis negotiis animæ salutem concernentibus, quasi rationem aliquando redditurus, vigilare debet, ita & vicissim conveniens est, ut & commoda, & favorabilia, siquæ suæ Diœcesis sunt, primus sentiat: commodum autem, & favorabile esse videtur Episcopo, & Diœcesi, ut ministros ipse constituat, quibus sacra conferat, cum ipse credatur optimam habere notitiam suorum, quinam scilicet, & ad quæ beneficia promovendi sint, ut bono communi Diœcesis magis consulatur, ipseque Episcopus in reddenda aliquando, ceteroquin ratione alleveturr. Dixi autem *spectari jure communi*, nam jure novo per Concordata Germaniæ, & regulas Cancellar. Episcoporum potestas quantum ad præsens restricta est, ita ut alternatim beneficia conferre possint, hoc est alternis mensibus, nimirum: Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, Decembri. Iterum quantum ad majores dignitates post Episcopatum in Cathedralibus, & Principalibus in Collegiatis Ecclesiis, ut supra dixi num. 17. hæc potestas Episcoporum manet restricta, nisi contrarium ex privilegio, consuetudine, aut legitima

gitima præscriptione probetur.

XXIV. Beneficia patronata Episcopus solum conferre potest jure devolutionis, seu quando Patronus laicus intra quatuor, Ecclesiasticus vero intra sex menses neminem præsentat. cap. *quoniam*, Jur. Patr. Item Episcopus conferre potest alia beneficia inferiora, quæ Capitulum, aut alius Prælatus, etiam Ecclesiasticus non exemptus, h. e. Episcopo subjectus, aut tempore a jure statuto conferre neglexit, aut per delictum indigno contulit. Quod si deinde & ipse Episcopus debito tempore conferre negligat, aut scienter indigno conferat, fit jus devolutionis gradatim ad Metropolitanum, ab hoc ad Primatem, sive Patriarcham, si huic ille subjectus est, & tandem ad Papam. Ceterum universaliter sciendum, quod, quodcunque beneficium suæ Diœcesis Episcopus conferre velit, ut collatio valeat, non debeat ut Romæ existens conferre. Quia ut olim Proconsul *L. ult.* §. *de Offic. Proconf.* Urbem ingressus deponit imperium, sic etiam Episcopus. Hinc ergo Urbe exeundum erit, & tunc in quacunque Diœcesi repertus valide conferret, quia beneficiorum collatio fit sine strepitu judiciali. Hæc de natura, & divisione beneficii.

QUÆSTIO II.

Quænam qualitates sint necessariæ in promovendis ad beneficia?

Cum dignitates, in Ecclesiis præsertim Cathedralibus, ad conservandam, augendamque Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, ut qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos opera, & officio juvarent, merito, qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere possint*, ut loquitur Concilium Trident. Sess. 24. *de Reformat.* cap. 12. Hinc videndum est, quot, & quæ conditiones requirantur ad Canonicam institutionem: *Beneficium Ecclesiasticum* enim *non potest licite sine institutione Canonica obtineri*. Regular. 1. Jur. in 6. *pertinet autem ad institutionem Canonicam* (verba sunt S. Antonini 3. part. tit. 14. cap. 1. §. de Benefic.) *ut non solum conferatur ab eo, qui de jure potest conferre, puta Prælato Ecclesiastico, non Domino temporali, -- sed etiam ei, qui sit habilis ad hoc, puta, ut non sit irregularis, vel infra legitimam ætatem*. Itaque requiritur primo.

I. Ætas debita, quam declarat, & decernit Concilium Tridentinum l. d. inquiens: „ nemo igitur deinceps ad dignitates qualcunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit, & in Clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur, juxta Constitutionem Alex. III. in Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit: *Cum in cunctis*. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia, seu Doctores, & Licentiati in Jure Canonico. Ad ceteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores adsciscantur „. Pariter ætas anni vigesimi quinti saltem inchoati requiritur in promovendo ad regimen Parochialis Ecclesiæ; nam cap. *licet*; titul. de Elect. in Sext. habetur: „ Licet Canon a felicis recordationis Alexandro Pap. III. Prædecessore nostro editus, inter cetera statuerit, ut nullus regimen Ecclesiæ Parochialis suscipiat, nisi vigesimum quintum annum ætatis attigerit, ac scientia, & moribus commendandus existat; quodque talis ad regimen assumptus hujusmodi, si monitus, non fuerit præfixo a Canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, a Regiminis ejusdem amoveatur officio, & alii conferatur: quia tamen in observatione Canonis memorati se multi exhibent negligenter, nos periculosam illorum negligentiam volentes Juris executione suppleri, præsenti decreto statuimus, ut nullus ad regimen Parochialis Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia, & ætate: decernentes Collationes de Parochialibus Ecclesiis, his, qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cetero faciendas, viribus omnino carere.

II. Secunda conditio a S. Antonino relata est, ut promovendus ad beneficium non sit irregularis; ratio desumitur ex cap. *postulasti*, Extrav. *de Cleric. excommunicat. deposit. vel interdicto ministrante*, ubi Innocent. III. cavet: „ Cum excommunicatis communicare non debeat, Clericis ex-

„ excommunicationis vinculo innodatis Ec-„ clesiastica beneficia conferri non possunt, „ nec illi valent ea licite retinere, nisi „ forsitan cum eis fuerit misericorditer di-„ spensatum : Cum ea non fuerint Cano-„ nice consecuti „. Præterea beneficium Ecclesiasticum conferri non debet illi, qui non est de corpore Ecclesiæ: at vero excommunicatus durante excommunicationis sententia de corpore Ecclesiæ non est, cum tanquam membrum putridum ab Ecclesiæ corpore sit resectum.

III. Tertia conditio requisita in promovendo ad beneficium Ecclesiasticum est ordo, adeoque ut promovendus sit Clericus: atque hinc in promovendo ad Cardinalatum requiritur Presbyteratus ordo, si titulum Presbyteri habeat: si titulum Diaconi, requiritur quod sit Diaconus. Hostien. in cap. 2. de Offic. Archipresbyteri; quoad promovendum ad Episcopatum sic loquitur cap. *nullus*, d. 69. *nullus in Episcopum eligatur nisi in sacris Ordinibus religiose vivens fuerit inventus*. Quoad Archipresbyterum, vel Decanum, aut Archidiaconum hæc statuta sunt ex Concilio Urbani Papæ celebrato Alverniæ c. d. „ nullus „ Episcopus in Ecclesia sua, nisi Diaco-„ nus sit, Archidiaconum instituere: nec „ Archipresbyterum, aut Decanum, nisi „ Presbyteri sint, ordinare præsumat. Quod „ ut districtius teneatur, Apostolica aucto-„ ritate prohibemus, & interdicimus „. Ad alia autem beneficia sufficit prima tonsura: nihil obest, quominus quis possit habere beneficia curata, dummodo tamen tantam possideat ætatem, qua possit intra annum ad sacros Ordines promoveri, seu ad illum ordinem requisitum, & respondentem beneficio cap. *licet Canon.* de Elect. h. 6. & hoc quidem verum est, sive beneficium impetretur a Summo Pontifice, sive conferatur ab Ordinario, sive beneficiatus per viam præsentationis, & institutionis assumatur. Hoc tamen intelligendum est, nisi vel de jure, vel consuetudine, seu ex fundatione vel statuto ab initio, & tempore collationis requireretur ordo. Et hæc omnia videntur esse clara ex Concil. Trid. cap. 12. *de Reformat.* ubi decernit: „ Neminem etiam deinceps ad „ dignitatem, Canonicatum, aut portio-„ nem recipiant, nisi qui eo ordine aut „ sit initiatus, quem illa dignitas, præben-„ da, aut portio requirit: aut in tali æta-„ te, ut infra tempus a Jure, & ab hac „ sancta Synodo statutum initiari valeat.

IV. Quarta conditio est scientia in promovendo ad beneficium proportionata. Dico, *proportionata*, quo major enim est dignitas, ad quam quis assumitur, eo majorem, oportet, quod assumptus possideat scientiam: atque hinc sequitur, Majori scientia instructum esse debere Episcopali dignitate splendentem, quam Parochialis Ecclesiæ Rectorem; Major scientia in isto requiritur, quam in alio Presbytero animarum curam non habente: Major item scientia necessaria est Parocho Civitatensi, quam Rurali. Cur vero scientia proportionata in quolibet beneficiario præsertim animarum curam habente requiratur, nemini non perspectum est; Doctorem enim quoad sibi commissum gregem agere debet: at *debet ante esse discipulus, quisquis Doctor esse desiderat, ut possit docere, quod didicit: omnis vitæ institutio hac ad id, quo tendit, se ratione confirmat. Qui minime litteris operam dederit; præceptor non potest esse litterarum:* prout optime loquitur Cœlestinus Papa relat. in cap. *ordinato*, d. 59. idem habet Sanctus Gregorius Magnus part. 1. Pastoralis cap. 1. inquiens: „ Nulla ars doceri præsumitur, „ nisi intenta prius meditatione discatur. „ Ab imperitis ergo Magisterium pastora-„ le suscipitur in magna temeritate: quo-„ niam ars est artium Regimen anima-„ rum. Quis autem Cogitationum vulne-„ ra occultiora esse nesciat vulneribus vi-„ scerum? & tamen sæpe, qui nequaquam „ spiritualia præcepta cognoverunt, cordis „ se Medicos profiteri non metuunt, qui „ pigmentorum vim nesciunt, videri Me-„ dici carnis erubescunt.

V. Sed quæres, quæ ergo scire oporteat eum, qui ad Episcopale officium est promovendus? Respond. ex septima Synodo Oecumenica Can. *omnes psallentes*, d. 38. ubi habetur: *omnes psallentes repromittimus Deo*, (in justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos Psalm. 118.) *quod omnes quidem Christianos observare saluberrimum est, sed præcipue hos, qui Hierarchicam consecuti sunt dignitatem. Unde definimus omnem*, &c. Ibi post pauca: quod promovendus ad Episcopatus gradum debeat legere, & legisse *scrutabiliter, & non transitorie tam sacros Canones, & sanctum Evangelium, quam divini Apostoli librum, & omnem divinam Scripturam, atque secundum mandata Dei* con-

conversari, *& docere populum sibi commissum; substantia enim summi Sacerdotii sunt eloquia divinitus tradita*. Atque hinc ibidem cavetur, ne hac doctrina, & lectione destituti ad Episcopalem dignitatem evehantur, secundum illud: *tu scientiam repulisti*, *& ego repellam te*, *ne Sacerdotio fungaris mihi*. Oseæ 4. Præterea ex Can. *hoc ipsum* 33. quæst. 2. clare colligitur, quod Episcopi debeant eminere, vel saltem pollere scientia Sacræ Scripturæ, & Canonum, quos *non electione proprii arbitrii Sancti Patres*, *sed potius ex sententia divini judicii sanxerunt*.

VI. Ex eodem respective capite quod Parochi, & Curati in sacræ Scripturæ & Canonum lectione, & doctrina versati esse debeant, aperte colligitur ex Canon. *ignorantia* d. 38. ubi ex Concil. Toletan. IV. cap. 24. habetur: „ Ignorantia, Mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt, Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas frequenter admonet Paulus Apostolus dicens 1. ad Timoth. 4. *attende lectioni*, *exhortationi*, *& Doctrinæ*, & ibidem inferius, *semper permane in his*: „ Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione, & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina. „ Unde bene eadem dist. Summus Pontifex Cœlestinus statuit, dicens: „ nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quidpiam facere, quod Patrum possit regulis obviare. „ Et demum optime in rem nostram scribit Siricius Papa Epist. 1. ad Himerium Tarraconens. cap. 15. inquiens: „ Statuta Sedis Apostolicæ, vel Canonum venerabilia definita, nulli Sacerdotum ignorare est liberum. „ Per Sacerdotes autem in præsenti potissimum intelliguntur Parochi, & Curati, quibus vi status, & ob necessitatem populi concrediti maxime incumbit sacras Scripturas intelligere, & Canones nosse, ut & suam utiliter, & maxime subditorum conscientias regere valeant; secus enim si sanctas Scripturas, canonesque non evolvant, intelligantque, timendum erit, ne in dirigendis conscientiis secundum suum, vel aliorum (Juniorum, hodie satis numerosorum) libitum procedant: si ita, *quæ a nobis res digne servabitur*, *si decretalium norma constitutorum*, *pro aliquorum libitu*, *licentia populis permissa*, *frangatur*? cit. Can. *nulli*.

VII. Sed, quæso, cur tantam ad sanctas Scripturas, & Canones confugiendi adstruimus necessitatem? aliud quippe hodie a non paucis practicatur, quibus sufficit unum, vel alterum ex Junioribus, utrinque, seu pro utraque parte contradictionis æque probabiliter, & pro praxi licet (ut ajunt) disputantem, manibus terere, ac in difficilioribus causis consulere; his tamen hanc laudem (si laus est) deferre debeo, quod saltem auctoritatem, & dicta Hieronymi, Augustini, Isidori, vel ceterorum similiter Sanctorum Doctorum relinquant intacta, ac in bona, & longæva pace quiescere. Commercium suum habentes & continuantes cum illis, qui libertatem contra præceptum sibi præfigunt, qui arctam, & angustam Cœli viam dilatant. Sed longe alia mens est Leonis IV. Epist. 2. ad Episcopos Britanniæ cap. 6. de libellis ubi ait: „ Magna voce pronuntiare non timeo, quia qui illa sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos canones prætitulantur, sive sit Episcopus, sive Clericus, sive Laicus, non indifferenter receperit, ipse convincit, nec Catholicam, & Apostolicam fidem, nec sancta vera Christi Evangelia quatuor utiliter & efficaciter, & ad effectum suum retinere, vel credere. „ Alia mens fuit ante Leonem IV. septimæ Synodi Oecumenicæ Can. 1. decernentis: „ His, qui sacram sortiti sunt dignitatem, testimonia, & decretiones Canonicarum præceptionum formæ consistunt. Quas libenter suscipientes cum Deiloquo David canimus ad Dominum: *in via testimoniorum tuorum delectatus sum*, *sicut in omnibus divitiis*. *Et mandasti justitiam testimonia tua in æternum*. Ps. 118. „ His ita se habentibus, exultantes in eis, sicut qui invenit spolia multa, divinos Canones amplectibiliter in pectore recondimus, & integram illorum præceptionem, ac immobilem tenemus: tum scilicet illorum, qui ab almis Apostolis, Sancti spiritus tubis, editi sunt, quam eorum, qui a sex Sanctis, & universalibus Synodis . . . promulgari sunt: necnon & eorum, qui a sanctis Patribus nostris prolati fuisse probantur. Ab uno enim, eodemque Spiritu illustrati definierunt, quæ expediunt. „ Alia tandem mens fuit Julii I. Epist. 1. ad Orientales scribentis: „ nolite errare, fratres mei dilectissimi; Doctrinis variis, & peregrinis nolite ab- „ duci.

„ duci. En instituta Apostolorum, & Apo-„ stolicorum virorum, Canonesque habetis: „ His fruimini, his circumdamini, ut his „ freti, circumdati, delectati, armati con-„ tra cuncta inimicorum jacula persistere „ valeatis.

VIII. Dixi supra num. 4. quod quarta conditio in promovendo ad beneficium sit scientia *proportionata*. Pro quo sciendum, quod hic considerari possit scientia eminens, & scientia competens, seu mediocris: quæ posterior nempe sufficiat, ad hoc, ut quis ob defectum litteraturæ non debeat excludi ab electione, seu assumptione ad officium. Utramque scientiam, eminentem scilicet & competentem declarat Innocentius IV. in cap. *cum in cunctis* de electione. & electi potestate, dicendo, quod scientia eminens sit illa, qua quis instructus *subtiles quæstiones discutere & definire novit, & in promptu responsiones habet*. Competenti vero, seu mediocri scientia illum dicit esse imbutum, *qui scit aliquomodo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere, & qui in libris veritatem eorum, quæ scire tenetur, scit quærere, etsi in promptu omnia non habet*. Jam licet Ecclesia eminentem litteraturam in promovendis ad Diœceseon, vel etiam Parochialium Ecclesiarum regimen vehementer optaret, competentem tamen in utrisque omni jure requirit. Atque hinc si quis esset, qui, ut beneficium quoddam, cui annexus esset Doctoris gradus, consequeretur, in aliqua Universitate sine debita scientia hunc gradum obtineret, talis certe non tantum graviter peccaret, ut graviter injurius piæ Matri Ecclesiæ, sed insuper beneficium hac ratione obtentum sub onere gravis obligationis teneretur deserere, nisi forte spes affulgeret, intra breve tempus comparandi scientiam tum beneficio necessariam, tum gradui Doctoris proportionatam; & ratio est, quia Concilia non sine gravi fundamento uni, vel alteri beneficio gradum Doctoratus annectunt; Cum proinde hoc grave fundamentum semper subsistat, qui promotionem taliter sine convenienti scientia affectat, & procurat, non potest non peccare; manifestum enim est, quod peccet, & in præsenti casu graviter, qui contra legem sciens, & volens non solum cum præjudicio proprio sed integræ Communitatis operatur; quia *certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*, Reg. Jur. 88. in Sext. Quod vero taliter ad beneficium promotus teneatur illud dimittere, videtur exinde abunde clarescere, quia similis beneficiarius vi collationis plus juris non fuit adeptus, quam omnino non graduatus, quia in neutro, h. e. nec in graduato, nec non graduato est debita, & conveniens scientia.

IX. Quinta conditio in beneficiando requisita est morum integritas. Hanc conditionem si pluribus promoveam, ægre nemo feret, dum aliud, teste conscientia, minime intendo, nisi quæ justa, quæ vera sunt. Vi hujus conditionis igitur illi deberent assumi „ ad Ecclesiarum regimen (onus quip-„ pe Angelicis humeris formidandum) qui „ maxime digni fuerint, quorumque prior „ vita, ac omnis ætas a puerilibus exordiis „ usque ad perfectiores annos, per discipli-„ næ stipendia Ecclesiasticæ laudabiliter acta, „ testimonium præbeat. „ Verba sunt Synodi Trident. Sess. 7. de Reformat. cap. 1. Idem expressius declarat eadem S. Synodus Sess. 22. de Reformat. capit. 1. inquiens: „ Quapropter sic decet omnino Clericos in „ sortem Domini vocatos, vitam, moresque „ que suos omnes componere, ut habitu, „ gestu, incessu, sermone, aliisque omni-„ bus rebus nihil nisi grave, moderatum, „ ac religione plenum præseferant; levia „ etiam delicta, quæ in ipsis maxima es-„ sent, effugiant, ut eorum actiones cun-„ ctis afferant venerationem.

X. Sed cur in ministris Ecclesiæ morum integritas tantopere exigitur? Respondeo, licet præcipue in ordine ad Sacerdotes, quia tamen & aliorum Ecclesiæ ministrorum munera ad sacerdotium de se primitus ordinantur, hinc in ordine ad omnes, dico, quia sunt *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo, per Jesum Christum* 1. Petr. 2. 9. vocitantur etiam frequenter in divinis litteris, *Angeli*: ait enim Malachias 2. *Angelus Domini exercituum est*. Et bene Angeli nominantur; quemadmodum enim Angelorum tria præcipua sunt munia, scilicet purgare, illuminare, & perficere, ut ait S. Dionysius in Cœlest. Hierar. ita & Ecclesiæ Ministrorum triplex est munus, quod *non homo, non Angelus, non Archangelus, non aliqua alia creatura, non virtus, sed ipse Spiritus sanctus instituit, atque adhuc manentes in carne ministerio fungi præstitit Angelorum*, ut optime loquitur maximus Græcæ Ecclesiæ Doctor Sanctus Chrysostomus l. 2. de Sacerdot.

XI.

XI. In clericis igitur requiritur 1. morum integritas, ut *purgent*, & mundent populum a vitiorum, & peccatorum labe: at ut proximum peccatorum cœno immersum quis erigat, & educat, erigentem *mundari prius oportet*, *tunc alios mundare: sapientem prius fieri*, *& sic alios facere sapientes*, *lumen fieri*, *& sic alios illuminare*, *ad Deum accedere*, *& sic alios ad Deum adducere: sanctificari*, *& alios sanctificare*, ut inquit S. Gregor. apud Veg. in cap. 2. Jud. & bene: si enim semetipsum prius a noxis non purgaverit, morumque integritate se non excoluerit, habet, quod audiat illa Sancti Pauli verba Rom. 2. 21. „ qui alium doces, teipsum non doces? „ qui prædicas, non furandum, furaris? „ qui dicis, non mœchandum, mœcharis? „ qui abominaris idola, sacrilegium facis? „ qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras? „ præterea si clericus, vel beneficiandus morum integritatem non prætetulerit, vere illi congruet Cœlestis Magistri parænesis: *medice, cura teipsum*. Dum nempe aliis mederi deberet, ipse vero interea vulneribus scatens, sibi nullam curam prius impendisse comprobaretur: adeo ut simili Clerico, morum integritate destituto jure merito acclamaretur, quod olim Sanctus Hieronymus Nepotiano sibi amicissimo, ut eum ab hac censura immunem faceret, adscripsit Epist. 3. de vita Cleric. dicens: non confundant „ opera tua sermonem tuum, ne cum in „ Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non „ facis? delicatus Magister est, qui pleno „ ventre de jejuniis disputat: accusare avaritiam & latro potest: sacerdotis Christi „ os, mens, manusque concordent. „ Ex quibus itaque concluditur, ad beneficium præsertim cum administratione promoveri volentem morum integritate debere splendescere.

XII. Alterum munus Ecclesiæ Ministrorum, præcipue tamen curam animarum, & superioritatem habentium est *illuminare*, sed qua luce, quo splendore? virtutis nempe, & Doctrinæ, & ex eo majori obligatione, quo sublimius, quo cum majori cura conjunctum est beneficium suscipiendum. Dicit enim Concilium Toletanum XI. Can. 2. „ quantum quis præcelsi „ culminis obtinet locum, tanto necesse est „ præcedat ceteros gratia meritorum, ut „ in eo, quod præsidet singulis, singulariter ornetur eminentia sanctitatis, habens „ semper in ore gladium veritatis; & in „ opere efficientiam luminis, ut juxta Paulum potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes arguere. „ Oportet nempe, quod minister Dei illuminet dicto, sed plus exemplo; nam *Doctor dicto & facto, verus Magister*, inquit Chrysostomus de S. Joann. Baptist. serm. 167. & bene: *quandoquidem sermo actione destitutus*, (ait Isidorus Pelus. l. 3. Epist. 202.) *non ultra aurem grassatur: qui autem ab actione animatus est*, *ut qui acris*, *& efficax*, *alte penetrat*, *animumque attingit: eam ob causam Deus sacerdotibus dixit*, *ut ad cor Jerusalem loquerentur*. *Nam qui ad aures verba faciunt*, *permulti quidem sunt*, *& sacerdotio indigni: qui autem ad cor*, *pauci omnino*. Quæro jam quomodo sacerdotes loquentur ad cor Jerusalem, nisi exemplo, nisi morum integritate? sed cur dicit S. Isidorus, quod, *qui ad aures verba faciunt*, *permulti quidem sint*; *qui autem ad cor*, *pauci omnino*. Respond. quod hæc dicat, innitens justæ Christi Domini querelæ apud Matth. 9. *Messis quidem multa*, *operarii autem pauci*. Non dicit incarnata veritas: sacerdotes, vel ministri Ecclesiæ pauci, sed *operarii pauci*; ingens siquidem hodie est multitudo sacerdotum, Doctorum, Prædicatorum, Clericorum, sed pauci tamen sunt operarii: quia pauci sunt, qui vita, & doctrina student saluti animarum: seu qui dicto & facto aliis in via Domini prælucent. A primo ergo ad ultimum ex his conclude, morum integritatem necessariam esse in beneficiando, ad hoc, ut illuminet.

XIII. Tertium denique munus Ecclesiæ Deique Ministrorum est *perficere*. Sed quid perficere? ut nimirum vigilent, sicut Apo„ stolus præcipit, in omnibus laborent, & „ ministerium suum impleant: implere au„ tem illud se nequaquam posse sciant, si„ greges sibi commissos mercenariorum mo„ re deferant, atque ovium suarum, quo„ rum sanguis de eorum est manibus a su„ premo judice requirendus, custodiæ mi„ nime incumbant: cum certissimum sit „ non admitti pastoris excusationem, si lu„ pus oves comedit, & pastor nescit. At „ nihilominus, . . . nonnulli (quod vehe„ menter dolendum est) hoc tempore re„ periuntur, qui propriæ etiam salutis im„ memores, terrenaque cœlestibus, ac di„ vinis humana præferentes in diversis cu„ ris

„ ris vagantur, aut in negotiorum tempo„ ralium sollicitudine, ovili derelicto, at„ que ovium sibi commissarum cura ne„ glecta, se detinent occupatos. Hactenus Concilium Trid. Sess. 6. de Reformat. cap. 1. requiritur nempe in beneficiando non tantum hæc morum integritas, ut se peccatorum sordibus purgare, aliis in bono, *Vita & doctrina*, seu dicto & facto prælucere allaborent, sed etiam ut vel maxime (loquor potissimum de promovendis ad beneficia animarum curam habentia) id prius secum firmiter decernant, nunquam non incumbere, ut gregem sibi commissum custodiant, ovile non derelinquant, sed quantum fieri potest, prætermissis aliis, sibi non convenientibus negotiis, semper, & ubique præsto sint. Ex hucusque ponderatis pro quinta conditione in beneficiando requisita optandum hodie est, & perquam optandum, ut nemo jam promotus ad beneficia, sive cum administratione, sive sine administratione *in morum integritate* deficiat, suoque beneficio indignus existat. At

XIV. Certum est, 1. quod in morum integritate deficiat, qui Horas Canonicas (ad quas secundum Leonem X. in Bulla 7. quæ incipit: *Supernæ dispositionis*, Pium V. in Bulla 135. quæ incipit: *Ex proximo*, S. Thomam Opusc. 65. cap. 1. „ Clerici „ constituti in sacris Ordinibus, sive ha„ beant beneficium, sive non: & omnes „ illi, qui percipiunt Ecclesiastica stipen„ dia, in quocunque ordine sint) „ qui, inquam, horas Canonicas ore duntaxat recitat, non corde; audiat enim hic talis Sanctum Chrysostomum homil. 20. in cap. 11. Genes. „ Si lingua quidem proferat ver„ ba, *inquit*, mens autem foris sit, sua „ tractans negotia, & imaginans, quæ in fo„ ro agantur, nulla nobis utilitas est, for„ tassis autem & major condemnatio,... „ propter hoc, & Paulus scribens dicebat: orantes in omni tempore, orate, & in spiritu, non lingua tantum: & cum perpetua vigilantia, sed & in spiritu; Spirituales enim sint vestræ petitiones, sobria sit ratio, & iis, quæ dicuntur, mens intendat. Sed & *audiant, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum*, Canon. *cantantes*, dist. 92. Concilium Trevirens. II. ann. 1549. Can. 6. *de horis Canonicis*, graviter in vocales Oratores animadvertens, cum decreto. „ Om„ nes, qui horis Canonicis persolvendis de„ putati sunt, dent operam, ut collectis „ animis, quoad fieri potest, debitum pen„ sum absolvant; nec ita se habeant, ut „ dum voce psallunt, quidvis potius, quam „ Deum animo cogitare videantur, semper „ caventes, ne propheticum illud audiant: *labiis quidem me honorant, cor autem eorum longe est a me.* „ Quid autem est vo„ ce quidem psallere, mente autem domum „ aut forum circuire, nisi homines fallere, „ & Deum irridere? grave admodum est, „ quod Scriptura dicit: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.* „ Versiculum „ animo volvant: *non clamans sed amans cantat in aure Dei;* „ audit enim ille vo„ cem cordis, sine qua sonos auris contem„ nit, ... articulate, distincte, diserte, „ & cum attentione, integre omnia pro„ nuntient ... districtius prohibemus, ne „ deambulando horas dicant, sed in locum „ aliquem orationi aptum tantisper conce„ dant, ne mentis evagatio, quæ tumul„ tuaria deambulatione nasci solet, fructum „ orationis intercipiat. „ Hactenus Concilium. Nec perperam sibi quis persuadeat, hic tantum sermonem esse de illis, qui choro adstricti Deum S. Psalmodia laudare tenentur; ratio enim, quæ pugnat pro uno, qui choro adstringitur, pariformiter pugnat pro omni eo, qui semel ad persolvendas horas Canonicas obligatur, ut colligitur aperte ex cit. Scripturæ textu, ac ex pluribus SS. Patribus, præsertim S. Hieronymo cit. Canon *cantantes* dist. 92. S. Basilio in Serm. *de institutione ad vitam perfectam, & de orando Deum*. Venerab. Beda sup. Matth. cap. 15. Cassian. Collat. 23. cap. 7. S. Thom. in 4. Sentent. dist. 15. quæst. 4. art. 2. ad 4. taceo plura alia Concilia, & SS. Doctores, de quibus citra negotium fieri posset mentio.

XV. Certum est secundo, quod in morum integritate deficiat, qui terrena cœlestibus, ac divinis humana anteponens, in negotiorum temporalium sollicitudine, diu noctuque sese occupans, detestabilem cupiditatem, ac avaritiam sectatur, tantam nempe morum integritatem hic talis præseferet, quantam olim Pharisæi, *qui erant avari*, Luc. 11. qui ob eandem causam non ad promovendum Dei cultum, sed ad corradendas pecunias potissimum ponebant studium, & sollicitudinem: atque hinc bene eosdem reprehendit benignissimus noster Salvator, Matth. 23. inquiens: *Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, &*

reli-

reliquistis, *quæ graviora sunt legis*, *judicium*, *& misericordiam*, *& fidem*. Unde Chrysostomus super Matth. homil. 40. in Sacerdotes avaritia plenos invehitur, siquis decimas alicujus rei minimæ non obtulisset, corripiebant eum, quasi magnum crimen fecisset. Si quis alterum lædebat, aut in Deum peccabat, non curabant eum corripere: de lucro autem suo solliciti, & de gloria Dei, ac salute hominum negligentes. Jam ad propositum veniendo, quis illum, vel illos Clericos, qui more Scribarum & Pharisæorum, *quæ sunt sua*, *quærunt* solertissime, ad minima usque, *non quæ Jesu Christi*, Philipp. 2. dum divinum cultum, hominumque salutem parvipendunt, immo postponunt; quis, inquam, illos Clericos morum integritate conspicuos suspiciat? deprecantur quidem quotidie Deum omnes ad horas Canonicas adstricti: *Inclina cor meum in testimonia tua*, *& non in avaritiam*, Psalm. 118. at si multi essent, qui ore hæc talia proferunt, non corde, quis illos Dei, & non potius diaboli ministros existimet? avaritiæ enim vitium diaboli opus est; „ diabolus enim, inquit Magi-
„ ster Angelicus, Joann. 2. l. 2. litt. d. in-
„ sidiatur his, quæ Dei sunt, & ea niti-
„ tur corrumpere. Inter cetera autem,
„ quibus sancta corrumpit, præcipuum est
„ vitium avaritiæ. Unde dicitur Isai. 56.
„ pastores omnes in viam suam declina-
„ runt, unusquisque ad avaritiam suam a
„ summo usque ad novissimum. Quod qui-
„ dem ab antiquis temporibus diabolus fe-
„ cit: nam Sacerdotes veteris testamenti,
„ qui instituti erant, ut divinis vacarent.
„ avaritiæ studebant, ut visum est. „ Stat ergo, morum integritate deesse illi sacro ministerio, cui dominatur *auri sacra fames*, cupiditas, & avaritia: stat, & illum non possidere morum integritatem, qui ab uno extremo ad alterum oppositum se transfert, nempe ab avaritia ad prodigalitatem, ad detestabilem luxum, qui Ecclesiasticos reditus prodigit in comessationibus, in usibus profanis, in vanitatibus: sed quoad hoc sat multis infra.

XVI. Certum est Tertio, quod in morum integritate deficiat, qui reproba conversatione se plusquam mundanum exhiberet, aliisque hoc ipso non ædificationi, sed scandalo non levi esset; sacerdotem enim, seu ministrum sacrum optime quis sit, comprobat, & distinguit conversatio: Nam *sicut stella in claritate*, inquit S. August. de bono viduitatis, *sic sacerdos differt a sacerdote in conversatione*. *Multorum siquidem est vocari sacerdotes*; *sed non est omnium esse sacerdotes*. Dixi, ministrum sacrum quis sit, optime comprobat, & distinguit conversatio; si enim qua quis oriundus sit patria, vel natione, loquela, & mores manifestum faciunt, quid mirum, si conversatio ministrum sacrum probet; quis sit; si enim ipsius conversatio *de terra* est, & ipse totus terrenus, vanus, mundanus erit, si conversatio *de cœlo* est, & ipse minister *sacer* omnino, & cœlestis erit. Faxit jam Deus, ut nullorum nostri ævi sacrorum ministrorum conversatio de terra sit. Sed quid sibi vult (liceat veritati, quod prohibet humanus respectus) quid sibi vult non paucorum hodie Ecclesiæ ministrorum familiaris adeo cum mundanis, & vanis societas? manum suam miserunt ad aratrum, ut fructum propriæ, alienæque salutis reportent, & ecce retro respiciunt; quos curare, quos sanare debuerant, scandalosa sua conversatione, veluti venenato oculo inficiunt, perimunt, perdunt. Hi tales vere *quod infirmum est*, *non consolidant*, *& quod ægrotum*, *non sanant*; *quod confractum est*, *non alligant*, *& quod abjectum est*, *non reducunt*, *& quod perierat*, *non quærunt*. Ezech. 34. De his vero redeunt lamenta, quæ Jeremias Propheta c. 2. de sacerdotibus coætaneis edixerat gemens: *sacerdotes non dixerunt: ubi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me*, *& pastores prævaricati sunt in me*. Conversantes nempe cum mundi, vanitatumque amatoribus, non dixerunt: ubi est Dominus, h. e. non quæsierunt Dominum, suam, aliorumque salutem; tenentes legem, nescierunt me, h. e. sciverunt voluntatem Dei, suam obligationem, quoniam *ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum*. Ezech. 34. Prævaricati sunt in me communicantes populi sceleribus, quæ arcere debuissent, & potuissent, ut nempe hodie dum veritati consentaneum remaneat: *& erit sicut populus*, *sic Sacerdos*. Osee 4. Liceat recensere Christi Domini lamenta contra Sacerdotes, ac omnes Ecclesiæ Ministros Sanctificatos, qui per licentiosam, dissolutamque cum utriusque sexus hominibus conversationem plus scandali, quam ædificationis seminant: sunt autem hæc lib. 1. Revelat. S. Birg. cap. 47. „ Ecce, tales
„ Sacerdotes non sunt, sed veri prodito-
„ res.

„ res. Ipsi enim & me vendunt quasi Judas, & produnt. Ego conspicio Paganos & Judæos, sed nullos video eis deteriores, quia ipsi Sacerdotes sunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer. Nunc etiam dico tibi judicium eorum, & cui similes sunt. Horum judicium est maledictio „. Plura hac de re vide ibidem cap. 48. 49. 55. & 56. & iterum lib. 4. cap. 32. quinimmo ibidem cap. 135. fatetur Christus eidem Sanctæ Birgittæ, sacros ministros male moratos, ac scandalose conversantes deteriores esse ipso diabolo, subindeque profundius præ ipsius dæmonibus in inferno submergendos, nisi resipuerint, dum tempus emendationis, & pœnitentiam suppetit: dicit enim: „ Ego voco eos quasi sponsus, omne quod possum facio eis: sed eo longius discedent, quo plus voco. Verba mea non placent eis, divitiæ meæ onerosæ sunt, dulcia verba mea quasi venenum abominantur. Curro post eos, monendo quasi pius pater, supportando quasi mitis Dominus, donis attrahendo, quasi bonus sponsus, sed ipsi eo magis avertunt se, quo plus voco. Tres amicos magis, quam me diligunt, id est mundum, & corpus, ideo tertius, id est diabolus recipiet eos, & nunquam dormitabit. Ideo væ eis, quod unquam Sacerdotes, & membra mea facti sunt, &c. „ Jam ex hactenus dictis hoc numero conclusio deducitur certa, in morum integritate deficere illum, qui reproba conversatione aliis scandalum parit, non ædificationem.

XVII. Certum est Quarto, quod ille vel maxime in morum integritate deficiat, qui dum se ministrum sacrum profitetur, non studet inviolabili castitatis observationi, dicit enim Innocentius Papa III. relatus in Canone *a multis* de ætate, & qualitate, & Ordinis præficiendorum: „ Erubescant impii, & intelligant, judicio Spiritus sancti, eos, qui sacris Ordinibus sunt positi; si caste non vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate; nemo ad sacrum Ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ castitatis existat „. Enim vero quam magnum, quam honorabile sit officium ministri sacri, & præsertim Sacerdotis, nemo est, qui ignoret, quid namque est, Dominum Majestatis verbis consecrare, (ut loquitur Thomas Theodidactus lib. 4. de Imitat. Christ. lib. 2. cap. 12.) labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, & ceteris ministrare? O! igitur, quam casti, incontaminati, mundi toti deberent esse Ministri sacri a ceteris populis segregati, ubique divino cultui destinati, & consecrati. O! quam immaculatum ab omni sorde oporteret esse cor Sacerdotum, quod intrare, inhabitare dignatur fons, & auctor puritatis: quam sanctum deberet esse os Sacerdotum, ex quo pariter nihil, nisi sanctum, nisi honestum, nisi utile deberet procedere. Quam puræ ab omni macula, ac in cœlum potius identidem elevatæ, quam ad terrena extensæ deberent esse illæ manus, quæ illum contrectant, quem cœli & terra non capiunt, qui nuspiam continetur, visibilium Creatorem. Quam simplices, pudici, ab omni vanitate, ne dicam obscœnitate, deberent esse oculi illi, qui toties, & tam propinque mundissimum, sub speciebus panis occultatum Christi corpus intuentur. Quid multis? *quo igitur non oporter* (verba sunt aurea aurei Oris hom. 60. ad Popul.) *esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem illa dividentem? os, quod igni spirituali repletur? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit?* Sed cur tanta puritas, & sanctitas a sacri Dei Ministris, & specialiter a sacerdoribus exigitur? Respondeo, si puritas & sanctitas a sacris ministris antiqui testamenti exigebatur, & quidem stricte, *eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separavi vos a ceteris populis, ut essetis mei*, Levit. 10. quanto majori jure id a novi testamenti sacris Ministris exigitur? rationes assignare, nihil esset nisi paulo ante dictas repetere; id enim sublimitatem, & dignitatem officii exigere, satis constat ex dictis hoc numero.

XVIII. Sed, quod perquam dolendum, *non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*, Matth. 19. nota bene, non dicitur, *non possunt capere*, sed *non capiunt*, quia verbum hoc proprio arbitrio, & potestati una cum Dei gratia, a Deo cuilibet postulanti præparata, & clementer oblata subjacet: illi ergo capiunt, quibus datum est, sed quibus datum est? *his datum est*, respondet S. Hieron. apud S. Thom. in cap. 19. Matth. litt. c. *qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt*. Et Chrysostom. super Matth. *Ideo ergo non omnes capere possunt, quia non omnes* vo-

volunt: palma proposita est, qui concupiscit gloriam, non cogitet de labore. Sic & Euthymius, *datum est*, inquit, *his qui petiverunt; petite*, ait, *& dabitur vobis, petentibus*, inquam, *non simpliciter, sed ferventer, & perseveranter, & ut semel dicam, sicut oportet*. Sed jam utinam non essent aliqui, & forsan multi, qui verbum hoc capere quidem possent, sed quia non volunt, quia non petunt, non capiunt: pollent equidem omni nitere puritate corporis, ac animi, essegue vasa pretiosa, & aurea in honorem Dei; malunt tamen esse vasa testacea in contumeliam, impura, plenaque immunditiis, non sine ingenti sacri ministerii, dignitatisque sacerdotalis dedecore. Hi certe eandem maculam, ac vel inde desolationem afferunt Sanctæ Matri Ecclesiæ, quam quondam Ruben, Clericorum minus pudicorum figuram (exponente S. Thom. in Apoc. 14.) Israeli intulerat: *Ruben* namque Genes. 49. *primogenitus meus tu fortitudo mea, & principium doloris mei. Prior in donis, major in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus*. De quolibet Clerico minus pudico cum luctu fatetur Ecclesia, quod sit *primogenitus*, ante alios electus, *fortitudo* per quam sustentari deberet ædificium Ecclesiasticum *prior in donis*, quia sicut nullum est majus officium in universo, quam officium Ministri sacri, jam vero secundum dignitatem officii conferuntur dona, & gratiæ, ut patet in beatissima Virgine, Dei Genitrice Maria, ab inde Majoribus donis præ aliis Creaturis omnibus condecorata, quia fuit ad excellentissimum officium evecta. *Major in imperio*, quia in subjecta sublimiora hoc exercet, nempe in animas; immo major in imperio, seu potestate, quia hanc habet in Corpus Christi verum, & mysticum. Exinde recte subjicitur maledictio, quia non obstantibus tam sublimi officio, tanta dignitate, tot donis, immunditiis Ecclesiam profanaverunt. *Væ*! similibus *Pastoribus Israel*, & væ æternum, Ezech. 34. sed merito, ut ibi suas spurcitias sive solitarie, sive commixtim perpetratas luant, licet nunquam abluturi, ubi est *pro odore suavi fœtor*: Isai. 3. & *de cadaveribus eorum ascendet fœtor*, ibid. 34. & erit *ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*, Psalm. 147. hic enim *Christi bonus odor*, 2. Cor. 2. per odoramenta virtutum, & præcipue castitatis effici recusant, quinimmo si liceret hodie cum Propheta *fodere parietem* h. e. multorum Clericorum cordis penetralia, & conscientias perlustrare, & inspicere, quid aliud sæpe, proh dolor! se videndum offerret, quam quod vidit Ezech. 8. *& ingressus vidi, & ecce omnes similitudo reptilium, & animalium, abominatio, & universa idola domus Israel depicta erant in pariete*. Idola nempe, quæ Regum Sapientissimi Salomonis cor depravarunt, & ideo *polluerunt Sanctuarium meum & Sabbata mea profanaverunt*. Ezech. 23. Ex his itaque modo discussis reliquum præcipue id unum est, ut semper sit in desiderio, & affectu, & effectu potestatem habentium, quod in principio tertii Decretalium dicitur apud Dionysium Carthus. art. 5. de Christian. nimirum *ut Clericorum actus, & mores in melius reformentur, continenter, & caste vivere studeant universi, præsertim in sacris Ordinibus, ab omni libidinis vitio præcaventes, quatenus in conspectu omnipotentis Dei, puro corde, & casto corpore valeant ministrare*. Et hæc sunt quæ superius num. 9. promisi circa *morum integritatem*, quintam nempe in beneficiando conditionem requisitam, pluribus promovere, tum ut quivis ad beneficium Ecclesiasticum aspirans de morum integritate seipsum probet, tum ut jam promotus perspiciat, an beneficio, quod possidet, vel ordinibus, quibus est initiatus, dignus existat.

QUÆSTIO III.

Quænam debeat esse intentio promovendi: & quæ sit obligatio ad Beneficium Ecclesiasticum promoventis?

Certum est, quod quicunque promovet, vel promovetur ad Beneficium Ecclesiasticum, aliud spectare, vel intendere non debeat, quam majorem Dei cultum & honorem, Ecclesiæ utilitatem, propriam, aliorumque salutem: circa promoventem ergo, & circa promovendum hic plura veniunt consideranda, vel quærenda. Percontaberis itaque primo, quænam intentio requiratur in suscipiente beneficium?

I. Respond. & dico: Intentionem in suscipiente beneficium debere esse, ut suscipiens *Deo fidelem cultum præstet*, prout loquitur Concilium Tridentin. Sess. 23. de Re-

Reformat. cap. 4. Ecclesiæ utilitatem, suam, aliorumque salutem promoveat; atque adeo quicunque beneficia Ecclesiastica honoris, & redituum temporalium intuitu, vel vitæ mollioris, otiosæ & voluptuosæ affectu suscipiunt, vel ambiunt, non solum a Deo non sunt vocati, sed etiam mortaliter peccant, unde in hoc sensu minime licet beneficia Ecclesiastica desiderare. Prima pars probata manet ex stabilienda secunda parte dicendi. Videndum ergo est, quid pro hac parte loquantur SS. Patres, & Concilia.

II. Concilium Bituricense anno Christi 1536. tit. 25. Can. 1. dicit: „ Cum beneficium Ecclesiasticum non otiosis, sed „ officium suum exequentibus sit constitu„ tum, & propter officium detur benefi„ cium, denuntiat hæc Synodus omnibus „ cujuscunque gradus & conditionis, qui „ beneficia Ecclesiastica solius temporalis „ proventus gratia suscipiunt, eos non fa„ cere fructus suos, sed ad restitutionem „ teneri „. Unde Sess. 25. cap. 1. de Reformat. „ Optandum est, *inquit*, ut ii, „ qui Episcopale ministerium suscipiunt, „ quæ suæ sint partes, agnoscant: ac se „ non ad propria commoda, non ad divi„ tias, aut luxum, sed ad labores, & sol„ licitudines pro Dei gloria vocatos esse „ intelligant: nec enim dubitandum est, „ & fideles reliquos ad religionem, inno„ centiamque facilius inflammandos, si „ Præpositos suos viderint non ea, quæ „ mundi sunt, sed animarum salutem, ac „ cœlestem patriam cogitantes „. Porro quod Concilium loquitur de Episcopis, hoc de omnibus beneficiariis ob rationis paritatem debet intelligi.

III. Hinc etiam Leo, & Anthemius Imperatores, *l. si quemquam* 31. Cod. tit. *de Episcopis, & Clericis*, de Episcopo eligendo sic decernunt: „ Castus, & humilis „ nostris temporibus eligatur Episcopus, „ ut quocunque locorum pervenerit, omnia „ vitæ integritate purificet. Nec pretio, „ sed precibus ordinetur Antistes. Tan„ tum ab ambitu debet esse sepositus, ut „ quæratur cogendus, rogatus decedat, in„ vitatus effugiat: sola illi suffragetur ne„ cessitas excusandi. Profecto enim indi„ gnus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus „ invitus „. Hinc iterum Athalaricus Rex apud Cassiodorum lib. 9. *variarum* Epist. 15. sic Patriarchas alloquitur: *iniquum est, ut locum apud vos habeat ambitus, quem nos Laicis divina consideratione præclusimus*. Sed a piis Christianis Principibus ad sanctos Patres, sanctosque Doctores convertamur: qui omnes unanimiter illum Episcopatu, vel alio beneficio Ecclesiastico, animarum curam habente dignum censuerunt, qui quæritur, & non quærit cum beneficio honores, divitias, molliorem vitam, &c. Unde S. Hieronymus Epist. ad Heliodorum loquens de Nepotiano Sacerdotium recusante, inquit: *Quanto magis recusabat, tanto magis in se studia omnium concitabat, & merebatur negando, quod esse nolebat: eoque dignior erat, quanto magis se clamabat indignum*. Et S. Cyprianus Epist. 52. de Cornelio ita asseverat: *Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec ut ceteri, quos arrogantiæ, ac superbiæ tumor inflat, invasit, sed quietus & modestus, & quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ, ac pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non vim fecit ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus acciperet*. S. Joann. Chrysost. homil. 3. in Act. Apostolor. præclare disserit: „ Cogita quid acciderit Simoni. „ Quid enim refert, si non das pecuniam, „ si pecuniæ loco adularis, subornas, „ multaque machinaris? pecunia tua sit „ tecum in perditionem, ad illum dictum „ est; & his dicetur: ambitio tua sit te„ cum in perditionem, quoniam putasti „ ambitu humano parari donum Dei „. Eadem mens est S. Gregorii Papæ l. 7. Epist. 110. scribentis: „ Sicut is, qui in„ vitatus renuit, quæsitus refugit, sacris „ est Altaribus admovendus, sic qui ultro „ ambit, vel importune se ingerit, pro„ cul dubio est repellendus. Nam qui sic „ nititur ad altiora conscendere, quid „ agit, nisi ut crescendo decrescat, & „ ascendendo exterius, interius ad profun„ da descendat?

IV. Doctor Angelicus pro nobis se declarat quodl. 9. art. 15. inquiens: „ Si „ aliquis hac intentione plura beneficia „ habeat, ut sit ditior, ut lautius vivat, „ ut facilius ad Episcopatum perveniat in „ aliqua Ecclesiarum, ubi est præbenda„ tus, non tolluntur prædictæ deformita„ tes, sed augentur, quia cum tali inten„ tione & unum beneficium habere, quod „ nullam inordinationem importat, esset „ illicitum „. Idem habet 2. 2. q. 110. art.

art. 5. ad 2. dicens. „ Si aliquis pro se „ rogat, ut obtineat curam animarum, ex „ ipsa præsumptione redditur indignus, & „ sic preces sunt pro indigno „. S. Antoninus, p. 2. summ. tit. 3. c. 5. §. 4. ait: „ Quærere, & appetere hujusmodi curata „ principaliter propter honores & divitias, „ quæ inde sequuntur hominibus, videtur „ esse mortale: & ratio est, quia est contra „ ordinem caritatis. Nam non solum „ dilectio Dei & proximi est in præcepto, „ sed etiam ipse ordo dilectionis; est autem „ de ordine dilectionis, ut diligatur „ prius salus animarum, quam corporum: „ sed hunc ordinem talis pervertit, præferens „ temporalia, quæ ordinantur ad „ corpus, scilicet divitias & honorem, saluti „ animarum, quæ exercetur per curam „. Tandem in Clericos beneficia cum tali intentione ambientes juste exardescit Dionysius Carthus. libr. contr. pluralit. Beneficior. cap. 15. inquiens: „ Qui „ Ecclesiastica beneficia optant, quærunt, „ impetrant, suscipiunt, non intuitu spiritualis „ boni, puta divini officii, ut scilicet „ competentiam habentes, Deo devotius, „ quietiusque ministrent, sed intuitu „ commodi temporalis, isti sunt subversores „ rectissimi ordinis rerum, atque „ in temporalibus finem sibi constituunt, „ idcirco mortaliter peccant, etiam unicum „ beneficium competens taliter cupiendo, „ obtinendo, habendo. Tales „ omnes, qui amore temporalium divitiarum, „ aut carnalium delitiarum, seu transitoriorum „ bonorum, Ecclesiastica beneficia „ quærunt, procurant, seu habent „. Atque hinc sane optandum esset, ut monente S. Carolo in Concilio Mediolanens. II. *A Clero evellatur, & extirpetur prava illa bonorum temporalium cupiditas, & illicitus beneficiorum Ecclesiasticorum ambitus.*

V. Ex hactenus allatis SS. Patrum, Doctorumque textibus nemini non innotescit, periculosum, immo lethaliter peccaminosum esse, aliud in beneficiis Ecclesiasticis spectare, quam Dei cultum, Ecclesiæ utilitatem, suam, aliorumque salutem. Et ratio est, quam jam attuli num. præced. ex D. Antonin. quia quicumque agit contra ordinem caritatis in materia gravi, mortaliter peccat; sed quicunque aliud, quam prædictos fines in beneficiis Ecclesiasticis respicit, agit contra ordinem caritatis: ergo talis mortaliter peccat. Maj. patet, quia cum finis præcepti sit caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, qui agit contra ordinem caritatis, hujus cor purum, conscientia bona, & fides vera esse non potest; quomodo enim purum erit cor, quod in terra volutatur? quomodo mundum erit cor illius, qui operatur, ut terrenum commodum nanciscatur? quomodo simplex erit cor, in quo contraria deberent misceri; *Sordescit enim aliquid* (verba sunt S. Augustini lib. 2. de Serm. Domini in Mont. cap. 13.) *cum inferiori natura miscetur, quamvis in suo genere non sordida; quia etiam de puro argento sordidatur aurum, si misceatur; ita & animus noster terrenorum cupiditate sordescit.* Quinimmo qui agit contra ordinem caritatis, duplex sibi cor facit, unum quidem, quod intuitu beneficii adhuc vellet inclinare in testimonia Dei ad consulendum proximo, alterum vero, quod vellet, immo de facto vult, & inclinat in proprium commodum & emolumentum; jam vero quemadmodum impossibile est servire Deo & Mammonæ, ita impossibile est, ut Clericus in beneficio alios præfigens fines, quam memoratos, non peccet; quia dum semel Mammonæ servire intendit, *intentio appetitu rerum temporalium inquinatur*, verba sunt iterum Sancti Augustini loc. citat. & ideo *ipsum quoque opus ea intentione susceptum sordescit*. *Minor* vero supra facta pariter constat; seu quod, quicunque aliud, quam præfatos fines in beneficiis Ecclesiasticis respicit, agat contra ordinem caritatis, quia ut ageret secundum ordinem caritatis, deberet agere, seu diligere dilectione ordinata & a Domino præcepta: ordinata autem, & a Domino præcepta dilectio est, ut non diligamus propter necessitatem præsentis vitæ, seu propter temporale commodum nostrum, sed ut diligamus propter Deum, propter nostram, aliorumque salutem. Restat ergo ex dictis, neminem beneficia Ecclesiastica citra peccati mortalis noxam, honoris, vel redituum temporalium, vel commodioris, seu mollioris vitæ intuitu posse ambire, promoveri, vel promotum possessionem, utut pacificam, continuare: digne tamen promovebitur, promotusque possessionem continuabit, qui Dei cultum, Ecclesiæ emolumentum, suam, aliorumque salutem unice spectat; hic enim sibi sumet honorem, utpote vocatus a Deo tanquam Aaron.

VI. Ergo qui vocatur a Deo tanquam Aaron, sibi sumit honorem, Ecclesiasti-

cam nempe dignitatem, majorem, vel minorem? Ita est: & utinam nemo susciperet, retineretque beneficium absque vocatione! a Deo enim tanquam Aaron vocatus non est, qui memor suæ incapacitatis, beneficium cum cura animarum adit, retinetque; ardua quippe res est, alios gubernare, ac ad cœlum manuducere; immo, ut bene docet Sanctus Gregorius Nazianzenus: „ Revera mihi videtur esse ars „ artium, & disciplinarum regere homi„ nes, qui inter omnia animantia sunt ma„ xime moribus varii, & voluntate diver„ si „. Quomodo jam artem artium, & disciplinam disciplinarum profitebitur, qui suam praenoscit incapacitatem? „ Nulla „ *enim* ars doceri præsumatur, (inquit S. „ Gregorius in Pastoral.) nisi prius inten„ ta meditatione discatur. Ab imperitis „ ergo Pastorale officium qua temeritate „ suscipitur, quando ars est artium regi„ men animarum? quis enim cordium vul„ nera occultiora esse nesciat vulneribus „ corporum? & tamen sæpe indigni, & „ imperiti, animarum se medicos profiteri „ non metuunt, qui dum per speciem re„ giminis gloriam affectant honoris, & „ ceteros transcendere concupiscunt, pasto„ ralis officii debitum exercere tanto plus „ nequeunt, quanto ad hoc ipsum humi„ litatis magisterium ex elatione perve„ nerunt.

VII. De his merito Dominus conqueritur apud Oseam 8. Quod *ipsi regnaverunt, & non ex me*. Ex se namque, & non ex Deo regnant, qui ex sanguinibus, ex voluntate carnis, ex voluntate viri, & non ex Deo nati, & vocati sunt. Quid mirum, si cum tali non ex Deo, sed ex hominibus orto regimine Medici spiritualis conjungatur imperitia? ex amara quippe radice carnis & sanguinis unquid animarum prodit medicina salubris? Et tamen, utinam nostra tempestas non numeraret plures: quos non virtus & doctrina, sed caro & sanguis ad animarum regimen, ad culmen honoris promovent, & quidem subinde prius, quo amplius dolendum, quam noverint sui exercere regimen, & dominium, ne dicam aliorum.

VIII. Aaron necessitate tractus est, & tamen periculum non evitavit: Moyses crebra sustinuit discrimina, qui regimen sæpe recusaverat: etiam Saul regimen recusaverat, & tamen Regnum male postmodum administravit; jam vero quot sunt, qui oblatum animarum regimen recusent? sunt pauci, plures sunt, qui non recusant, immo nec possunt pro tempore promotionis recusare, dum jam prius subinde promoventur, & incipiunt esse Ecclesiæ ministri, quam desierint esse pueri. Hic mihi modo scire percuperem seriem vocationis hujuscemodi, an hæc talis vocatio ortum ducat ex revelatione Patris, qui in cœlis est, an ex revelatione carnis & sanguinis? Sed quid hæreo, posterius indubitatum est: numerat, verbi gratia, non nemo parens nobilioris status tres filios, jam primogenitus in successorem destinatur: secundogenitus forsan militiæ adscribitur; tertius tandem qualisqualis sit, Ecclesiæ deputatur: sed ubi vocatio? an quia pater terrenus sic ordinat, quia consanguinei pro promotione laborant, jam Spiritus sanctus vocavit, vel vocat? an deinde taliter promotus artem artium, ut est regimen animarum, profitebitur, antequam didicit?

IX. Ubi autem didicit? inter delicias, vanitates, conversationes cum quolibet sexu? indignum nemo non judicaret, ut quispiam terreni Regis occuparet ministeria, dispensaret negotia, qui nunquam didicisset artem obeundi ministeria, dispensandi negotia: & dignus credetur ad officium excellentius, difficilius, & periculo proprio & alieno vicinius, ut est animarum regimen, qui hanc disciplinam disciplinarum nunquam didicit? manet proinde incapax ad beneficium cum animarum cura connexum, & vel inde a Deo vocatus non est tanquam Aaron. Quod si igitur Clericus *non vocatus* ob incapacitatem ad animarum regimen beneficium suscipiat, susceptumque retineat, metuendum erit, ne verificetur in similibus Clericis illud, quod scripsit Dionysius Carthusianus libr. contr. ambit. artic. 9. de Principatum Ecclesiasticum ambientibus. Dicit autem ibidem: „ Ex pravitate, carnalitate, & ne„ gligentia ambitiosorum Prælatorum, omnia „ oriuntur mala Ecclesiæ, dicente S. Ber„ nardo: Inde est, quod illa, videlicet „ Christi Sponsa Ecclesia, pauper, & inops, „ ac nuda relinquitur, facie miseranda, „ inculta, hispida, & exanguis. Propte„ rea non est hoc tempore ornare sponsam „ sed spoliare; non custodire, sed perdere: „ non instruere, sed prostituere: non pa„ scere, sed mactare, & devorare, dicen„ te de illis Domino: qui devorant ple„ bem meam ut cibum panis.

X. Se-

X. Secundo a Deo tanquam Aaron vocati non sunt, qui fraudulenter, & subdole cum injuria Ordinarii Collatoris in se beneficia Ecclesiastica intrudunt: res patebit in casu: sit v. gr. Petrus Parochus, vel Canonicus jamjam senio confectus, morti, & æternitati propinquus, qui beneficium aliquod suscipit, non ut illius partes expleat, cum, ut in casu ponitur, jamjam supponatur inhabilis, sed ideo beneficium suscipit, ut aliud locupletius, commodius, aut illustrius, quod ante possederat, in suum cognatum, verb. grat. aut nepotem, vel alium quemcunque transferat; hic enim nec transferens, nec translatarius a Deo vocatus est tanquam Aaron: non transferens, quia beneficium datur propter officium, quod noviter susceptum in casu posito transferens, nec implere vult, nec valet: sed nec translatarius a Deo vocatus est tanquam Aaron, quia translatio hæc *fraudulentæ* permutationis commento, & vitio immunis non est, at nemini fraus debet patrocinari, præsertim cum injuria tertii, quæ in casu fit, & irrogatur Ordinario Collatori.

XI. Tertio a Deo tanquam Aaron vocati non sunt, qui beneficia Ecclesiastica cum aliis permutant, non ut Ecclesiæ necessitati, vel utilitati magis consulant, sed ut rem familiarem augeant, consanguineos ad illustriorem statum, & conditionem extollant, verbo, ut aliquod commodum temporale primario vel sibi, vel necessitudine junctis, vel etiam aliis consequantur. Quarto a Deo tanquam Aaron vocati non sunt; qui beneficia curata suscipiunt, vel tantum petunt, cum proposito tamen in illis non ministrandi. Id enim injuriosum est Ecclesiæ, & ovibus commissis, pastoris namque est oves suas cognoscere, & ut loquitur Apostolus, in omnibus laborare, & ministerium suum implere. Implere autem illud se nequaquam posse sciant, loquitur cit. Concilium Tridentinum Sess. 6. de Reformat. capit. 1. Si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo Judice requirendus, custodiæ minime incumbant.

XII. Quinto a Deo vocati non sunt beneficiorum aucupes, seu devolutorii: sit casus, Petrus quia vehementer affectat Ecclesiam Parochialem N. cujus regimen exercet Paulus, undique eidem insidiatur, hoc est attendit omnes gressus, facta, & dicta, ut Paulum ob commentitiam incapacitatem in jus vocet, adversumque eum litem moveat; si proinde Paulus ex pacifica Ecclesiæ Parochialis possessione injuste exturbetur, Petrusque succedat, a Deo vocatus non est. Quinimmo nec tunc vocatus esset, si Pauli incapacitas quidem revera foret a parte rei, si tamen Petrus eum in jus vocaret (non ob Dei gloriam, Ecclesiæ morem, sed ex solius ambitionis, & avaritiæ impulsu, privatique commodi causa) atque sic ex possessione dejiceret, a Deo vocatus non est. Vocati denique sexto non sunt beneficiorum nundinatores, qui nescio quas adulterinas beneficii cum beneficio permutationes facere non erubescunt, certe non sine labe Simoniæ palliatæ. Sed neque illi vocati sunt, qui sua beneficia aliis resignant, resignationes per plures annos celant non sine detrimento Collatorum, tacendo, quod sic fraudulenter agendo infringant legem Ecclesiæ, seu Regulam Cancellariæ Apostolicæ *de publicandis resignationibus*.

XIII. Sed contra secundam partem dicendi insurges 1. & argues: quicunque bonum opus desiderat, falsum est, quod illicitum faciat, minus quod mortaliter delinquat: sed qui beneficium, vel dignitatem Ecclesiasticam desiderat, bonum opus desiderat, ergo falsum est, quod illicitum agat: minus mortaliter peccet. Maj. est certa, min. prob. ex Apostoli sententia 1. ad Timoth. 3. *Si quis Episcopatum desiderat, &c.* Confirmatur: status Episcoporum est perfectior statu Religiosorum, atqui licet desiderare, & appetere statum Religiosorum, tanquam opus bonum, ergo & licet desiderare statum Episcoporum, tanquam opus perfectum.

XIV. Resp. Conc. Maj. dist. min. cui beneficium, vel dignitatem Ecclesiasticam *ut actionem plebi utilem* desiderat, bonum opus desiderat c. ut præcise gradum superiorem n. m. & Cons. Ex hac Respons. exponendus modo est Apostoli textus in probat. allatus secundum Sanctæ Matris Ecclesiæ mentem, cujus est de vero sacrarum Scripturarum sensu judicare: in Episcopo igitur (de quo potissimum in præsenti sermo est) duo secundum datam distinctionem sunt consideranda, scilicet gradus superior, & actio plebi utilis. Sunt jam, qui oculum projiciunt ad gradum superiorem qua talem, considerantes ea, quæ gradui superiori circumstant, & conjuncta sunt, digni-

dignitatem videlicet, honorem, & divitias, in quantum qui præest, honoratur, & potestatem in subditos exercet, & de his Episcopatum desiderantibus falsum est, quod bonum opus desiderent, cum minus bonum desiderium habeant. Actio igitur plebi utilis objectum est memorati desiderii, scilicet labor pro gloria Dei, Ecclesiæ utilitate, persecutiones, Cruces, Martyrium pro commissis ovibus, & sub hac ratione dicit Apostolus, quod qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, non tamen dicit, quod bonum desiderium habeat; desiderare enim, vel postulare, sive per se, sive per alios semper indecens est, & illicitum: nemo enim, ut sæpius dicebam supra ex Apostolo, sibi sumit honorem, *sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*. Unde dicit Gloss. apud D. Thom. in Commentario Epist. 1. ad Timoth. *Locus superior, sine quo regi non potest populus, & si teneatur, & administretur decenter, tamen indecenter appetitur*. Et ratio est, quia nullus decenter potest appetere aliquid viribus suis non proportionatum, alias de illorum numero erit quorum dicit Sapiens infinitum esse numerum; manet ergo, quod ille possit Episcopatum desiderare, cujus vires oneri Episcopali ferendo proportionatæ, & pares sunt: quis vero jam est, qui hanc de se proportionem, & idoneitatem sine maxima superbia præsumat? sicut enim Prælatus, & quidem talis alios gradu & excellentia antecellit, ita & in conversatione, contemplatione, morum, vitæque integritate alios omnes longe debet antecedere, ergo præsumptio, & superbia est Episcopatum quocunque sub prætextu appetere.

XV. Qua de re præclarissime disserit, nostramque doctrinam apprime confirmat S. Isidorus Pelusiota Epist. 229. lib. 4. ad Palladium Diacon. data, inquit autem:

„ Quoniam non perspexisti mentem Apostolicam, quæ scripto velut cortice occultatur, sed ipsum duntaxat scriptum contemplatus, sursum atque deorsum jactas & volutas: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus concupiscit*: Proinde quasi oporteat tale imperium adamare, tametsi non desunt argumenta, quibus ostendam; non sic locutum esse Apostolum, quomodo tu accipis: tamen concedam ita esse, idque evertam. Si enim ita dixerit ille ejusmodi aliquid: tu vero quam ob causam ignorans vires tuas, & ne teipsum quidem regere valens, talem adamas Principatum, qui Regno quoque ipso non solum est sublimior, sed etiam laboriosior? & quare existimas potestatem hanc esse rationibus nullis reddendis obnoxiam, ac non potius rationibus obnoxiam Ministerii functionem? sed quamvis tu omnem transcendas audaciæ furorem, ego quoque insanirem, si non cum me ostenderem, qui tantum malum curare conetur. Mihi enim est admodum formidabile illud dictum: *Si quis Episcopatum desiderat, &c.* Et funditus ipsam quoque concutit animam; magnitudinem namque hujus sacri Principatus indicat. Quod si dixeris, quomodo? Respondebo, quia non ausus est præcipere, ac nequidem cohortari, atque suadere, ut quis Episcopatum appetat. Neque enim dixit: unusquisque Episcopatum desideret, recte facit. Tunc enim fortassis aliqui eodem amore ejus rei, quo tu, capti fuissent: sed in medio relinquens suspensum Sacerdotii desiderium, neque instigat ad id quemquam, ne indignos excitet ad capessendam rem perdifficilem, quæque omnem superat Reipublicæ administrationem, & dignitatem: neque ab eo arcet quemquam, ne id, quod omni Regno majus est, fugiendum proponat. Verum in suspenso, ut dixi, relinquens exhortationem, & unumquemque ingenii sui æstimatorem, ac judicem constituens, ipse neque expetere, neque fugere præcipit. Tantum non clamans, & oculis, & superciliis, & toto vultu ad gravitatem composito, timoris salutaris stimulos audientium animis injiciens: equidem ego rem, a divino dependentem calculo, atque arbitrio electionis, hominum cupiditatibus non expono. Moneo autem, atque obtestor, quicunque hanc rem expetit, is noverit, se rem minime vulgarem, aut levem desiderare. Ministerii enim, non autem remissionis, ac desidiæ significationem habet Episcopatus ipsum vocabulum. Quod si fidem dictis hisce non habes, sequentia legens mentem nostram probe assequeris. Oportet enim Episcopum omnibus ornatum esse virtutibus, & alienas calamitates proprias, ac suas existimare. Non enim sibi ipsi, sed subditis vivit, & a sexcentis oculis, ac linguis vita ejus examinatur.

Quam quidem sat longam, sed auream doctrinam hic attexuisse, nemo ægre feret, qui & genuinam Apostoli mentem, & qualis

lis olim Epiſcopus fuiſſe debuerit, & adhuc hodie eſſe debeat, noſſe cupit.

XVI. Inſurges 2. & argues: eo modo data doctrina, ſequi quidem, quod Epiſcopatum deſiderare aliter, quam modo præfertur, mortaliter ſit peccaminoſum: tum quia Epiſcopatui longe major cura annexa eſt, & aliquando ratio reddenda: tum quia ſtatus Epiſcopalis eſt ſtatus perfectionis; nemo autem niſi præſumptuoſe ſe ſtatum perfectionis attigiſſe, ſibi imaginatur: quod tamen imaginari ſibi deberet, qui Epiſcopatum aliter, quam ut præfertur, deſiderat; at vero quemadmodum neutra ratio ſe immediate extendit ad reliquos beneficiarios Curatos, ita nec extendi debet hæc doctrina, quod ſtatim mortalis peccati ſe reos faciant, quærendo, vel pro ſe poſtulando beneficium Curatum. Sed contra eſt, quod ex mente SS. Patrum eadem utrobique pugnat ratio, unde, quod in uno eſt illicitum, etiam in altero illicitum eſſe debet, & quidem ſub eodem reatu. Dicit ergo indiſcriminatim S. Greg. Mag. lib. 7. Epiſt. 100. de *quocunque* ambiente, vel ſe ingerente ad beneficium Eccleſiaſticum quod *ſicut is, qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt Altaribus admovendus, ſic qui ultro ambit, vel importune ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid agit, niſi ut creſcendo decreſcat, & aſcendendo exterius, interius ad profunda deſcendat?* 1. quæſt. 6. Quis autem eſt repellendus, vel quis interius ad profunda deſcendit, niſi qui lethalis peccati reus exiſtit? & iterum: *Principatus, quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupavit, etiamſi moribus atque actibus non offendit, ipſius tamen initii ſui eſt pernicioſus exemplo. Et difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio* 1. q. 1. Quod autem in re gravi ab initio pernicioſum eſt, quomodo gravi peccato carebit?

XVII. Sed clariſſime rei veritatem ex S. Antonin. colligo, part. 2. tit. 3. cap. 5. §. 4. Ubi ait, quod *contrarium* (h. e. noſtra Sententia) *videtur eſſe veritas. Quia ubi eſt eadem ratio, ibi & idem jus. Nam de ſimilibus idem eſt judicium* (D. 5. ad jus) *ſed ratio, quare eſt illicitus, & mortalis appetitus Epiſcopatus, eſt propter curam, quam habet annexam; quia præſumtuoſum nimis eſt, ut quis ſe reputet idoneum ad regendum animas aliorum: ſed eadem ratio eſt in quolibet prædictorum*, h. e. Archidiaconatu, Decanatu, Præpoſitura, vel Eccleſia Parochiali; *quia omnibus cura eſt annexa, nec differunt ab Epiſcopatu, niſi ſecundum majus, & minus; quia Epiſcopatus habet curam Univerſalem ſuæ Diœceſis, ſed in prædictis officiis conſtituti curam partialem; talia autem non diverſificant ſpeciem, ſed quantitatem peccati: ſicut appetere furari unum florenum, eſt ejuſdem ſpeciei cum appetitu furandi mille, licet ſecundum ſit gravius peccatum propter majus nocumentum intentum. Sic in propoſito major utique præſumptio, & ambitio tanto eſt, quanto major cura, & major gradus eſt annexus dignitate, vel beneficio, quod appetitur: tamen utrobique appetitus mortalis. Præterea, ſi aliquid prædictorum petere eſt mortale, & illud appetere erit mortale. Nam ſecundum Thomam, Raymundum, Hoſtienſem, petere pro ſe aliquid eorum, etiamſi alias ſit dignus, inducit Simoniam, quia ſunt preces pro indigno ratione præſumptionis: ergo & appetere erit mortale, cum Simonia ſit mortale.* Hæc clara, & vera ſunt. Sed mi S. Antonine, quid reponeres? ſi noſtri temporis mores videres: dum nedum illi ſubinde, qui ceteroquin digni eſſent, petunt, vel appetunt beneficia curata, majora, vel minora: ſed etiam illi (parentes, conſanguinei, &c.) qui nec a longe norunt, quid ad animarum curam requiratur, nihilominus pro filiis, &c. ſimiles prædictas promotiones petunt, per fas & nefas extorquent: & en! vix, vel rari ſunt, qui hæc talia ſibi cordi ducunt.

XVIII. Inſurges adhuc tertio, & argues. Juxta Concilium Trident. Seſſ. 24. de Reformat. cap. 18. valida, & licita eſt promotio ad Eccleſias Parochiales per concurſum: tunc autem vult Concilium, ut *per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari*. Jam ſic: in hoc caſu cuilibet vocato licitum eſt ſe ſiſtere examini, ergo etiam licitum eſt appetere beneficium Curatum. Conſeq. prob. ubi licitum eſt conſequens, per ſe connexum cum antecedente: ſed in caſu noſtro licitum eſt antecedens, nempe velle ſe ſiſtere, immo & actualiter ſe examini: conſequens autem eſt facienda promotio ad beneficium, ſuppoſito, quod examini fuerit ſatisfactum, ergo in hoc caſu conſecutive licitum eſt appetere beneficium Curatum: ſi eſt licitum per Concilium, ergo utique ſine peccato præſertim mortali.

XIX.

XIX. Respond. concedendo, quod approbat S. Mater Ecclesia, nempe promotionem per concursum. Ad arg. autem neg. Conf. ad prob. dist. maj. ubi licitum est antecedens *absolute*; etiam licitum est consequens, per se connexum cum antecedente c. ma. ubi licitum est antecedens tantum *ex suppositione*, etiam licitum est consequens, *&c.* n. maj. & sub eadem distinct. concessam, n. Conf. Ratio est; quia ex hoc, quod vocatus ad examen, sive nominatus cum aliis, sive vi specialis edicti comapreat, non est dicendum, quod absolute compareat, ut vi examinis beneficium appetat, vel pro se petat, sed comparet secundum mentem Concilii: hæc autem mens est conditionata, ut nempe promoveatur, si intuitu examinis dignus, vel omnino respective dignior inventus fuerit, tunc autem Parochialem curam non tam ex voluntate, quam Concilii ordinatione suscipiet; adeoque nec unquam evenit, quod absolute ex sua voluntate beneficium pro se petere, vel etiam appetere possit. Ordinat autem Concilium c. l. ut „ peracto „ examine renuncientur, quotcunque ab hi „ judicati fuerint idonei, ætate, moribus, „ doctrina, prudentia & aliis rebus ad va- „ cantem Ecclesiam gubernandam oppor- „ tunis, ex hisque Episcopus eum eligat, „ quem ceteris magis idoneum judicaverit, „ atque illi, & non alteri collatio Eccle- „ siæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam „ conferre. „ De reliquo hæc valde diversa esse judico: „ Sistere se examini, & pe- „ tere pro se beneficium. „ Sicut diversa sunt in electione per scrutinium, sistere se electioni, & petere, vel appetere beneficium vacans; comparere namque utcque potest vel ad implendam obedientiam, vel ad ostendendam suam subjectionem: interea tamen animo ita comparatus, ut æquanimiter ferat sive repulsam, sive Collationem beneficii, quod utique non potest petere, vel appetere, cum prius notum sit, Collationem beneficii non posse obvenire omnibus, sed tantum uni, & huic digniori. Hactenus quantum ad intentionem promovendi, seu suscipientis beneficium.

XX. Jam quoad alteram quæstionis partem, seu quantum ad obligationem promoventis, seu conferentis beneficium, sit mihi venia, si calamum nonnihil acuam; id enim exigit quæstionis dignitas. Prævie proinde, conscientia teste, protestor, longe a me abesse, ut unquam quoad hanc difficultatem (sicut nec in aliis hucusque dictis, nec ulterius dicendis) velim descendere ad quæstionem *facti*, sed animus semper fuit, & usque erit manere in quæstione *juris*: ac ostendere, quid pro bono S. Matris Ecclesiæ ex SS. Patribus, & Conciliis, ac ratione naturali non tantum consulatur, sed omnino præcipiatur. Ut ergo Collatorum obligatio ad oculum demonstretur, quando teneantur beneficium conferre digniori, quando possint digno, & an unquam possint conferre indigno, videndum prius est, quinam veniant nomine dignioris, digni, vel indigni, deinde, Deo dante, respondebo ad singula in particulari.

XXI. Quantum ergo ad præsens *dignior* dici debet, & est, qui ob ætatis maturitatem, morum gravitatem, longiorem experientiam, vitæ probitatem, fidelitatem, prudentiam, &c. speratur multo melius functurus officio suo, & Ecclesiæ magis profuturus, quam alii: unde non semper is est dignior, qui doctrina, vel sanctitate ceteris præeminet: sed qui consideratis considerandis judicatur melius officio suo satisfacturus, & Ecclesiæ futurus utilior. Dignioritas proinde personæ quoad præsens non debet spectari absolute, sed potius respective. Quod optime docet S. Thom. quod l. 7. quæst. 7. artic. 1. inquiens: „ A- „ liquis homo potest dici bonus, vel me- „ lior altero dupliciter, non modo simpli- „ citer, & sic melior est in caritate per- „ fectior: alio modo secundum quid, & „ sic dicitur aliquis melior altero vel ad „ militiam, vel ad Magisterium, vel ad „ Prælationem, vel ad aliquid hujusmodi, „ qui non est melior simpliciter, eo quod „ in singulis officiis tam spiritualibus, quam „ corporalibus requiruntur aliqua præter „ moralem bonitatem, ad hoc ut aliquis „ sit idoneus ad illud officium exequendum. „ Dicendum ergo est, quod oportet elige- „ re ad Prælationem, vel Ecclesiasticum „ officium aliquem, qui sit bonus simpli- „ citer: quia per quodlibet peccatum mor- „ tale aliquis redditur indignus ad quodli- „ bet spirituale exequendum. Non tamen „ oportet, quod semper eligatur ille, qui „ est melior simpliciter; possibile enim est, „ in caritate perfectior, deficiant multa, „ quæ requiruntur ad hoc quod aliquis sit „ Prælatus idoneus, quæ in alio, qui est „ minoris caritatis, inveniuntur: ut sunt „ scientia, industria, potentia, & alia hu- „ jusmodi; unde non oportet semper eli-

„ gere

„ gere meliorem simpliciter, sed enim, qui „ sit melior ad hoc officium. „ Eodem modo dicit S. Doctor 2. 2. q. 63. art. 2. O. quod „ dignitas personæ potest attendi du„ pliciter, & secundum se; & sic majoris „ dignitatis est ille, qui magis abundat „ gratiæ donis; alio modo per compara„ tionem ad bonum commune; contingit „ enim quandoque, quod ille, qui est mi„ nus sanctus, & minus sciens, potest ma„ gis conferre ad bonum commune propter „ potentiam vel industriam sæcularem, vel „ propter aliquid hujusmodi. „ Idem habet ibid. ad 3. & q. 185. art. 3.

XXII. *Dignus* ille dici potest, & est, qui attentis undequaque circumstantiis, eam possidet scientiam, prudentiam, vitæ probitatem, & alias qualitates: quæ prudens dictamen fundent Collatori, quod promovendus suo muneri sit rite satisfacturus, ac Ecclesiæ, & bono communi suo servitio sit profuturus, unde quantum ad hoc, *dignus* etiam ille censeri potest (nisi aliunde quid obstet) de quo moraliter certa spes affulget, fore, ut intra breve tempus scientiam, & reliquas qualitates ad debitam beneficii administrationem requisitas sibi comparet. Hæc tamen limitari debent ad beneficia simplicia; quantum ad curata enim id de facili asserere non auderem, nisi magna necessitas contrarium exposceret, qua tamen durante taliter promotus administrationem beneficii per alium, vel alios curare deberet. Quoad beneficia simplicia vero, id tolerari posse, probat praxis diversarum Ecclesiarum, in quibus studiosis adolescentibus (immo ubi Tridentinum non receptum, pueris post exemptum septennium) nondum ad Ecclesiastica munia idoneis, Canonicatus (sine cura) aliave beneficia simplicia conferuntur. Dixi autem paulo ante, *nisi aliunde quid obstet*, si enim accedat carnis, vel sanguinis affectus, vel spes alicujus obsequii, quod Collator aut ab ipso beneficiato, aut ab ejus parentibus, Consanguineis, amicis, &c. expectat, hic talis beneficiatus *dignus* non est: & ipse Collator graviter peccat, peccato acceptionis personarum, quo in re spirituali, & quidem tanti momenti, bonum privatum communi, & publico, creaturam Creatori, cum maximo Ecclesiæ detrimento antepouit. Sed de his brevi plura.

XXIII. *Indignus* tandem ille est, qui muneri suo rite obeundo est ineptus, vel ratione infamiæ, pravæ vitæ, ignorantiæ, &c. vel ratione morbi, aut similis impedimenti; aut aliunde præsumptio contra ipsum stat, fore ut Ecclesiæ non evadat utilis, nec officio suo satisfaciat. Unde Concilium Trid. Sess. 24. c. 12. de Reform. decernit: *Ut nemo deinceps ad dignitates quascunque promoveatur, nisi qui .... doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur, juxta constitutionem Alexand. III. in Concilio Lateranensi promulgatam*, quæ incipit: *Cum in cunctis*. Idem prædocuit S.Thom. quod. I. 8. art.6. O. dicens: *quod oportet eligere ad Prælationem, vel Ecclesiasticum officium aliquem, qui sit bonus simpliciter, quia per quodlibet peccatum mortale aliquis reddit ur indignus ad quodlibet spirituale exequendum.* Unde dicit Dio, in Epist. ad Demophilum Monachum, loquens de Sacerdote, qui non est gratia illuminatus: *non est iste Sacerdos, sed inimicus dolosus, delusor sui ipsius, & lupus supra dominicum populum pelle armatus ovina*. Qui proinde infamiæ pravæ vitæ, vel ignorantiæ nota insignitus, beneficium Ecclesiasticum susciperet, plane mortalis peccati reus evaderet, & ideo *indignus* ad quodlibet spirituale beneficium, vel officium, quia indignus esset ad exequendum; ubi enim indignus quis est actu, vel exercitio, indignus utique est & facultate, cui competit actus, vel exercitium. Hæc quantum ad defectus morales, vi quorum quis est, & dicitur *indignus* ad beneficium Ecclesiasticum quodcunque. Quantum ad defectus Physicos, morbos v. g. aut similia impedimenta, res per se est manifesta. His positis ad quæstionem.

XXIV. Respondeo 1. graviter peccant illi, qui indignos ad beneficia Ecclesiastica quæcunque nominant, præsentant, vel promoveur: Probatur 1. ex SS. Patribus. S. Leo super illud Apostoli ad Timoth. „ Ma„ nus cito nemini imposueris, neque com„ municaveris peccatis alienis, *ita loquitur Epist. 77. ad Episc. Afric.* „ Quid est cito „ manus imponere, nisi ante ætatem ma„ turitatis, ante tempus examinis, ante „ meritum laboris, ante experientiam di„ sciplinæ, Sacerdotalem honorem tribue„ re non probatis? & quid est communi„ care peccatis alienis nisi talem effici or„ dinantem, qualis est ille, qui ordinatur? „ sicut enim boni operis sibi comparat fru„ ctum, qui rectum sectatur in eligendo „ Sacerdote judicium, ita gravi semetipsum „ affi-

„ afficit damno, qui ad suæ dignitatis Collegium sublimat indignum. „ Idem prædocuit S. Augustinus Epist. 167. super illud Jacob. 2. „ Sede hic; pauperi vero, tu sta „ illic *dicens*; nec sane, quantum arbitror, „ putandum est leve peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini „ nostri JESU Christi, si illam distantiam „ sedendi, ac standi ad honores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi „ divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, atque sanctiore? „ Ex quibus utique manifeste colligitur, SS. Patres velle, illos mortaliter peccare, qui indignos promovent ad beneficia Ecclesiastica.

XXV. Idem Probatur 2. ex SS. Conciliis; nam Concilium Oecumenicum Lateran. IV. Can. 26. ita loquitur: „ Nihil est, „ quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quam „ quod indigni assumantur Prælati ad regimen animarum. „ Et Can. 30. „ Grave nimis est, & absurdum, quod quidam „ Prælati Ecclesiarum, cum possint viros „ idoneos ad Ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum „ scientia suffragatur, carnalitatis sequentes „ affectum, non judicium rationis. „ Idem habetur ex Concil. Trid. Sess. 7. c. 3. *de Reform.* ubi definit: „ Inferiora beneficia „ Ecclesiastica, præsertim curam animarum „ habentia, personis dignis, & habilibus, & „ quæ in loco residere, ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant, juxta constitutionem Alexandri III. in Lateranensi quæ incipit: *Quia nonnulli*; & „ aliam Gregorii X. in Generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit: *Licet Canon* „ editam conferantur. Aliter autem facta „ Collatio, sive provisio, omnino irritetur; „ & Ordinarius Collator pœnas constitutionis Concilii Generalis, quæ incipit: „ *Grave nimis*, se noverit incursurum. Quod autem Ecclesiæ magnopere officit; vel ob quod Collator beneficii pœnas constitutionis, & quidem graves incurrit, certo non potest non supponere grave peccatum; pœna enim debet in foro Ecclesiastico esse proportionata delicto.

XXVI. Idem Probatur 3. a ratione: Ubicunque in re gravis momenti intercedit acceptio personarum, non potest non adesse grave peccatum: sed dum promovetur indignus, prætermisso digniore, vel digno, non potest non adesse acceptio personarum in re gravi, ergo & adest grave peccatum. Maj. est clara; quia sicut Deus non est acceptor personarum, ita nec in hominibus id potest approbare. Min. Prob. in omni præsentatione, electione vel collatione Prælatus debet habere titulum, vel motivum præsentandi, eligendi, &c. Secus enim non agit conformiter rectæ rationi: sed dum eligitur, seu promovetur indignus relicto digniore, vel digno, Prælatus pro titulo, vel motivo non potest habere meritum personæ indignæ, ut patet, ergo habet ipsam personam: vel aliquid indebite pertinens ad ipsam personam, hoc autem pertinet ad acceptionem personarum. Id, quod aperte docet S. Thom. quodl. 7. q. 4. artic. 1. inquiens: „ Non potest esse, „ quod de duobus unus alteri præeligatur, „ nisi propter aliquod in ipso consideratum; „ illud autem, quod consideratur in eo, „ qui est minus idoneus, ad hoc, quod „ magis idoneo præferatur, est aliqua conditio indebite movens, vel familiaritas, „ vel consanguinitas, vel aliquid hujusmodi; non enim potest esse aliqua conditio „ pertinens ad Prælati idoneitatem, ex quo „ alter simpliciter magis idoneus reputatur, „ & sic indebito movet; & sic in tali electione erit acceptio personarum, quæ „ sine peccato non fit. „ Hoc idem clare docet 2. 2. quæst. 63. art. 2. ad 1. ait autem: Quandoque sunt minus digni, & simpliciter, & per respectum ad bonum „ commune, & sic si dignioribus præferantur, est peccatum personarum acceptionis in dispensatione spiritualium, quorum „ Prælatus Ecclesiasticus non est Dominus, „ ut possit ea dare pro libito, sed dispensator, secundum illud 1. ad Cor. 4. „ Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei. A primo ad ultimum stat, in promotione indigni committi peccatum acceptionis personarum, quod in re gravi, & quidem Ecclesiastica non potest non esse mortale.

XXVII. Respondeo 2. graviter peccant illi, qui ad beneficia curam animarum annexam habentia non promovet digniores; aut iis postpositis minus dignorum institutioni quoquo modo cooperantur. Per beneficia autem curam animarum annexam habentia intelligimus illa omnia, quæ habent annexam jurisdictionem Ecclesiasticam, præsertim circa bonum commune Ecclesiæ: vel functiones aliquas magni momenti, v. g. in docendo, concionando, confessiones exci-

excipiendo, &c. Talia proinde beneficia sunt Cardinalatus, Episcopatus, Archidiaconatus, Decanatus, Parochia, Præpositura cum jurisdictione, Canonicatus, vel Vicaria sub dictis functionibus: Abbatiæ, Prioratus, &c. Jam hæc responsio 2. Probat. 1. ex Concilio Trident. Sess. 24. *de Reform.* cap. 1. ubi: „ Omnes, & singulos, „ qui ad promotionem præficiendorum, „ quodcunque jus, quacunque ratione a „ Sede Apostolica habent, aut alioquin „ operam suam præstant, nihil in iis pro „ præsenti temporum ratione innovando, „ hortatur, & monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & „ populorum salutem utilius posse facere „ quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant; „ eosque alienis peccatis Communicantes „ mortaliter peccare, nisi quos digniores, „ & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, „ non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed „ eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint. „ Ex quo Concilii textu utraque pars responsionis probata manet; nam dicit, non tantum illos, qui de jure possunt concurrere ad promotionem præficiendorum, mortaliter peccare, sed etiam illos, qui operam suam alioquin præstant, adeoque promotioni cooperantur, mortaliter peccare, tanquam alienis peccatis communicantes: de ipsis promotoribus autem mens Concilii hoc ipso clara est.

XXVIII. Nec forte sibi imaginentur laxiores nonnulli conscientiarum moderatores, quod *cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis Communicantes mortaliter peccare, qui nisi, quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent:* quod inquam, *Concilium vel primo videtur per hoc* digniores, *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundo, locutione minus propria ponit* digniores, *ut excludat indignos, non vero dignos: vel tandem loquitur tertio quando fit concursus*, nam contra est, quod hæc tota interpretatio falsa in terminis damnata sit ab Innoc. XI. 2. Mart. 1679.

XXIX. Eadem responsio Probatur 2. ex tribus prærogativis, quas Guillelmus Parisiensis, Tractat. *de Collat. beneficior.* dicit Prælatis Ecclesiæ convenire. Dicit nempe Prælatos esse *Architectos*, esse *Duces*, esse *Pastorum Principes*. Si igitur *Architecti* sunt ergo nedum congruit, sed vel maxime necessarium est, ut quemadmodum Salomon templum Domini materialiter non ex festucis, paleis, vel luto, sed ex lapidibus pretiosis, dolatis, quadratis, &c. ædificavit; ita nec Prælati templum Domini mysticum, quod est Clericatus, ex paleis, festucis, luto, &c. hoc est, minus dignis ministris, sed ex lapidibus pretiosis, dolatis, quadratis, &c. hoc est, ministris virtute, doctrina, prudentia magis expolitis ædificent. Si Prælati *Duces* sunt, ergo oportet, quod tales sibi milites eligant, qui possint, norint, & velint præliari prælia Domini contra principem tenebrarum, animabus commissi gregis continuo insidiantem: at vero qui possunt, & volunt hoc certamen inire, nisi qui præ ceteris, doctrina, prudentia, morum probitate, & sanctitate præeminent, verbo digniores? minus digni enim, quomodo præliabuntur hæc prælia Domini? *Qui non noverunt gladium Spiritus, quod est verbum Dei, qui non noverunt arcum sacrum disciplinarum, sacrorum eloquiorum sagittas, scutum fidei, galeam salutis, loricam justitiæ.* Si Prælati *Pastorum Principes* sunt, nonne oportet, ut tales assumant Pastores, qui gregem sibi commissum Cælestis doctrinæ pabulo sciant, & velint pascere, qui *quod infirmum fuit*, Ezech. 34. consolident, *quod ægrotum*, sanent, *quod confractum est*, alligent, *quod abjectum est*, reducant, *& quod perierat*, quærant; & hi Pastores sunt, *qui digniores* sunt. At vero indigni Pastores, quantum ad animarum curam sunt, qui non populum scientia, doctrina, & virtute pascunt, sed magis semetipsos: unde Dominus ait Zachar. 11. Pastor indignus *derelicta non visitabit, dispersum non quæret & quod contritum, non sanabit, & id quod stat, non enutriet & carnes pinguium comedet & ungulas eorum dissolvet. O Pastor, & idolum, derelinquens gregem.*

XXX. Sed plus ultra. Si Prælati duces, si Pastorum Principes sunt, nunquid ipsis graviter incumbet majus bonum Ecclesiæ procurare, & fideliter munus Prælationis exercere? at vero prætermissis dignioribus, nedum non procurant majus bonum Ecclesiæ, sed ipsam insuper ingenti bono privant, graviterque contra fidelitatem agunt: immo vero non tantum contra fidelitatem, sed & contra justitiam distributivam, & commutativam agunt. Quemadmodum enim beneficium datur propter officium, ita ex

 Justi-

Justitia commutativa, qui de beneficio vivit, officium suum tenetur rite adimplere: at vero indignus, vel minus dignus quomodo officium suum rite adimplebit, hoc ipso, quod non sit vocatus tanquam Aaron? & iterum si ex vi justitiæ distributivæ in regimine sæculari subditis magna injuria irrogatur, detrimentumque pariter, si ipsis indignus, vel minus dignus Princeps, seu superior præficiatur, quomodo non *totius familiæ domini status, & ordo nutabit*, ut loquitur Trident. c. l. si duces cæci, si Pastores semetipsos pascentes, h. e. indigni, vel minus digni prætermissis dignioribus, ipsi præficiantur?

XXX. Unde in rem nostram, & vere ex spiritu veritatis, optime disserit Ludovicus Granat. in Concion. *de offic. Pastoris* ubi ait: *Præferens indignum reus est omnium animarum, quæ ob ejus indignitatem periclitantur: reus est omnium flagitiorum, quæ ex hoc crimine consequuntur: reus denique omnium, aut eleemosynarum, aut aliorum bonorum, quæ boni rectoris studio perficerentur. Quemadmodum enim, qui aut imperitum Medicum, aut Nauclerum, aut Ducem, aut Pastorem præficit, reus est omnium damnorum, quæ ex horum ignorantia, consecuta sunt: ita plane, qui indignum eligit in Ecclesiæ Ministrum, omnium malorum consequentium reus est. Omnia hæc & nomina, & officia cuilibet Ecclesiæ Ministro simili ratione conveniunt.... Cum ad Davidem Abiathar Sacerdos, amissis, injuria, & crudelitate Saulis, parentibus, ac fratribus, in desertum profugus pervenisset, ait ad illum David:* Ego sum reus omnium animarum Patris tui. 1. Reg. 22. *Nimirum, quia neque volens, neque animadvertens, in causa fuerat, ut Saul præcipiti quodam fervore percitus, invidiaque stimulatus, Sacerdotes Domini jugularet. Quid ergo dicet, qui & sciens, & volens, & affectibus suis, aut amicorum serviens, contemptis dignioribus præficit indignos, ex qua indignitate tot pereuntium animarum strages consequuntur?*

XXXII. Et hinc merito S. Mater Ecclesia indentidem, juste, & merito suspirat, ut tales præficiantur Ministri, a quibus nihil dictorum timere oporteret, sed quorum lux luceret coram hominibus, ut hi videant opera bona Dei Ministrorum: suspirat nempe Ecclesia, ut & hodie nominationes, & electiones fierent, eo modo, quo primus omnium beneficiorum Patronus, nempe Sanctus Petrus a Christo Domino ut totius Ecclesiæ Caput, fuit electus; hunc enim cum Christus Dominus ad Ecclesiæ regimen eligeret tertio quæsivit, Joann. 21. an se diligeret, & quidem *plus his*, per quod aperte Christus Dominus significare voluit, quod ille, qui præficiendus esset regimini (seu universalis, seu particularis) Ecclesiæ, diligere debeat plus aliis, hoc est, dignior esse debeat aliis. Et si ad hunc modum Salvatoris nostri, nominatio, præsentatio, vel electio (humano modo, & moraliter loquendo) non fiat, non longe aberunt incommoda, damna, detrimenta, &c. quæ secus Ecclesiæ impendent. Nam, ut ait Sanctus Chrysostomus lib. 3. de Sacerd. *Equidem non opinor, aliunde tam multas in Ecclesia turbas nasci, quam ex Episcoporum, & Antistitum electionibus, casu potius ac temere, quam diligenter, & accurate factis; nam caput valentissimum esse oportet.*

XXXIII. Sed si ita est, væ nobis, imaginabuntur sibi forte non pauci: electos nos esse, & in hoc vel illo Ecclesiasticæ dignitatis gradu collocatos, scimus (dicent apud semetipsos) an vero merita fuerint tanta, ut tanquam *digniores* eligeremur, ignoramus; ergone nos tot malorum, tot animarum periclitantium rei sumus? si ita, quis tandem est, qui hisce calamitosissimis temporibus ullam Ecclesiasticam dignitatem cum jurisdictione, vel animarum curam audeat acceptare? Sed parcius ista; dicta enim nostra non eo collimant, ut nulli ne dicam desperationis, sed nec perplexitatis laqueum injiciamus: loquimur duntaxat, quod poscit veritas, justitia commutativa, & distributiva, quod poscit Ecclesia. Unde quod dixi, repeto: quando non eliguntur ii, de quibus est probatio, quod sint futuri utiliores Ecclesiæ, committitur peccatum acceptionis personarum, quæ est grave peccatum quoad præsens; nam *acceptio personarum*, ait Sanctus Thomas 2, 2. quæst. 63. artic. 2. *Est peccatum, in quantum contrariatur justitiæ. Quanto autem in majoribus aliquis justitiam transgreditur, tanto gravius peccat. Unde cum spiritualia sint temporalibus potiora, gravius peccatum est personas accipere in dispensatione spiritualium quam in dispensatione temporalium.* Jam vero hoc grave peccatum non tantum committitur ab eo, qui *per acceptionem personæ*, confert beneficium,

cium, sed etiam ab illo, qui taliter beneficium acceptat, quia communicaut iu iniqua dispensatione spiritualium: immo magis in hoc casu peccatum grave committitur ab accipiente beneficium; hic enim est causa, cur consecutive omnia mala, detrimenta, &c. a se Ecclesiæ illata, ipsi Collatori imputentur, unde multo magis ipse horum est reus; quia *propter quod unumquodque tale, & illud magis*, ut habet axioma Philosophicum. Jam ergo si accipiens communicat in peccato mortali, & quidem a fortiori, sequitur, quod sit indignus ad accipiendum, & retinendum beneficium; quia ut dixi ex S. Thoma quodlibet 6. q. 4. art. 1. *Per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum*. Unde ergo, ut jam me explicem, si qui essent, & quot essent, qui se quidem electos, in hoc vel illo Ecclesiasticæ dignitatis gradu collocatos nossent, sed tanquam indignos, vel minus dignos, per viam nempe acceptionis personarum, habent omnino, quod timeant, ne tot malorum, tot animarum periclitantium rei sint, vel evadant.

XXXIV. At vero alias, ne magis timoratorum conscientias anxietatibus, vel perplexitatibus exponamus, qui se hic & nunc sciunt esse electos, in hac, vel illa dignitate positos, timere tamen possent, an tanquam *digniores* electi, vel honorificati sint, hinc duo considerare oportet: unum ex parte assumentis, alterum ex parte ejus, qui assumitur. Ex Parte assumentis quidem, an soleat alias eligere ad utilitatem Ecclesiæ, secundum illud 1. ad Corinth. 14. *Ad ædificationem Ecclesiæ quærite, ut abundetis*, hoc est, an soleat communiter eligere tales, qui Ecclesiastica beneficia suscipiunt, divinaque Mysteria dispensant non immediate propter quid temporale, vel remunerationem, hæc enim exspectanda est in futuro, sed propter utilitatem Ecclesiæ. Ex parte ejus vero qui assumitur, si aliunde in sui promotione præ oculis habeat majorem Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, suam, aliorumque, præsertim suæ Curæ creditorum salutem, tunc non est necesse, quod de se formet reflexum, quid sit *dignior*; dicit enim Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 185. art. 3. *Ex parte ejus, qui assumitur, non requiritur, quod reputet se aliis meliorem* (*hoc enim esset superbum, & præsumptuosum*) *sed sufficit, quod nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur assumere Prælationis officium. Unde licet Petrus interrogatus esset, an ceteris plus Dominum diligeret, in sua responsione non se prætulit ceteris, sed simpliciter respondit, quod Christum amaret*. His ergo stantibus, quemadmodum nullum subest periculum acceptionis personarum, nec aliud quidpiam, per quod illicitum redderetur Prælationis officium, ita nec est, cur sibi timeret hic talis, ne nempe tot malorum, vel tot animarum periclitantium, &c. reus existat.

XXXV. Respondeo 3. graviter peccant illi (licet respective minus) qui ad beneficia simplicia non promovent digniores. Quantum ad hoc, Concilium Tridentinum non videtur clare, & expresse locutum: hanc tamen fuisse mentem Concilii, nullus dubitat, cum nunquam voluerit aliquid decernere, vel declarare *contra*, sed semper juxta SS. Patres, & Canones: hi autem loquuntur indiscriminatim de beneficiis, dicendo ad beneficium Ecclesiasticum promoveri debere personas magis idoneas, & hoc sine distinctione inter beneficium curatum, & simplex; unde nec oportet, ut nos distinctionem inducamus. Dicit autem Innocentius III. cap. *ut nostrum*, Ext. *ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, sic respondet Mediolan. Archiep. *non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Officium, & beneficium in persona magis idonea dispensare*. Et cap. *quoniam*, Ext. *de Jur. Patron.* ex Concilio Generali Lateranensi III. statuitur, *ut si forte in plures partes fundatorum se vota diviserint, ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligetur, & approbatur assensu*. Ecce SS. Canones non distinguunt inter beneficium curatum, & simplex, sed ad utrumque exigunt personam majoribus meritis, & idoneitate præditam: igitur neque nos distinguere debemus.

XXXVI. Quantum ad SS. Patres in ordine ad nostram responsionem 3. dubium vix esse potest, cum loquantur plane eodem modo, ac sine discrimine inter beneficium curatum, & simplex. Sanctus Thomas igitur (qui utique etiam inter SS. Patres numerandus est, cum in ipso velut in Eccho SS. Patres resonent) clare, & indiscriminatim asserit cap. quodl. 6. art. 9. quod *non potest esse, quod* (Collator) *unum præferat alteri, nisi propter aliquam* cau-

causam, quae siquidem pertineat ad honorem Dei, aut utilitatem Ecclesiae, quantum ad hoc est ille melior: si autem illa causa ad hoc non pertineat, erit acceptio personarum. Ubi autem est acceptio personarum, & quidem in rebus divinis, non potest non esse peccatum, & quidem grave, vel gravius. Sed mentem nostram adhuc magis roborat auctoritas S. Antonini, qui omnino asseverat, sententiam contrariam juri divino, & justitiae distributivae repugnare, nempe sustinentem, posse beneficium simplex conferri in favorem minus digni. Ait autem Sanctus Pater 3. part. tit. 15. cap. 1. §. 3. *Ad hoc, ut quis valeat habere beneficium, vel prabendam, sufficit, quod major sit septennio; tamen quamvis jure humano non irritetur talis collatio, jure tamen divino illicitum est dare talia beneficia talibus, nisi quando alii non inveniuntur, quia contra justitiam distributivam est, si detur minus digno. Quamvis autem iste puer non sit indignus positive propter defectum, quia est innocens: respectu tamen illius est indignus, quia alius est dignior. Unde contempto meliore, sanctiore, justiore, dare alteri est grave peccatum, ut dicit Augustinus super Epistolam Jacobi.*

XXXVII. Et merito haec a SS. Patribus asseri, exinde demonstratur. Quia ex simili iniqua promotione minus dignorum prae dignioribus ad beneficia simplicia cultus divinus imminuitur, ac bonum commune Ecclesiae non modicum damnum patitur; cultus divinus quidem ex eo diminuitur, quia quemadmodum per ferventes Dei Ministros, qui non serviunt, ut manducent de rebus, *quae Dei sunt*, sed manducant, ut vivant, Deoque fidele obsequium praestent, cultus divinus magnopere promovetur (dum hi tales non tantum satagunt, ut officii sui partes rite expleant, sed insuper alios multos labores pro gloria Dei, & proximorum salute suscipiunt, vel per studium Sacrae Theologiae, & Canonum, vel divinum verbum praedicando, vel confessiones excipiendo, aut alias in vinea Domini laborando, sive verbo, sive facto per zelosae vitae exempla) item e contra cultus divini diminutio infertur per ministros, etiam non curatos, tamen *minus dignos*; hi enim sua sorte contenti plerumque plus non agunt, quam ut officium suum impleant (dummodo & hoc rite semper expleant) hoc stante, an non periculum esse potest, ne otium, quod est pulvinar diaboli, ac malorum, & scandalorum omnium fons, & origo, sese ingerat? si ita: ubi promotio cultus divini? quin immo potius timendum ne quondam sententia feratur: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium*. Matth. 25.

XXXVIII. Jam vero quod bonum commune Ecclesiae ex simili promotione non modicum damnum patiatur, ostendo. Certum namque est, quod dum alii Clerici, virtute, & doctrina insignes, qui etiam subinde beneficiis simplicibus se honeste sustentare possent, & sustentarent, quod, inquam, dum vident alios minus dignos ad praefata beneficia promoveri, favore, precibus, ambitu, consanguineorum ope: verbo, sine ullis meritis requisitis, sed forsan mediis simoniacis, jure & ipsi absterreantur, aut saltem absterreri possint, ne sibi dotes necessarias comparent, quibus bonum commune Ecclesiae promovere valerent; quid enim (praetendere merito possunt) se qualificent per Sacrae Theologiae, & Canonum studia, dum interea videre debent, illos promoveri, quos *Caro, & sanguis* revelant; dum illos vident Ecclesiae reditus percipere (etiam ex beneficiis simplicibus) de iisdemque vivere (quos pii fideles, & fundatores Ecclesiae contulerunt, ut de iis ministri vivant, qui secundum talenta a Deo liberaliter concessa, Ecclesiae bonum promovere allaborant) interea autem tanquam minus digni, sua sorte, ut dixi, contenti vivunt, non multum solliciti de promovendo bono Ecclesiae, vel ut sibi hunc in finem necessarias dotes comparent. En igitur damnum Ecclesiae! en gravem aliquando rationem reddendam a collatoribus coram supremo Judice, qui cum acceperit tempus, seu in die judicii; etiam *justitias* Psalm. 74. judicabit; quale igitur judicium feret de similibus praejudiciosis collationibus?

XXXIX. Ceterum cum supra dixerim num. 35. seu ab initio hujus responsionis tertiae, quod illi graviter peccent, qui beneficia simplicia conferunt indignis, vel minus dignis, praetermissis dignioribus, licet peccent *respective minus*, intelligendum est, per comparationem ad beneficia curam animarum habentia; haec enim beneficia, nempe curata, cum immediate respiciant non tantum cultum divinum, bonum commune Ecclesiae, sed etiam vel maxime bonum

num proximi, seu salutem animarum, hinc si bene non administrentur, damna emergentia possunt esse, immo & sunt notabiliora, magisque praejudiciosa; at vero beneficia simplicia, licet etiam cultum divinum immediate respiciant, bonum commune Ecclesiae, & curam, seu salutem animarum immediate non respiciunt, sed mediate secundum mox dicta, & ideo dici posset, quod Collatores quantum ad beneficia simplicia *respective minus* peccent. Stat tamen, quod adhuc graviter peccent, hoc est, intra limites peccati mortalis secundum SS. Patres, & Canones, tum ob acceptionem personarum, tum ob praejudicia cultui divino, & bono communi Ecclesiae consecutive emergentia.

XL. Respondeo 4. quando collatio beneficii fit per concursum, tunc non tantum graviter peccatur, sed secundo insuper restitutionis onus incurritur. 1. Pars responsionis colligitur ex Concilio Tridentino Sess. 24. *de Reform.* cap. 18. ubi non tantum consultive, sed omnino praeceptive continuo agitur, ut *peracto examine renuncientur, quotquot ab his judicati fuerint aetate, moribus, doctrina, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandum opportunis: ex hisque Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit* . . . . . *Quod si sit beneficium Juris Patronatus Ecclesiastici, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, quem digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo praesentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei praesentet, ad quem institutio spectabit* . . . . *Alio provisiones omnes, seu institutiones praeter supra dictam formam factae, subreptitiae censeantur.* Jam sic: secundum hoc Concilii decretum, seu praeceptum, debet *per concursum* praesentari, vel institui dignior; ergo dum non praesentatur, vel non instituitur dignior, seu alius quicunque, agitur contra praeceptum Concilii in re gravi concernente bonum commune Ecclesiae, vel bonos mores: atqui nemo potest agere contra legitimum praeceptum praesertim in re gravis momenti sine peccato mortali, ergo. Praeterea Sanctissimus Pontifex Pius V. in Constitutione, sub initio, *in conferendis beneficiis* data XV. Calend. Aprilis m. d. l. VII. asserit, electionem, quae fit praetermisso digniore, esse *malam*: at vero mala electio in re gravis momenti, praesertim bonum Ecclesiae, & salutem animarum concernente non potest non esse cum gravi peccato, ut patet. Dicit autem, *ut non solum dignis, sed magis idoneis repertis, juxta ejusdem Concilii Decretum, Parochiales Ecclesiae conferantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod si Episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii, qui rejecti fuerint, a mala electione hujusmodi* . . . . *appellare*.

XLI. Probat. jam secunda Pars Respons. seu quod Collatores obligentur ad restitutionem, si, dum facienda est collatio per concursum, praetermittatur dignior. Sic igitur disputo: quicunque alteri infert gravem injuriam, seu qui agit contra jus strictum alterius, obligatur ad restitutionem: sed quando fit collatio beneficii per concursum, si praetermittatur dignior, irrogatur ipsi gravis injuria, *&c.* Ergo. Maj. non controvertitur. Min. Prob. quando fit collatio beneficii per concursum, tunc intervenit quidam quasi contractus inter concurrentes & Collatorem, ut ei detur beneficium, qui notabiliter aptior, & dignior inventus fuerit: ergo concurrens, qui se ceteris apriorem, & digniorem per examen probaverit, acquirit strictum jus ad beneficium. Nec satisfaciunt, qui omnia ad probabilitatis normam metiuntur, dicentes, Collatores beneficiorum, etiam stante concursu, non velle se obligare ex rigorosa justitia ad dandum beneficium, sed potius per modum gratiae, & liberalis donationis. Nam contra est, quod esto Collatores se explicite non videantur obligare ex justitia, implicite tamen, seu exercite, & reipsa non possunt non velle se obligare ex justitia, vi nempe quasi contractus inter concurrentes, & ipsos Collatores facti, hoc ipso enim, quod ad concursum vocent, debent velle observare, quae sunt necessario consectanea ad concursum: at vero necessario consectanea ad concursum sunt, ut qui ceteris dignior inventus fuerit, etiam illis praeferatur.

XLII. Quae tamen dixi non volo extendi etiam ad alios casus, in quibus fit collatio beneficiorum extra concursum: dum nempe praeterito digniore promovetur *dignus* tamen, & *idoneus*; nam tunc dignior non patitur *immediate* gravem injuriam, eo quod necdum acquisiverit strictum, seu rigorosum jus ad beneficium: quod proinde vio-

violatur, eſt tantum jus latum, & remotum, radicatum ſcilicet in majori quadam aptitudine: hoc violare *per ſe* non inducit onus reſtitutionis, nec ſubinde gravis peccati reatum. Hoc tamen etiam fateor ſemel pro ſemper, piam Matrem Eccleſiam juſto & merito ſuſpirare, ut tales ubique ſuper gregem dominicum præficiantur Paſtores, qui quondam cum Patriarcha Jacob poſſint dicere domino: *Oves, & capræ tuæ non fuerunt ſteriles, arietes gregis tui non comedi, nec captum a beſtia oſtendi tibi; ego omne damnum reddebam, quidquid furto peribat, a me exigebas, die ac nocte æſtu urebar, ac gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*. Geneſ. 31.

XLIII. Reſpondeo 5. graviter peccant, qui conſanguineos in collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum aliis anteponunt, niſi conſanguinei eſſent æque digni; & aliunde abſque ſcandalo hæc talis collatio fieri poſſet. Ratio ex præcedentibus clara eſt; ſi enim acceptio perſonarum extranearum gravis peccati reatum inducit, tunc multo magis grave peccatum inducit acceptio perſonarum conſanguinearum, *&c.* Cum hæc acceptio ſit qualificata ratione ſcandali. Quod autem in ſimili collatione beneficiorum intercurrat acceptio perſonarum, niſi conſanguinei forent æque digni, per ſe manifeſtum eſt. Atque hanc perſonarum acceptionem longe præcavit Moyſes Dei famulus, qui non domeſticos, ſed extraneos ad Principatum aſſumpſit. Scribit enim de ipſo S. Hieronymus in cap. 1. Epiſt. ad Titum ſuper illa, *conſtituas per Civitates Presbyteros*, & ait: *Moyſes amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus eſt, potuit utique ſucceſſores Principatus filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem: ſed extraneus de alia tribu eligitur Jeſus* (id eſt Joſue) *ut ſciremus Principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ. At nunc cernimus plures hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Eccleſia erigere columnas, quos plus cognoſcant Eccleſiæ prodeſſe: ſed quos vel amant*, (hoc eſt, amore ſanguinis præcipue) *vel quorum ſunt obſequiis deliniti: vel pro quibus Majorum quiſpiam rogaverit: &* (*ut deteriora taceam*) *qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt*. Refert. 8. quæſt. 1. Sed magne Doct. S. Hieronyme! ſi hæc pro tua tempeſtate ſcripſiſti, quid cogitares, vel diceres, ſi hiſce calamitoſiſſimis temporibus videres uſque adeo invaleſcere titulum (dico vitium) conſanguinitatis, *&c.*?

XLIV. Sed pergo cum Petro Cantor. Epiſc. Tornacenſ. *in Verbo abbreviato* cap. 43. ubi inquit: *Cum de intrantibus in Eccleſiam per oſtium dicatur:* qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt: *Joann. 1. de intrantibus per carnem, & ſanguinem dici poteſt: qui ex ſanguinibus, & ex voluntate carnis, non ex Deo nati ſunt, in Ordinum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum perceptione. Tales nequeunt dicere:* in manibus tuis ſortemeæ, *Pſalm. 30. Non enim conſideratur voluntas & beneplacitum Domini, cum for- & hæreditas Chriſti eis confertur. De talibus Mich. 3.* Væ illis qui ædificant Sion, *ſcilicet Eccleſiam* in ſanguinibus, *in peccatis: in carnalibus etiam affectibus, dantes carni, & ſanguini, potius ad deſtructionem Eccleſiæ, quam ad ædificationem ..... Sic danti beneficium Eccleſiaſticum poteſt objici, quia caro & ſanguis revelat ei ſic dare, non Pater meus, qui in Cælis eſt. Item: qui non odit Patrem, & Matrem propter me, id eſt, non poſtpoſuerit carnales affectus, quod non illi in dando ſpirituale naturæ, & ideo non ſunt digni Deo. Item Dominus:* qui ſunt Pater, & Mater mea, & Fratres mei? & extendens manum in diſcipulos, ait: hi ſunt Mater, & Soror, & Fratres mei. Omnis enim, qui facit voluntatem Patris mei, ipſe eſt & Frater, & Soror, *&c. Matth. 12. Quaſi diceret: vir ſpiritualis carnales neſcit: ac ſi diceret Patri, & Matri*, neſcio vos: *inſinuat nobis, ſe eſſe imitandum, maxime in ſpiritualibus conferendis*.

XLV. Dixi in Reſponſ. *niſi conſanguinei eſſent æque digni*, tunc enim iſtis conferri poſſunt beneficia Eccleſiaſtica, quia hoc de ſe nec repugnat juſtitiæ, nec fidelitati, ad quam tenentur Collatores, nec utilitati Eccleſiæ, cum æque bene ipſi provideretur, nec per ſe adeſſet acceptio perſonarum: pro cujus veritate lubet audire Sanctum Thomam quodlibet 4. quæſt. 8. art. 13. ait autem: *Aliter eſt dicendum de conſanguineo Prælati æque idoneo, & aliter de minus idoneo: ſi enim ſit æque idoneus poteſt Prælatus ſuum conſanguineum præferre, niſi forte ex hoc ſcandalum oriatur, vel aliqui exinde malum exemplum accipiant, ut probabiliter præſumi poſſit, quod alii Prælati hoc exemplo inducantur ad dandum ſuis conſanguineis, etiam minus dignis; &*

hoc

hoc ideo, quia ex quo nihil dederit utilitati Ecclesiæ, cum æque idonee providetur, licet circa hujusmodi provisionem etiam amori naturali satisfacere, qui non est contrarius caritati, sed magis caritate informatur: & hoc significatur. Genes. 48. *ubi Pharao dixit ad Joseph de fratribus suis.* Si nosti in eis viros industrios, constitue eos magistros pecorum meorum. *Si vero sit minus idoneus consanguineus Prælati, non debet eum præficere ad curam Ecclesiæ postposito meliori, duplici ratione. Primo quidem, quia hoc videtur esse contra fidelitatem, quam in bono dispensatore Dominus requirit. Non enim faceret fideliter negotium alicujus Domini, qui posset rem ejus meliorare, si hoc prætermitteret, ut suis consanguineis satisfaceret. Secundo, quia hoc videtur ad personarum acceptionem pertinere, quæ consistit in hoc, quod aliquis accipit pro causa conditionem personæ, quæ non facit ad negotium; sicut si aliquis daret sententiam pro aliquo, quia dives est, & non quia justitiam habet, quæ est conditio faciens ad negotium: esse autem consanguineum non est aliqua conditio pertinens ad curam Ecclesiæ, quæ non obtinetur jure sanguinis, sed divino munere; esset autem conditio faciens ad negotium circa dispensationem patrimonialium bonorum: unde si Episcopus de patrimonialibus bonis magis provideat consanguineo minus idoneo, non est acceptio personarum: sed si ratione consanguinitatis ei provideat in patrimonio Crucifixi, non caret vitio personarum acceptionis, quam Augustinus dicit esse in Ecclesiasticis gradibus dispensandis, exponens illud Jacobi* 2. Nolite, *in personarum acceptione, habere fidem Domini nostri Jesu Christi.*

XLVI. Sed & hoc Prælati Ecclesiastici, seu Collatores beneficiorum habent, quod sibi caveant, & quidem perquam caveant, ne caro & sanguis ipsorum oculos obcæcent, vel decipiant, ut videant ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, ut videant, inquam, seu potius fingant, & imaginentur suorum consanguineorum, seu nepotum merita *æqualia*, & subinde *majora*, quibus moveantur ad conferenda beneficia consanguineis, vel nepotibus tanquam æque dignis, vel dignioribus. Certe in his rite discutiendis non deberent impendere quamcunque, sed fideli dispensatore dignam industriam, etsi non majorem saltem, qualem temporalis dominus adhiberet in eligendo administratore bonorum suorum temporalium, qui profecto non assumeret quemcunque rerum gerendarum ignarum, *&c.* adeoque nisi dispensator Ecclesiasticus velit esse insipientior, quam filii hujus sæculi, adhibeant, oportet, si non majorem, ut dixi, saltem etiam non minorem diligentiam in facienda beneficiorum collatione; secus habebunt, cui quondam severam nimis dispensationis suæ reddant rationem: immo & in hoc mundo se dignos faciunt, ut in justam carnalis affectus pœnam deludantur cum quodam Episcopo, de quo Guillelmus Parisiens. in cap. Tractat. *de Collat. beneficior.* recenset sequentia: *Pulchre Episcopum habentem pyrum onustam fructibus, & volentem Archidiaconatum conferre Robinulo nepotulo suo, quidam delusit: cum interrogaret Episcopus, cui pyrum illam committeret custodiendam, & responsum esset a quodam, ut illam memorato Robinulo committeret, Episcopus respondit: absit; quia pyra illa omnia devoraret. Dixit Episcopo: Domine, qualiter committetis Robinulo tot millia animarum custodienda, cui tam pauca pyra committere non audetis?*

XLVII. Respondeo 6. consanguineis possunt conferri beneficia simplicia, & quibus honestam sustentationem percipiant, si tamen indigni non fuerint: cavendum tamen & in hoc vel maxime est, ne scandali periculum soboriatur. Hanc totam responsionem comprobat Petrus Cantor lib. cap. supra num. 44. ubi inquit: *Nepotem ergo tuum in columnam Ecclesiæ non erigas: tamen Ecclesiasticum beneficium, unde sustentetur, ei assignare potes. Sed quid si æque honestus est, & dignus, ut extraneus? sed & hoc periculosum est, nisi probitas ejus exigat, & excludat omnem infamiam, scandalum, & malum exemplum, quod de facili non fit. Non enim exemplum a bene gestis nostris sumitur, sed a cortice, specie, & superficie illorum, non a veritate. Si enim dedi nepoti meo propter gratiam, alii meo utentur exemplo, ut dent suis propter naturam magis, quam propter gratiam, dicentes: nonne meis, sicut & ille suis, dabo? ego gratiæ, ille dat naturæ. Ex præmissis patet, quantum recesserimus a cunabulis primitivæ Ecclesiæ in conferendo administrationem, & dispensationem rerum pauperum consuetudinem potius, quam antiquos sanctos sequentes, quasi præscriptione nos tuentes.*

XLVIII. Concludo tandem has responsiones, ex quibus datur intelligere, quæ, & quanta sit obligatio in rite conferendis bene-

beneficiis Ecclesiæ: unum pro coronide hujus quæstionis vehementer optarem, ut omnes Collatores beneficiorum perquam sibi cordi haberent saluberrimum Decretum Concilii Basileensis, quod bono Ecclesiæ consulere, & ingentibus malis in electionibus contingere solitis, occurrere volens, pragmatica Sanctione decrevit, ut Electores Ministrorum Ecclesiæ, decantata prius Missa Spiritus Sancti, post Sacramentalem peccatorum Confessionem, & Venerabilis Eucharistiæ sumptionem, in manibus præsidentium hujusmodi se religione juramenti constringerent: *Ego juro, & promitto omnipotenti Deo, & tali Sancto, vel Sanctæ, sub cujus vocabulo dedicata est Ecclesia, eum eligere, quem credam futurum Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus utiliorem: nec illi vocem dare, quem verisimiliter scivero promissione, aut datione alicujus rei temporalis, seu prece per se, aut alias qualitercunque directe, vel indirecte, pro se electionem procurare.* Quod Decretum, esto nullum jus novum inducat, si & hodie vigeret, aut saltem usu magis comprobaretur, sane cultui divino, bono Ecclesiæ, patrimonio Crucifixi, & pauperum longe magis consultum iretur: exularet vero vitium sanguinis, carnis, consanguinitatis, nepotismi, *&c.* satis.

Jam ad quæstionem admodum ponderosam & utilem calamum applico, qua beneficiatum ut talem, seu in suo beneficio constitutum contemplor. Hanc autem quæstionem gravissimam, quo paucioribus solet ab aliis plerumque pertractari, eo pluribus discutiam, Deo T. O. M. suam clementissimam assistentiam largiente, cui, sicut debetur, omnis honor & gloria, ita cedat omnis labor, in sæcula.

QUÆSTIO IV.

An Beneficiarii plenum & absolutum bonorum Ecclesiasticorum Dominium habeant?

QUæstionem aggredimur, nescio, an magis difficilem, quam forsan non paucis hac nostra tempestate odiosam; satis quippe perspectum habemus, depravatam nostram voluntatem usque, & usque pronam esse ad quærenda, quæ sua sunt, immo & non raro, quæ aliena, non quæ Jesu Christi: hinc ex unius veritatis & justitiæ amore causam pauperum, piarumque Causarum propugnandam suscipimus. Porro conclusiones statuendas, esto immediate ex SS. Litteris non simus roboraturi, cum clari omnino textus non extent, invictissimam tamen auctoritatem extrinsecam adducemus, SS. Patrum scilicet documenta, Canonum, & Conciliorum Decreta. Nam *in his, de quibus nihil certi statuit divina scriptura, mos populi Dei, & instituta Majorum pro lege tenenda sunt.* C. *in his* 11. d. Ceterum in hac controversia gravissima, & utilissima tres dabimus conclusiones, prima explicabit, quod mortaliter peccent beneficiarii Ecclesiastici superflue, aut vane reditus suorum beneficiorum expendendo: secunda resolvet, quod non tantum mortaliter peccent, sed insuper ad restitutionem teneantur: tertia exponet, an beneficiariis liceat de reditibus suorum beneficiorum testari. Prius tamen præmittenda est divisio bonorum Ecclesiasticorum, ut clarius in præsenti procedamus.

§. I.

De divisione bonorum Ecclesiasticorum.

I. CLementissimus Salutis nostræ Reparator, & vitæ præfectioris, ac sanctioris Magister facultates quasdam, utut pertenues possidebat; *habebat* enim *loculos Dominus*, inquit Augustinus Relat. in Can. *habebat* 12. quæst. 1. a *fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ubi intelligeremus, quod præcipit, non esse de crastino cogitandum, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecunia servetur a Sanctis, sed ne Deo propter ita serviatur, & ob inopiæ timorem justitia deseratur.* Atque ex hoc deinde factum est; quod post gloriosam Redemptoris in Cælo ascensionem, multitudinis credentium diu cor unum, animaque una essent; nemo quippe erat, qui proprium quid jactitaret se possidere, sed omnes Apostolis, reliquisque Christifidelibus, prompto, & hilari animo sua communicabant. Nemo inter illos egebat, nemo divitiis affluebat; *neque enim quisquam egens erat inter illos; quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem sin-*

singulis, *prout cuique opus erat*. Act. 4.

II. Sed hanc primitivæ Ecclesiæ perfectionem diu non tulit infensissimus humani generis Adversarius, quin immo nullum non movit lapidem, ut denuo geminos Christianæ perfectionis deprædatores *meum* nempe, & *tuum* reduceret, probe gnarus, quod *communis vita omnibus necessaria est*, *& maxime his*, *qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt*, *& vitam Apostolorum*, *eorumque discipulorum imitari volunt*. Can. *Dilectissimi* 12. quæst. 1. nec in vanum cessit conatus dæmonis; ipso enim Zizania super fidelium corda superseminante *per iniquitatem alius hoc suum esse dixit*, *& sic inter mortales facta divisio est*. Ibid.

III. Ex una quippe parte divini Spiritus aure felicissime aspirante Christianorum numerus magis, ac magis augebatur; ex alia vero parte difficultates non modicæ, immo discordiæ, & contentiones diabolico consilio exoriebantur, maxime ex eo, quod omnes, qui Christianæ militiæ nomen dabant, eodem plane jure haberentur; ab illis enim, qui ex alienigenis, & gentibus diversis ad Christi castra confluebant, Ecclesia jam usque ab Apostolorum temporibus nihil amplius expetebat, nisi ut ab immolatitiis idolorum, & fornicatione, suffocatis, & sanguine abstinerent. Factum proinde est, ut ex hac facultate, quæ pro stabiliendis fidei fundamentis, & eradicanda gentilitatis inveterata consuetudine expediens, & necessaria erat, communis antea vitæ vinculum relaxari cœperit etiam apud Christi fideles Ecclesiæ Hierosolymitanæ; passim enim secum ratiocinabantur, se in susceptam Christi fidem non peccaturos, si secundum morem gentibus concessum, substantias suas, facultatesque retinerent, de reliquo tamen Christi fidem tenerent, vitaque probarent.

IV. Quapropter ne malum isthoc latius serperet, communi fidelium suffragio, & consensu probatum, & sancitum est, ut loco pretii, quod pro divenditis agris exsolvebatur, ipsæ hæreditates, & agri in Episcoporum manus consignarentur, tum ut hac ratione eo certius tolleretur omnis occasio, ad facienda communitati fidelium perniciosa mendacia, ad quæ deponenda aliunde est prona humana voluntas, semper intenta, ad quærenda, quæ sua sunt, secundum exemplum Ananiæ, & Zaphiræ: tum ut eo securius agrorum possessio haberetur; ex quali possessione plus utilitatis communitati accedere posse existimabatur, eo quod securius, ex fructibus agrorum necessitatibus Communitatis succurri posset: Secundum illud Urb. I. Can. 12. q. 1. in cap. videntes *autem summi Sacerdotes*, *& alii*, *atque Levitæ*, *& reliqui fideles*, *plus utilitatis posse conferre*, *si hæreditates*, *& agros*, *quos vendebant*, *Ecclesiis*, *quibus præsidebant Episcopi*, *traderent*, *eo quod ex sumptibus eorum tam præsentibus*, *quam futuris temporibus plura*, *& elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus*, *quam ex pretio ipsorum: cœperunt prædia & agros*, *quos vendere solebant*, *matricibus Ecclesiis tradere*, *& ex sumptibus eorum vivere*.

V. Porro sub hac ratione *vita communis* inter fideles multis annis perduravit, licet diutius adhuc inter Clericos, quam Laicos: quod assertum quidem testimoniis certis in tanta rerum antiquissimarum obscuritate roborari non potest, conjecturæ tamen satis probabiles non desunt; D. Hieronymus enim (quo tempore Laici a pristina communione jam defecerant) Levitam quemdam sui temporis acriter increpavit, quod propria bona possideret: qua tamen increpatione Levita dignus non fuisset, si passim bona propria obtinere licuisset. Unde & idem D. Hieronymus Relat. in cap. *duo sunt*, 12. q. 1. dicit: *Illi autem*, *nempe Clerici victu*, *& vestitu contenti*, *debent omnia habere Communia*. Hieronymo consentit Augustinus, qui Clericos suos Hipponenses eodem hoc nomine incusat, ut ex Serm. ad Popul. Hipponens. 52. refert Gratianus in cap. *nolo* 12. q. *Qui habuerit proprium*, *vel habere voluerit*, *parum est*, *ut dicam*, *non mecum manebit*. Et paulo post: *quomodo ergo*, *quicunque voluisset extra manere*, *& de suo vivere*, *non tollerem Clericatum ei?*

VI. Sed tandem & hæc communio, quam inter Clericos diutius permansisse, quam inter Laicos diximus, deficere cœpit circa ann. 471. quo tempore Simplicius Papa Univerali Ecclesiæ præsidebat. Dividebantur itaque Parochiæ, singulæque singulis Presbyteris assignabantur: Ecclesiastica vero bona in quatuor partes distinguebantur, quarum una Episcopo, altera Clero, tertia pauperibus, quarta denique Ecclesiarum restaurationi destinabatur. Quod clare significatur in cap. *Concessio* 12. q. 2. illis verbis: *Reditus & oblationes fidelium in quatuor partes dividat*, *quarum unam sibi*

e 2 *ipsi*

ipsi (Episcopus) *retineat; alteram Clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat: fabricis tertiam: quartam pauperibus, & peregrinis habeat fideliter erogandam, quarum rationem divino est redditurus examini.*

VII. His præmissis propinquius ad nostrum scopum accedimus, & prænotamus, tria esse bonorum genera, quæ habere potest Clericus, vel beneficiarius sæcularis; bona nempe *Patrimonialia*, sive sæcularia: *Ecclesiastica*; & *quasi Patrimonialia*. Bona Patrimonialia sunt, quæ per successionem acquiruntur, cap. *Episcopi* 12. quæst. 1. Bona Ecclesiastica sunt, quæ præcise de bonis beneficiorum proveniunt, quales sunt reditus annui. Bona quasi Patrimonialia sunt, quæ acquiruntur ratione Clericalis Ordinis, vel officii, aut alia ratione, quam juris recipiendi fructus beneficiales: talia bona sunt, quæ proveniunt intuitu celebrationis missarum, vel agendo Capellanos, Vicarios temporarios, Prædicatores, Confessarios, aut alios actus Spirituales exercendo. Supposito jam hoc triplici genere bonorum, quæ habere potest beneficiarius.

VIII. Certum est, quod Clerici sint pleni, & absoluti Domini bonorum Patrimonialium (conformiter tamen ad infra dicenda in responsione ad argumentum ultimum Adversariorum nostræ sententiæ) ita ut possint de iis inimpedibiliter disponere citra ullius juris læsionem. Dicitur enim in allegato cap. *Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant.*

An vero Clerici sint pleni, & absoluti Domini bonorum quasi Patrimonialium, posset esse dubium: & partem negativam tenet Innocentius in cap. *quia nos* de Testam. ex cujus cap. verbis finalibus (*de his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ acceperunt, nullum de jure possunt petere testamentum*) infert ille, bona quasi Patrimonialia exæquanda esse reditibus Ecclesiasticis, qui redeunt ex bonis beneficiorum, eo quod respectu dignitatis Clericalis, & non personæ quæruntur. Hanc sententiam omnino tutam, sed contrariam, utpote Communiorem etiam apud Antiquos, tanquam probabiliorem secure teneri posse arbitramur, dicendo, quod bona quasi Patrimonialia potius coæquentur bonis Patrimonialibus, quam Ecclesiasticis, tum quia bona quasi Patrimonialia acquiruntur ex bonis temporalibus: vel si acquiruntur ex bonis Spiritualibus, tunc plerumque ex istis acquiruntur ut merces laborum, & operum personalium; tum quia bona quasi Patrimonialia conferuntur per se sine ullo onere expresso, vel tacito distribuendi superflua pauperibus.

IX. Ast, quo præcipue collimat præsens *tractatus beneficiarius*, illud est, an Clerici sæculares sint pleni, & absoluti Domini bonorum, seu redituum beneficialium superfluorum (adeo ut de illis possint disponere sive inter vivos, vel etiam mortis causa, prout volunt, quantum ad hoc, ut non violent justitiæ leges, ac per consequens, ut non incurrant onus restitutionis: licet interea per abusum peccent pro rata materiæ graviter, vel leviter contra alias virtutes, secundum nonnullos contra obedientiam, secundum alios contra caritatem, vel denique secundum alios contra religionem) an vero Clerici non sint eorundem bonorum pleni, & absoluti Domini, sed meri duntaxat dispensatores, vel Domini restricti, ita ut citra justitiæ læsionem, non possint de iisdem bonis pro libitu disponere, sed superflua teneantur erogare in pauperes, & pias causas, hoc, inquam, est, quod hac nostra ætate graviter inter Doctores controvertitur.

X. Dico, hac *nostra ætate*; nam *a recentis memoria hominibus* (verba sunt P..uli Comir. S. J. Resol. Moral. lib. 1. quæst. 60.) *sæpe addubitatum est illud, quod ab Antiquis Magistris, & melioribus Auctoribus superioris, atque adeo nostra ætatis, in controversiam nunquam vocatum est, num ii, quibus Ecclesiastica Sacerdotia, beneficiaque mandata sunt, sint bonorum, fructuumque omnium, qui ex eis percipiuntur, veri Domini? Auctores nescio qui novam, & periculosam opinionem, post mille, & quingentos annos in Christianam rempublicam invehere conati sunt, eos, a quibus Ecclesiastica beneficia obtinentur, fructuum quos illa pariunt, veros esse Dominos: quorum ipsi opinionem in iis libris, quibus Parochorum officia persecuti sumus, omni machinarum genere convellere, atque evellere adorti sumus: horum hominum sensum a Conciliorum Decretis, a Romanorum Pontificum Sanctionibus, a Sanctorum Patrum sententiis, a Theologorum consensione, a sacrorum Canonum gravissimis explanatoribus, & a certissima ratione demonstravimus abhorrere.*

XI. Jam, cum clarus omnino in rem no-

nostram Sacræ Scripturæ textus non appareat, sequentes tres conclusiones ex statim memoratis locis Theologicis roborabimus, omnia ex unius veritatis, & justitiæ amore, *ex sinceritate*, *coram Deo*, *in Christo :* 2. Corinth. 2. Neque dum quæ vera, quæ justa sunt, enuntiamus, ullius offensionem, unde demum orituram, pertimescimus; fidelem namque Sanctæ Matris Ecclesiæ filium oportet pro veritate, & justitia agonizare. Sit igitur

CONCLUSIO PRIMA.

Clerici non sunt pleni, & absoluti Domini bonorum superfluorum.

XII. Dicendum: Beneficiarii Ecclesiastici non sunt veri, & pleni, & absoluti Domini redituum beneficiariorum superfluorum: peccant proinde graviter, eosdem vane, profane, & superflue impendendo. Catalogum texere Auctorum sententiæ nostræ patrocinantium supervacaneum judico. Quantum ad Antiquiores enim planum est, etiam ex Confessione Ad. nullum fuisse, qui hujus controversiæ mentionem fecerit, & non nostram sententiam prædocuerit. Quantum ad Auctores Recentiores cujuscunque scholæ iterum in comperto est, numerum esse ingentem illorum, qui nostræ assertioni suffragentur: unde nec istos recensuisse vacat. Neque enim multum est, Auctorum Catalogum texere, sed multo plus est propriam sententiam rite propugnare. Unde pro sententia nostra

XIII. Argumentor 1. sententia Ad. libertati, & cupiditati favens, vel est probabilior opposita favente lege, vel est æque probabilis, vel est minus probabilis; (contra Hoctetium non pugno, cum satis mentem meam aperuerim in *Anatomia Probabilismi*, ubi dixi, nefas, & illicitum esse sequi sententiam minus probabilem in occursu probabilioris.) Atqui sententia Ad. non est probabilior opposita, nec æque probabilis. Demonstro: si hæc sententia benigna (ut ajunt) est probabilior, vel æque probabilis, vel hanc majorem, aut æqualem probabilitatem sortitur ab auctoritate extrinseca, vel a ratione intrinseca; non a secundo, prout promovebo in posterioribus. Sed neque hanc majorem, vel æqualem probabilitatem sortitur ab auctoritate extrinseca, quod probatur. Auctoritatem extrinsecam sacra Concilia constituunt gravissimam. Jam sic illa sententia non est probabilior, nec æque probabilis opposita, dum hæc pro se plurima habet Sac. Concilia, illa vero nec ullum pro se rationabiliter allegare potest, atqui pro sententia nostra plurima numerantur Sac. Concilia, pro Ad. sententia nec ullum rationabiliter: ergo falsum est, quod Ad. sententia ex hoc capite sit probabilior: vel æque probabilis. Maj. ut certa supponitur. Min. Prob. & quidem fusius, ne plus nuper in publico aliquo auditorio dixisse videar, quam probare possim. Allego itaque Concilia, nuper tantum quoad numerum relata, seu potius allego Concilior. formalia.

XIV. Primo ergo Concilium Antiochenum Relat. in cap. *Episcopus* 12. quæst. 1 in rem nostram sic disserit: *Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia, & timore Dei: participet autem ipse, quibus indiget (si tamen indiget) tam in suis, quam in Fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis, ita ut in nulla qualibet occasione fraudentur, juxta S. Apostolum sic dicentem:* habentes victum, & tegumentum his contenti simus: *Quod si contentus istis minime fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos, & ejus commoda, vel agrorum fructus, non cum Presbyterorum conscientia, Diaconorumque pertractet, sed horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat, ut per hujusmodi personas occulte res lædantur Ecclesiæ, Synodo Provinciæ pœnas iste persolvat*, &c. Infero jam, qui tantum habet potestatem *ad dispensandum*, &c. dominio caret; dominium enim est jus, seu potestas disponendi de re aliqua tanquam sua. Et iterum, qui pœnas persolvere debet, ac *corrigi*, ut *ibidem* infra dicitur, non potest non peccare mortaliter, pœna enim, vel correctio in facie Ecclesiæ non potest non esse gravis; gravis autem correctio, vel pœna necessario supponit culpam gravem, ideoque peccatum mortale, cum pœna & culpa oporteat proportionari. Manet ergo ex Concilio Antiocheno beneficiarios (eadem enim est ratio de beneficiario, ac Episcopo quoad nostrum propositum) non esse dominos, sed dispensatores duntaxat bonorum Ecclesiæ, & si male dispensent, peccare mortaliter. XV.

XV. Secundo formalia Concilii Nicaeni II. Gen. VII. ann. 87. Can. 12. relati in Can. *quisquis* 12. q. sunt: *Omnium Ecclesiasticarum rerum Episcopus habeat sollicitudinem, & dispenset eas tanquam Deo contemplante. Non liceat autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare. Quod si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur: sed non sub horum occasione, quae sunt Ecclesiae, defraudentur.* Quae memoratum Concilium sumpsit ex Can. Apost. 39. porro in hoc Can. iterum notandum est, quod Episcopus (idem est de reliquis Clericis) continuo vocetur *dispensator*, & *non Dominus* rerum Ecclesiasticarum: Propterea notandum, quod in Graeco textu *fraudare* idem sit, ac *ἐπαιτίζεσθαι*, hoc est, sibi vindicare, & suum facere. Si ergo secundum dictum Concilium non licet Episcopo quidquam ex rebus Ecclesiasticis sibi vindicare & suum facere, quomodo ergo Episcopus rerum Ecclesiasticarum Dominus evadet? aut forsan praefatum Concilium exceptionem quampiam patitur? sed hoc non assero, nec alius asserere tentabit.

XVI. Tertio formalia Concilii Nannet. ann. 800. Can. 10. sunt: *Instruendi sunt Presbyteri, pariterque admonendi, quatenus noverint, decimas, & oblationes, quas a fidelibus accipiunt, pauperum, & hospitum, & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti: de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, & nisi eas fideliter pauperibus, & his, qui praemissi sunt, administraverint, damna passuros.* Si ergo Clerici *Domini* essent rerum Ecclesiasticarum, non bene dicerent Patres in dicto Concilio congregati, Clericos non debere decimis, *&c. tanquam suis*, sed quasi commendatis uti.

XVII. Hoc idem decernunt Concilium Turonens. III. ann. 813. Concilium Cabilonens. anno 814. Concilium Aquisgranens. ann. 836. Primum enim Can. 10. sic inquit: *Rebus Ecclesiae ita utantur, non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis.* Secundum vero Can. 6. habet: *Res Ecclesiae, quibus Episcopi non ut propriis, sed ut commendatitiis uti, pretia sunt peccatorum, Patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi viventium.* Tertium denique cap. 2. Can. 7. ait: *Scire convenit Praesulibus, res Ecclesiasticas, non ut proprias, sed a Domino sibi pro aliorum necessitatibus commissas esse.*

XVIII. Sed ut opinari licet, Adversarii ad allegata Concilia respondebunt, ea tantum loqui pro illo tempore, quo nondum fuerant erecta beneficia, nec constituti beneficiarii, sicut defacto sunt: adeoque citata Concilia non expugnare modernum beneficiariorum dominium in rebus Ecclesiasticis. At contra hanc responsionem videndum est, quandonam coeperint primo institui beneficia, adeoque & esse beneficiarii. Beneficia ergo erigi coeperunt, licet nondum ad eum, quo de facto sunt, modum, quando Episcopi Clericis ad certum tempus aliquam bonorum Ecclesiae partem concessere. Hoc autem factum fuisse circa saeculum sextum, colligitur ex Epistola Symmachi Papae ad S. Caesarium Arelatens. quae refertur 16. q. 1. in Canon. (*Possessiones*) *quas unusquisque Ecclesiae propriae dedit, aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis, atque distractionibus, vel sub quocunque argumento non patitur: nisi forte aut Clericis bonorum meritorum aut Monasteriis Religionis intuitu, aut certe peregrinis, necessitas largiri suaserit; sic tamen, ut haec ipsa non perpetuo, sed temporaliter perfruantur.* Haec ibi. Coeperunt ergo tunc possessiones Ecclesiae alienari Clericis, revocabiliter scilicet, & ideo proprie beneficia nondum erant. Postmodum vero cum frequentes orirentur querelae Clericos inter adversus Episcopos, eo quod de facili concessiones a Praedecessoribus factas revocarent, ne proinde querelae istae in majus malum vergerent, Concilium Aurelianense III. ann. 539. Can. 17. succurrere voluit cum statuto: *De Munificentiis Sacerdotum id observandum, ut si quid praesenti tempore habetur, vel possidetur, deinceps a successoribus nullatenus auferatur. Si pro opportunitate Episcopo placuerit, quod voluerit, commutare, sine accipientis dispendio, in locis aliis commutetur,* &c. Ex his igitur patet, tunc fuisse beneficia, licet ad eum omnino statum, in quo defacto sunt, plura erecta sint saeculo septimo, & octavo. Si ita est, quomodo cohaerebunt dicta Adversariorum, supra memorata Concilia nihil praejudicare modernis beneficiariis, eo quod pro tunc nondum fuerint erecta beneficia? Cum constet illa Concilia celebrata fuisse post qualem demum beneficiorum erectionem, & ex alia parte aequaliter sine exceptione, vel distinctione de omnibus rebus Ecclesiasticis locuta

cuta fuisse, sive res Ecclesiasticæ sub beneficii titulo, sive sub alio veniant.

XIX. Ex his pariter fit manifestum, arbitrariam esse ad sacra Concilia responsionem illorum, qui dicunt, eadem tantum locuta fuisse de rebus Ecclesiasticis ante divisionem bonorum Ecclesiæ in tres, vel quatuor partes: hoc enim veritati haud congruum esse, liquet ex eo, quod plura Concilia celebrata sint post divisionem bonorum Ecclesiæ in præfatas partes, quæ tamen Concilia Clericis plus non concedunt ex bonis Ecclesiæ, quam quod necessarium est ad honestam sustentationem; & ideo nunquam attribuerunt, sicut nec unquam possunt, ut patebit, attribuere dominium; reliqua proinde, quæ congruæ sustentationi, & statui sunt superflua, Clericorum committuntur dispensationi, cujus noverint, se aliquando in tremendo Dei judicio rationem reddituros.

XX. Sed ut adhuc insistamus Conciliorum Decretis, & Adversarios certiores faciamus, quod eadem Concilia fuerint locuta post divisionem bonorum Ecclesiæ, ac pro tempore, ubi jam fuerant erecta beneficia ad eum statum, quem defacto conspicimus, hinc iterum aliqua Concilia sunt audienda. Et quidem primum Concilium Rhedonense, quod ann. 1273. Can. 3. statuit: *Quidquid habent Clerici, pauperum est*. Synodus Excestrens. in Anglia ann. 1287. ita definit Canon. 18. *Ecclesiastici, quidquid vitæ suæ necessitati eis superfuerit de patrimonio Jesu Christi, in usus pauperum, quorum dispensatores existunt, tenentur ex debito erogare*. Concilium Tridentinum Sess. 25. *de Reform.* cap. 1. decernit, & *Omnino eis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent*. Concilium Rothomagense ann. 1581. de Monasteriis num. 4. habet: *Ne existiment commendatarii, sibi commendatum Monasteriorum regimen ad luxum, vel prodigalitatem, aut ad augendam rem suam, & consanguineorum familiam; sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, & quarum non habent proprietatem: Deoque de omnibus sibi reddendam esse rationem intelligant*. Hoc idem statuit Concilium Aquens. ann. 1585. de Monaster. Item Concilium Burdigalense ann. 1583. titul. 16. de Episcop. & iterum idem Concilium anno 1614. cap. 8. num. 4. sed brevitatis causa recensere supersedeo.

XXI. Hactenus *minorem* argumenti supra num. 13. positi per Sacrorum Conciliorum statuta probavimus, nunc eadem *min.* probanda est per summorum Pontificum Decreta. Dicit ergo Sanctus Gregorius Papa lib. 7. Epist. 8. *de portion bus Clericorum*, ad Leonem Episcopum Catanensium: *Volumus, ut quidquid Ecclesiæ tuæ ex reditu, vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare, atque eam secundum Dei timorem Presbyteris, Diaconis, ac Clero, ut tibi visum fuerit, discreto dividere: ita sane ut unicuique, sicut meritum laboris exegerit, libera tibi sit, juxta quod prævideris, largiendi licentia: quatenus & hi, qui merentur, etiam temporali se sentiant hoc commodo consolari, & alii adjuvante Domino eorum ad melius contendant imitatione proficere*. In quo loco bene notandum est, quod Sanctissimus Pontifex dicat, *secundum Dei timorem discrete dividere*, non vero ex arbitrio voluntatis disponere: *dividere* enim, præsertim secundum Dei timorem, non arguit exercitium dominii, quod tamen arguit *τὸ disponere*: dividere quippe etiam illi competit, qui nullo modo est Dominus rei dividendæ, non tamen *disponere* ei competere potest, qui rei non est Dominus. Deinde *τὸ secundum Dei timorem*, quid aliud innuere vult, nisi quod Episcopus rei Ecclesiasticæ dividendæ, vel largiendæ *dispensator* sit non vero Dominus: dispensator est, quomodo in alterum dominium transferet, quo ipsemet caret: *nemo* quippe *potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur*. Reg. Jur. 80.

XXII. Idem Beatissimus Pontifex pluribus in Epistolis id ipsum clare exprimit, & nominatim lib. 10. Epist. 33. ubi bona Ecclesiæ per Episcopum dilapidata ex bonis ipsius Episcopi, quæ ante Episcopatum possederat, restitui mandat; dicit autem lib. cap. circa medium: *Illud diligenter quærendum est, si quid male de rebus dilapidavit Ecclesiæ, ut ex eo, quod nunc abstulit, hoc reformare, ac satisfacere modis omnibus compellatur. Si autem differre tentaverit, quousque omne dilapidavit, vel de substantia tulit Ecclesiæ, restituat, in Monasterium mittendus est, ut saltem coactus reddat, quod male auferre non ti-*

timuit. Bone Deus! si hodie omnes dilapidatores bonorum Ecclesiæ in Monasteria mitterentur, sane Monasteriorum familia multum augeretur. Sed jam ad Gregorium Magnum: Ecce! dicit, *ex eo, quod abstulit*, si ergo abstulit, igitur *Dominus* non fuit: auferendo enim cuipiam fecit injuriam, non sibi, ergo alteri: injuria enim, & satisfactio pari passu ambulant; sicut ergo nemo sibi ipsi proprie satisfacere dicitur, sed alteri; inter satisfacientem enim, & inter offensum, seu creditorem requiritur alteritas: sic nemo seipsum injuriare seu lædere proprie dicitur, sed alterum: ergo si dilapidans bona Ecclesiæ *auferre* dicitur, restat, quod dominus non fuerit secundum Sanctum Gregorium.

XXIII. Præterea idem Sanctissimus Doctor ingenue fatetur, bona Ecclesiæ non esse, nisi pauperum res, & Patrimonia: & iterum summos in terris Christi Vicarios non esse nisi meros dispensatores bonorum, & redituum Ecclesiæ: obsecro jam, quo jure, quo tempore, quo Collatore beneficiati acquisierunt dominium in bona Ecclesiæ, quo caret ipsorum, & totius Ecclesiæ Caput visibile; an ergo servus supra Dominum, an discipulus supra Magistrum, hoc est jure, & potestate quoad bona Ecclesiastica? absit. Porro formalia verba Divi Gregorii, quod nempe bona Ecclesiæ sunt pauperum Patrimonia, ipsique Pontifices sint dispensatores eorumdem bonorum, referuntur in ejus vita a Joanne Diacono lib. 1. cap. 57. ubi de sæpius dictis bonis habetur, quod *pauperum res sunt*. *Nec debet esse verecundiæ ei aliquid de eleemosynis importune dicere, quem constat, non suas, sed ad dispensandum res pauperum habere . . . . . Dispensationis locum in rebus, sicut scitis, pauperum tenemus*.

XXIV. Sed longe ante Sanctum Gregorium hac de re clare disseruit Urbanus I. Epist. unic. cap. 2. & refertur in Canon. *res Ecclesiæ* 12. quæst. 1. nimirum *res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes, & Domino oblatæ cum summo timore non in alios quam præfatos usus sunt fideliter dispensandæ*. Verum quidem est, quod iste Sanctus Pontifex locutus fuerit ante divisionem bonorum Ecclesiæ, cum ad Pontificatus honorem anno ducentesimo vigesimo quarto evectus fuerit: veruntamen hoc non obstante optime favet nostræ sententiæ propter illam rationem, quod dicat, res Ecclesiæ esse *Domino oblatas*, quæ ratio manet ipsis rebus Ecclesiæ affixa, quomodocunque dividantur. Sed audiamus Pontifices longe post divisionem bonorum Ecclesiæ apertissime ad nostrum propositum loquentes.

XXV. Itaque Alexander III. qui ad regendam Ecclesiam electus fuit ann. 1159. in capit. *Fraternitatem* de donationibus ita loquitur: *Fraternitatem tuam credimus non latere, quod cum Episcopus, & quilibet Prælatus Ecclesiasticarum rerum sit Procurator, & non Dominus, conditionem Ecclesiæ meliorare potest, facere vero deteriorem non debet . . . . Unde quoniam donationes hujusmodi de jure non tenent, indulgemus tibi, ut liceat donationes hujusmodi tam a Clericis, quam a Laicis legitime revocare:* Sane quid clarius in rem nostram dici potuisset, non dispicio; unde reliquum nihil est, nisi ut dicatur, quod Pontifex in præsenti falsum Parisiensi Episcopo scripserit, quod ego quidem in æternum non asseruero.

XXVI. Hoc idem asseruit Innocentius III. qui Ecclesiæ gubernium anno 1198. suscepit, dum in cap. *cum secundum* de præbendis dixit: *Cum secundum Apostolum, qui Altari servit, vivere debet de Altari: & qui ad onus eligitur, repelli non debet a mercede, patet a simili, ut Clerici vivere debeant de Patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur, ut ipsa nominis ratio persuadet*, &c. Ecce! dicit Pontifex, quod Clerici vivere debeant de Patrimonio Jesu Christi, quomodo ergo Patrimonium dici potest Clericorum quoad potestatem, jus, vel dominium? rationem assignat idem Sapientissimus Pontifex, quod Clerici ex natura nominis dicantur in sortem, & hæreditatem Domini assumpti, ut revera cum coronato inter Prophetas decantare possint; *Dominus pars hæreditatis meæ*. Psal. 15.

XXVII. Pariter etiam bona Ecclesiæ Bonifacius VIII. anno 1294. Universalis Ecclesiæ Pastor pronuntiatus, *Patrimonium Christi* in cap. *cum ex eo* de Elect. in 6. appellat. Graviter etiam invehitur S. Leo IX. Epist. 10. ad Auximanos inquiens: *Abstineat manus audax ab Ecclesiastico Patrimonio, ne victus pauperum pereat, ne, quod ex oblatione fidelium jam Deo factum est sacrificium, præda raptorum fiat*. Idem denique colligitur ex constitutione moderatoria donationum, & distributionis reditu-

tuum

u m Ecclesiasticorum in Consanguineos, vel Affines, &c. est autem constitutio Innocentii Papæ XII. quæ incipit: *Romanum decet Pontificem.*

XXVIII. Hucusque ex Pontif. Romanorum Decretis *minorem* supra factam stabilivimus: jam stabilienda est ex Sanctorum Patrum documentis, & sententiis, quod si autem in hoc nonnihil fusiores simus, ægre nemo feret, Sancti Patres quippe sunt, qui non *sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo* locuti sunt, 2. Cor. 2. qui non novitatis & laxitatis, sed veritatis & justitiæ amantes, inspirante, dictante, calamumque regente Sancto Spiritu dixerunt, prædicarunt, scripserunt. Ægre, inquam, nemo feret, si plures Sanctorum Patrum pro thesi nostra allegamus doctrinas; quæ nemini tædium, vel nauseam, nobis tamen certo nunquam, non summam generabunt consolationem. Unum tamen hic non possumus dolore non prosequi, quod a plurimis SS. Patres in tradendis præcipui momenti sententiis alto silentio involvantur; sufficit quippe hodie non raro pro auctoritate ad probandam gravissimam sententiam apposuisse: *sic Diana*, sic *Caramuel*, &c. &c. sed præstat motos componere fluctus.

XXIX. Circa nostram controversiam itaque Sanctus Pater Hieronymus relat. in Canon. *quoniam* 16. quæst. 1. ita ad Damasum Papam scribit: *Quoniam quidquid habent Clerici, pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes: susceptioni peregrinorum, & hospitum invigilare debent, maxime curandum est illis, ut de decimis & oblationibus, Cœnobiis & Xenodochiis, qualem voluerint, & potuerint sustentationem impendant.* Et infra: *Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur. Qui autem bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium judicium sibi manducant, & bibunt.* Idem Sanctus Pater ad Nepotianum relat. in Canon. *Clericus*, 12. q. 1. pulchre in rem nostram disserit, quem locum lubet integrum recensere, ut Clericus ad vivum depingatur, qualis esse debeat; dicit autem: *Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum: & nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur. Si enim* κλῆρος *Græce, sors latine appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, id est, pars Clericorum est. Quia autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit,* Pars mea Dominus, Psalm. 15. *nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus: verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus fieri pars ejus non dignatur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter ceteras tribus: sed quasi Levita, & Sacerdos vivo de decimis, & Altari serviens, Altaris oblatione sustentor. Habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem, nudus sequar.* Quam optandum modo esset, ut Sancta Mater Ecclesia multos, ut omnes taliter a Sancto Hieronymo vestitos, immo nudos a temporalibus substantiis numeraret Clericos? sane Christiano-Catholicæ Universitati melius iretur consultum: at ecce! quam in multis non sine planctu & lacrymis contristatur: *Multorum siquidem est vocari Sacerdotes, sed non est omnium esse Sacerdotes*, inquit Sanctus Pater Augustinus *de bono viduitatis*, c. 7. ab argento, & auro, possessionibus, ac pretiosa supellectili deberent esse immunes, & vacui; & ecce! ipsimet non raro ad instar sæcularium, fallor, plus quam sæculares, præfatis bonis perniciosо affectu inhiant, damnabili effectu retinent. Victu & vestitu Apostolico contentos eosdem vivere oporteret: & ecce! utrumque si consideraveris nonnunquam, vel in nonnullis patribus, Clericum a sæculari non facile distinxeris: immo non distingues, quia utrumque jure optimo filium hujus sæculi judicabis. Dominus pars & hæreditas Clericorum esse deberet; at utinam subinde non quidpiam aliud nonnullorum esset pars, immo substantia, quod facile intelliges, etiam per nostrum silentium. Et ideo *non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant*: verba non sunt mea, sed Sancti Chrysostomi homil. 3. in Acta. Et ideo *per nos quidem* (Clericos) *fideles ad sanctum baptisma veniunt* (sermo

mo est Sancti Gregorii homil. 17. in Evangel.) *nostris precibus benedicuntur, & per impositionem nostrarum manuum a Deo Spiritum sanctum percipiunt, atque ipsi ad regnum Cælorum pertingunt: & ecce! nos per negligentiam nostram deorsum tendimus. Ingrediuntur electi Sacerdotum manibus cælestem patriam, & Sacerdotes ipsi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant.* Sed quo dilapsum sum? forsan nonnullos ex Sancto Patre Hieronymo contristavi? sed *non me pœnitet:* immo *gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis:* 2. Corinth. 7.

XXX. Sed jam ad alios Sanctos Patres. Et quidem Sanctus Pater Augustinus Serm. 53. ad Fratr. in Erem. relat. in cap. *nolo* 12. quæst. 1. præter plura alia in rem nostram inquit: *Qui habere voluerit proprium, & de proprio vivere, & contra ista præcepta facere, parum est, ut dicam non mecum manebit, sed nec Clericus erit.* Idem Sanctus Pater ad Bonifacium Epist. 50. relat. eadem Caus. & quæst. in Canon. *si privatum:* ita loquitur: *Si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum: si autem privatum possidemus, quod nobis sufficiat; non illa nostra sunt, sed pauperum: quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili usurpamus.* Idem iterum Sanctus Pater ibidem in Canon. *Certe ego,* inquit: *Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus, & Ecclesia sua, maneant ubi volunt, & ubi possunt: non eis aufero Clericatum: nolo habere hypocritas. Malum enim esse quis nesciat?*

XXXI. Sanctus Prosper lib. 2. de vita Contemplat. relat. in Canon. *expedit.* 12. quæst. 1. scribit, quod Sancti Episcopi, *non ut Possessores, sed ut Procuratores facultates Ecclesiæ possidebant; & idcirco scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vindicarunt in usus suos ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus, commune habet: nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, erogat, quando nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere.* Videtur tamen iste Canon non esse Sancti Prosperi, eo quod in dicto cap. *expedit,* hæc formalia non inveniantur, licet quoad substantiam idem habeatur ibidem, unde alii hunc textum Juliano Pomerio, doctrina & pietate conspicuo, Abbati Arelat. attribuunt; sed cujuscunque demum sit præfata sententia, id nobis, & omnibus veritatem & Ecclesiæ majus emolumentum spectantibus sufficere debet, quod eadem sententia in celebri Concilio Aquisgranensi solemni Patrum calculo approbata, & recepta fuerit.

XXXII. Hactenus Sanctos Patres in Canon. relatos audivimus, nunc aliorum extra Canon. mentem percipere lubet. Sanctus Bernardus itaque graviter in rem nostram sic disserit, Epist. 2. ad Fulcon. *Quid tibi cum sæculo, qui sæculum spreveras? funes ceciderunt tibi in præclaris, & tu opibus inhias terrenis? si vis habere hæc simul, & illa, breviter tibi respondebitur: memento fili, quia recepisti bona in vita tua. Recepisti, dixit, non rapuisti, ut etiam de hoc tibi frustra blandiaris, quod tuis contentus aliena non rapias: verumtamen quæ sunt illa tua? beneficia Ecclesiæ? recte, quia surgis ad vigilias, vadis ad missas, horis chorum nocturnis diurnisque frequentas, bene facis; sic Ecclesiæ præbendam gratis non accipis. Dignum est: ut qui Altari deservit, de Altari vivat. Conceditur ergo tibi, ut si bene deservis, de Altari vivas, non autem ut de Altari luxuries, ut de Altari superbias, ut inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea a collo, & manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de Altari retines, tuum non est, sacrilegium est.* Sane si S. Bernardo tanta attribuetur auctoritas, quantam meretur, nescio qui fieri posset, quo minus solus Doctor Mellifluus multorum Clericorum aperiret oculos, quos clausit cupiditas, ut melius viderent, reditus Ecclesiasticos non ad vanitatem & superfluitatem, sed ad necessitatem, ac Ecclesiæ utilitatem esse impendendos.

XXXIII. Sed plus ultra cum eodem Sancto Patre, qui justum timorem Clericis incutit, dum sequentia Sermon. 23. super Cantica scribit: *Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi reti-*

retineant, & in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non verentur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur. Necdum satis; idem quippe Sanctus Pater adhuc severius in arrogantes sibi dominium bonorum Ecclesiasticorum animadvertit, & declamat super illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia:* dicit autem, *Res pauperum non pauperibus dare, par Sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sane Patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum, & sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri & dispensatores, non utique domini vel possessores, ultra victum accipiunt, & vestitum. Nec enim ordinavit Deus his, qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere, aut habere delicias, vel ornatum, sed vivere (ait Apostolus) ex eo, ut videlicet sint contenti alimenta corporis, non irritamenta gulæ, aut incentiva libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere*. Quid si jam Clerici universim Apostolum, & Sanctum Bernardum audirent (prout in nostra sententia audire debent, & audiunt) foretne tunc tanta subinde lugendi ratio? quæ tamen ex quorundam Ecclesiasticorum fastu & bonorum Ecclesiæ abusu oritur: *serpit* enim *hodie* (verba denuo non sunt mea, sed ejusdem oris melliflui, *inter flores* capite 4.) *putida tabes superbiæ per omne corpus Ecclesiæ: & quo latius, eo desperatius: eoque periculosius, quo interius* . . . . . *Honorati* (Ecclesiastici) *incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde his, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frænis, in sellis, & calcaribus: & plus calcaria, quam altaria fulgent. Inde splendidæ mensæ, & cibis & scyphis: inde commessationes, & ebrietates*, &c.

XXXIV. S. Bernardo S. Raymundum de S. Matre Ecclesia optime meritum, eo quod decretales summorum Pontif. collegerit, jussuque & auctoritate Gregorii IX. publicæ luci ann. 1230. commiserit, subjungamus: quærit autem *in Summ. lib. 2. tit.* de rapt. & prædon. §. 6. An Ecclesiastici, si bona Ecclesiæ in malos usus, & vel inde ab Ecclesia minime intentos, nec intendibiles, vane & profane impendant, vel etiam ex illis testari audeant, censendi sint *raptores:* & respondet: *Videtur, quod sic. Primo, quia contrectant rem alienam invito domino; ait enim Hieronymus:* quidquid habent Clerici, pauperum est, 16. quæst. 1. Canon. ult. *item Augustinus.* Si privatim, quæ nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem, nobis usurpatione damnabili vindicamus: 12. quæst. 1. Canon. ult. & infra §. 8. *Dico, Prælatos, & Clericos, qui res Ecclesiæ talibus, vel similibus turpibus personis conferunt; vel etiam consanguineis, non propter naturam sustentandam, sed ut faciant eos divites de Patrimonio Crucifixi; item divitibus, & potentibus, non propter aliquam causam licitam, vel honestam, sed propter favorem sæculi, & pompam: tales, inquam, Prælatos, & Clericos, qui talibus conferunt bona Ecclesiastica pauperibus debita, dico esse raptores, & per consequens teneri ad restitutionem omnium*. Cur ita? quia *bona Ecclesiarum* (Sermo est Beati Alberti Magni in 4. Sentent. Distinct. 25. Artic. 4. ad 1.) *non sunt data Prælatis ad possidendum, sed ad dispensandum ad usum aliorum, scilicet pauperum; unde non possunt emere, vel vendere, vel etiam dare pro libitu suo, cui volunt, sed ad necessitates generales Ecclesiæ sunt expendenda*.

XXXV. His addamus & S. P. Antoninum in Summ. part. 3. titul. 15. §. 19. cap. 1. ita misso omni humano respectu loquentem: *De bonis, seu fructibus beneficiorum, quæ dant Clerici consanguineis, vel personis turpibus, utrum in dando peccent, & an teneantur ad restitutionem? Super hoc dicit Raymundus, quod Clerici, qui consanguineis, parentibus, vel meretricibus, & histrionibus, & similibus, bona Ecclesiastica pauperibus debita tribuunt, raptores sunt. Nam pauperibus debentur; unde ad restitutionem tenentur omnium pauperibus, vel in utilitatem Ecclesiæ*. Innititur autem ibidem Sanctus Antoninus potissimum Canoni *gloria* 12. quæst. 2. Ubi Hieronymus ad Nepotianum de vita Clericorum scribit: *Gloria Episcopi est pauperum inopiæ providere: ignominia Sacerdotis est propriis studere divitiis*. Et infra: *Amico quidpiam rapere, furtum est: Ecclesiam fraudare, Sacrilegium est; & accepisse, quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis, vel cautum esse velle, vel timidum, aut quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum cru-*

crudelitatem superat. Innititur præterea ibidem Sanctus Antoninus summæ & irrefragabili auctoritati Divi Thomæ ex 2. 2. quæst. 185. Sed cum infra ex mente ejusdem Sancti Doctoris Sententiam nostram efficacius simus roboraturi, hinc ad intetim auctoritatem Angelicam subticemus.

XXXVI. Supereſſent adhuc innumeri & nobis & adversariis probe noti *Sancti Patres*, doctrinam nostram apertiſſime tenentes, sed ne sententiarum copia, & mole Adverſariorum intellectus (aliunde nonnunquam satis delicatos) gravemus, & fatigemus, ideo pro hic & nunc plures recensere intermittimus: redibunt tamen subinde per decursum præsentis Tractatus Theologico-Moralis. Interea ante Sanctum Thomam audiendi sunt nonnulli omni exceptione majores Doctores. Guido a Baiiso Archidiaconus Bononiensis in cap. *Statutum* 2. *Aſſeſſorem* num. 13. de Reſcript. in 6. ubi hæc posuiſſet: *Quidam dicere voluerunt, quod Clericus, sive Canonicus facit fructus suos*, respondet; *sed hoc dicere, credo hæreticum eſſe jure noſtro. Nam meo judicio dicunt contra casum* Canon. 12. quæſt. 3. cap. 1. in Princip. *ubi eſt expreſſum de quocunque Clerico*. Hæc ille. Porro Canon ex Concilio Carthagin. III. c. 49. sumptus sic habet: *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus, vel Clericatus sui agros, vel quæcunque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum Dominicarum invaſionis crimine teneantur, niſi admoniti Eccleſiæ eadem ipsa contulerint*. Pergit deinde ibidem Archidiaconus in rem nostram de Clerico propria habere volente: *Dico ergo, salvo meliori judicio, quod non poterit salva conscientia providere de talibus reditibus, cum non ſint ſecundum veritatem proprii, ſed communes in pauperibus erogandi, vel in utilitatem ſuæ Eccleſiæ expendendi, ſi ſibi ſuperſunt. Et hoc ſatis dici poteſt per id, quod habetur*, 16. quæſt. 1. §. ult. in fine. Præterea idem Archidiaconus in capite *Episcopi* de rebus propriis *verſ.* de *frugibus* 12. quæſt. 1. dicit: Quod *in jure uſus tantum, & non proprietas rerum Eccleſiaſticarum, tam mobilium, quam immobilium conceditur Clericis*. Et addit; *nam præpoſitus, ſive Prælatus efficitur rerum Eccleſiæ diſpenſator*.

XXXVII. Ceterum primum Archidiaconi fundamentum erat a nobis jam cit. cap. *res Eccleſiæ* 12. quæſt. 1. ubi Urb. I. inquiebat: *Res Eccleſiæ non quaſi propriæ, ſed ut communes, & Domino oblatæ cum ſummo timore, non in alios quam præfatos uſus ſunt fideliter diſpenſandæ*. Ad hoc respondet Marſilius Columna. de Eccleſiaſt. redit. Orig. & jurepatron. 3. cap. 23. dictum cap. non patrocinari sententiæ Archidiaconi, cum invicem non pugnet, ut res Eccleſiæ alicujus ſint propriæ, non tamen ut propriæ habendæ ſint, ſed ut communes diſpenſandæ, ſecundum modum loquendi ab Apoſtolo 2. Corinth. 6. uſurpatum: *Sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes:* Et iterum 2. Corinth. 7. *Qui uxorem habent, tanquam non habentes ſint; & qui flent, tanquam non flentes*. Infert ergo Marſilius, Pontificem potuiſſe intelligere, ut quæ propriæ ſunt Clericorum, res Eccleſiæ ſcilicet, non quaſi propriæ habeantur, ſed tanquam Domino oblatæ, non in alios, quam præfatos uſus, quos ipſe dicit, ſint diſpenſandæ; ſed an jure dominii, vel nudæ adminiſtrationis diſpenſandæ ſint, id non explicat. Hæc ille, ſed torte admodum, & arbitrarie: nimirum quippe eſt, quod Marſilius adhuc dubitare velit num Pontifex jus dominii, vel nudæ adminiſtrationis per dict. capit. attribuerit, cum expreſſe poſuerit terminum excluſivum dominii; nimirum *fideliter diſpenſandæ*: ſecus ſi mens Pontificis fuiſſet, qualem Marſilius ſomniat, oportuiſſet ponere fideliter expendendæ ad tollendam in re gravi omnem dubietatem. Illud præterea non poſſum non mirari, quod Marſilius ex cc. tt. Apoſtoli pro ſua cap. interpretatione vim aliquam deſumat, cum mens Apoſtoli ſit, *ſicut egentes*, hoc eſt, ab aliis accipientes, ſed tamen quantum ad ſpiritualia *multos locupletantes*; ſecundum illud Proverb. 13. *Eſt quaſi pauper, cum in multis divitiis ſit*. Et iterum, *tanquam nihil habentes*, ſcilicet in temporalibus, quia omnia dimiſerunt propter Chriſtum, ſecundum illud Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes*, &c. Sed tamen interius, & in ſpiritualibus *omnia poſſidentes*, & hos ideo, quia ipſi vivebant non ſibi, ſed Chriſto; & ideo omnia quæ Chriſti ſunt, reputabant ut ſua; unde cum Chriſto omnia ſint ſubjecta, omnia poſſidebant. Ecce quam parum jam faveat Scripturæ textus Marſilio, ut exinde eruat, poſſe aliquam rem eſſe propriam alicujus,

non

non tamen ut propriam habendam, sed ut communem dispensandam. Pariter alter Apostoli textus in praesenti non favet Marsilio, ut nempe, *qui uxores habent, sint tanquam non habentes*, hoc est ut studeant servitio Dei, non autem operi carnali, debitum scilicet exigendo. Est autem notandum, quod tanquam non habens uxorem est qui vel uxori debitum reddit, nec exigit; vel propter infirmitatem uxorem ducit, dolens quod sine ea esse nequit: vel pari affectu continentiam custodit: vel causa generandae prolis ad cultum Dei uxorem propriam cognoscit. Jam quocunque ex istis modo habens uxorem sit tanquam non habens, nihil est ad rem nostram: habet quippe secundum carnem, est tanquam non habens secundum Spiritum: quid ergo hoc ad jus dominii Clericorum in bona Ecclesiae? nisi dicatur, quod habent secundum carnem & mundum, non habeant secundum Spiritum & Deum, adeoque secundum veritatem. Quod forsan Marsilio in mentem venisse mihi probabile est, dum dictum cap. alia via explicare allaborat.

XXXVIII. Dicit ergo Marsilius, verba Pontificis consilii, non praecepti legem respicere videntur: ait enim, res Ecclesiae summo cum timore esse dispensandas, quod si praecepti vim ea habere Pontifex voluisset, alia loquendi formula usus fuisset, ac potius poenam, quam timorem Dei, qui ad forum animae pertinet, considerasset. Haec ille: sed plane dolendum, quod si haec interpretatio subsistat, jam plurimi SS. Canones, qui prima fronte non commonstrant, an praecepti, vel consilii vim contineant, in deteriorem partem possint explanari, accedente praesertim, & adulante probabilismo. Praeterea si sola illa praecepti vim habent, quae sub interminatione poenae praecipiuntur, vel prohibentur, plane multae Conciliorum definitiones, Sanctorum Patrum sententiae, immo ipsiusmet Sacrae Scripturae textus erunt, qui non praecepti, sed consilii duntaxat vim continebunt, eo quod solus timor Dei, non vero immediate & explicite poena adjungatur. Quod si dubium est, an Sancti Pontificis sententia de praecepto sit, an de consilio; falsum est, quod hic libertas sit in possessione consilii contra praeceptum. Sic enim arguo: Secundum Sanctum Gregorium Magnum citat. sup. Ipsemet summus Pontifex, & visibile totius Ecclesiae Caput circa bona Ecclesiae *dispensationis locum* tenet. Secundum Sanctum Ambrosium in Epist. 31. ad Valentinianum Imperat. *nihil Ecclesia nisi fidem possidet, hos reditus praebet, hos fructus: possessio Ecclesiae sumptus est egenorum*; secundum Sanctum Augustinum Clerici *pauperum procurationem* gerunt. Secundum Sanctum Hieronymum, *quidquid habent Clerici, pauperum est*; ergo vel errarunt isti quatuor Ecclesiae Doctores & Columnae: vel dicendum est, quod verba S. Urbani contineant vim praecepti. Primum nemo dixerit. Secundum probat. En una parte stat, quod ipsemet in terris Christi Vicarius dispensator tantum sit redituum Ecclesiae: temerarium proinde est dicere, quod Pontifice inferioribus plus juris in eosdem reditus competat: iterum stat, quod, quidquid possidet Ecclesia, in usum pauperum possideat, quomodo ergo ipsa membra Ecclesiae aliter dictos reditus possideant? Jam sic: esse tantum de consilio, ut res Ecclesiae in usus a S. Urbano intentos fideliter dispensentur, & habere tantum procurationem, vel *gubernationem* Can. *nulli* 12. q. 2. sunt contradictoria; ergo Can. *res Ecclesiae*, est de praecepto, & non mere de consilio. Ant. prob. quod est de consilio tantum fieri potest, vel potest non fieri citra peccati noxam: ergo si res Ecclesiae dispensare, est de consilio tantum, & non de praecepto, fieri vel non fieri posset earundem dispensatio citra peccati noxam. Subsumo: sed si posset non fieri rerum Ecclesiae dispensatio, tunc falsum est, quod Episcopi, & Clerici rerum Ecclesiae sint tantum dispensatores, procuratores, vel gubernatores, contra praefatos primae notae quatuor Doctores, ergo demum Episcopi, & Clerici essent rerum Ecclesiae dispensatores, & procuratores, *&c.* & non essent, & ideo sequerentur contradictoria: a primo ad ultimum ergo relinquitur, quod saepius memoratus Canon *res Ecclesiae* praecepti, & non solum consilii vim habeat: si ita, firmissima manet nostra sententia ex Archidiacono.

XXXIX. Qui alia adhuc plura fundamenta pro stabilienda sua & nostra sententia: sed cum eadem partim jam in praecedentibus attulerimus, partim adhuc in sequentibus referemus, hinc sufficiet unum in praesenti adhuc recensuisse, ad quod Marsilius, nescio an ex vero spiritu & amore veritatis, an ex quo alio motivo

inex

inexpectatam plane adfert responsionem. Dicit ergo Archidiaconus, quod ex Canone Apostolorum Episcopi (idem est de reliquis Clericis) tantum *dispensatores* Ecclesiasticorum proventuum censendi sint secundum illud: *Præcipimus, ut in potestate sua res Ecclesiæ Episcopus habeat, ita ut potestate ejus omnia indigentibus dispensentur per Presbyteros, & Diaconos*, cap. *Præcipimus*. 12. q. 1. & iterum secundum illud: *Cum quis præpositus fuerit Ecclesiæ, omnium, quæ habuit Ecclesia, efficitur dispensator* c. *expedit* 12. q. 1. Demum adfert illud a nobis jam relatum ex S. Hieronymo ad Nepotian, Epist. 2. to. 1. *Habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam Crucem nudus sequar. c. Clericus* 12. q. 1. Ex quibus bene infert Archidiaconus, beneficiarios non dominos, sed dispensatores esse redituum Ecclesiasticorum, ita ut præter victum & vestitum nihil possint assumere. Jam ad hæc Marsilius citra negotium responderi posse autumat: dicit ergo, quod dum Ss. Canones *dispensandi* munus Episcopis tribuunt, dominium minime abnegent, *dispensatio quippe sua dominio continetur*, & *omnis, qui dominus est, dispensat*: verba sunt Marsilii. Sed hic plane non possum non vehementer mirari, si hæc Marsilii responsio tam facili negotio totam difficultatem solvit, cur in explicandis sanctorum Patrum sententiis *Consilii* adminiculo utatur: certe si Clerici, circa bona Ecclesiastica, sive dominii, sive dispensationis munus exerceant, adhuc revera dispensatores remanent, non video, quomodo amplius SS. Patres usque adeo contrarii forent, qui unice & continuo prædicant & inculcant, Clericos esse tantum dispensatores bonorum Ecclesiæ.

XL. Præterea non despicio, quid roboris inde deducat Marsilius, quod dispensatio sub dominio contineatur, & omnis, qui dominus est, dispenset; id enim gratis concedendo absolute nihil sequetur: aliud quippe est, quod omnis, qui dominus est, dispenset: & aliud est, quod *omnis, qui dispensat, dominus sit*. Hæc secunda propositio tam falsa est, quam falsa sit ista: *Est animal, ergo est homo*. Deinde si dispensatorem inter & Dominum nulla intercederet differentia, sed de se invicem converribiliter & mutuo prædicari possent, dum Apostolus 1. Corint. 4. Clericos *ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei nominat*, an etiam tunc, dispensator idem est, quod dominus? sed hoc nemo asseruerit; secus enim Spiritualium, & Ecclesiasticorum præcipue Sacramentorum, in quibus divina virtus secretius operatur salutem, dominium Ecclesiæ Prælatis & Clericis competeret, quibus tamen sola horum dispensatio est concredita; propter quam rationem mediatores sunt inter Christum & populum, secundum illud Deuteron. 5. *Ego sequester fui, medius illo tempore inter Deum, & vos*. Denique falsam esse Marsilii responsionem ad d. c. *Præcipimus*, 12. q. 1. ex tractatu de Justit. & Jur. convincitur, uti tradi solet, quibus modis dominium acquiratur, & alicui competat; & qua ratione dispensatio alicui concredatur; quæ quia supponimus cuilibet Theologo esse nota, hic recensere non vacat. Nec etiam cum temporis dispendio denuo refutare lubet illam responsionem ad cap. *Clericus* 12. q. 1. ubi Marsilius S. Hieronymum de consilio loqui, non de præcepto, asserit; cum de hoc in præcedentibus satis actum fuerit. Hactenus ex auctoritate Archidiaconi sententiam nostram stabilivimus; nunc alios nonnullos primæ notæ Doctores audire fixum est.

XLI. Ex Synodo Romæ celebrata ab Eugenio Papa II. qui Ecclesiæ gubernium suscepit ann. 824. habetur, *nulli Episcoporum liceat res mobiles, aut immobiles de subjectis plebibus, aliisque piis locis in proprio usu habere; ne majores enormiter locupletentur, & minores tali facto pauperes inveniantur. Contra agens, Canonica auctoritate coarctatus existet*. Refert. c. nulli 12. q. 1. jam ad hoc cap. celeberrimus Canonum Collator, & Doctor Gratianus sequentem format quæstionem, & respondet, verba ipsius sunt. *De rebus Ecclesiæ quæritur, an liceat eas per præbendas dividi, ut annuos reditus quisque sibi specialiter vindicet? hic ita respondetur: sicut perfectione caritatis manente, secundum discretionem Ecclesiarum distributio fit Ecclesiasticarum facultatum, dum aliis possessiones hujus Ecclesiæ ad dispensandum committuntur: ex quibus primum tamen sibi, & suæ Ecclesiæ deservientibus necessaria Episcopus subministret, reliqua, quæ supersunt, fidelium usibus ministraturus: ita & præbendæ Ecclesiarum, eadem caritate manente, pie & religiose possunt distribui; nec tunc rebus Ecclesiæ ut propriis, sed ut communibus utilitatibus deservituris, ut ex his, quæ sibi assignata sunt, primum sibi*

ne-

necessaria percipiat; si qua vero suis necessitatibus supersunt, in communes usus Ecclesiæ expendat. Quæ vero sint istæ communes Ecclesiæ necessitates, vel usus, per se patet: sunt nempe reparatio Ecclesiarum, & pauperum cura alendorum. Ex Gratiani proinde doctrinæ manifestum est, quod illo tempore, sæculo scilicet duodecimo, sententia nostra fuerit communis.

XLII. Innocentius III. Zamoren. Episcopo scribens inquit: *Cum secundum Apostolum* 1. Corinth. 9. *Qui Altario servit, vivere debet de Altario: & qui ad onus eligitur, repelli non debet a mercede: patet a simili, ut Clerici vivere debeant de Patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur, ut ipsa nominis ratio persuadet,* &c. Refert. c. *cum secundum* de præbend. & dignitat. Jam ad hunc locum Abbas Panormitanus, Doctor præstantissimus, vulgo *lucerna Juris Canonici* appellatus ita ratiocinatur: *Nota contra beneficiatos convertentes reditus in usus inhonestos: & crederem, quod si haberent Patrimonium, tenerentur de suo reddere Ecclesiæ quod male expenderunt.* Jam sic; nemo teneretur *de suo* reddere, quod in usus etiam malos impendit, si semel dominium plenum & absolutum illius habuit, prout patet in eo, qui fornicarie, vel alio modo inhonesto res *suas* expendit; ergo si secundum Panormitanum Clerici reddere tenentur Ecclesiæ de *suo*, si tamen aliunde habent, clarum est, secundum Abbatem, Clericos nec fuisse, nec esse rerum Ecclesiasticarum dominos, sed dispensatores tantum. Porro idem Panormitanus ad Can. 1. & 2. q.4. ita scribit: *Bona Ecclesiarum non sunt Prælatorum, sed Patrimonium Jesu Christi suo sanguine acquisitum, dominium Ecclesiarum; ergo pertinet ad Deum, & est contra Prælatos reputantes se dominos.*

XLIII. Plures adhuc celeberrimi Doctores ad manus essent, pro domo nostra apprime commendandi, sed ut brevi Doctorem, D. Thom. Aquinatem, inclytissimæ familiæ Dominicanæ, & totius Orbis litterati sidus fulgentissimum, percipiamus, hinc impræsentiarum unius adhuc meminisse lubet primæ notæ Doctoris Alexandri de Hales, qui p. 3. q. 36. memb. 5. art. 2. & 3. ita in rem nostram sententiam: *Clerici, qui in malos usus bona Ecclesiæ expendunt, sunt raptores & fures: quod concedimus secundum Bernardum scribentem ad Canonicum.* Quidquid, præter necessarium victum & vestitum de Altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. *Sed nunquid tenentur ad restitutionem, si habent aliunde, unde possint restituere? aliud certe non video; quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Mi Alexander! *ablatum* dicis, quod de bonis Ecclesiæ non ad debitos fines impensum est? si ergo ablatum est, alienum est, Clericorum non est. At si hac nostra ætate ita fidenter & assertorie scriberes, vel loquereris, profecto multum timerem, ne & tu offensionem incurreres, quam nos jam sæpius apud nonnullos Juniores incurrimus. At reponeres, & ego tecum; quid mea interest, dum non quid fiat, sed quid faciendum esset, obtendo.

XLIV. Jam ad S. Thomam, qui quidem, & satis frequenter ex duplici loco ab Ad. solet adduci, sed quantum faveat, videbimus, ut nemini non fiat manifestum, an tanto Doctori, qui summa semper S. Matris Ecclesiæ, & Conciliorum Decreta, SS. Patrum documenta, Pontificum placita, & statuta veneratione prosequebatur, in mentem unquam venerit, neglecta communi & universali doctrina, novam, laxam, SS. Canonibus, Sanctioribus Ecclesiæ regulis & antiquis legibus contrariam opinionem fabricare. Primus igitur S. Thomæ locus sit, qui communiter ab Ad. allegari solet, nempe ex quodl. 6. art. 12. quem in gratiam Ad. totum lubet referre, dicit ergo in corp. *Dicendum, quod aliter videtur se habere circa bona Ecclesiastica. Nam bonorum Patrimonialium, vel licite acquisitorum homo vere est Dominus, unde quantum pertinet ad conditionem ipsius rei, potest re sua uti ut vult, & ex hac parte non accidit peccatum; potest tamen peccatum accidere ex inordinato modo utendi vel super abundantiam, dum scilicet inutiliter consumit bona propria in ea, in quæ non oportet; vel secundum defectum, in quantum scilicet non erogat in ea, in quæ oportet. Utroque enim modo corrumpitur virtus, ut dicit in* 2. *Ethicorum. Bonorum vero Ecclesiasticorum Clerici non sunt vere domini, sed dispensatores, secundum illud* 1. *ad Cor.* 9. dispensatio autem mihi credita est. *Pertinet autem ad dispensatorem, ut fideliter distribuat ea, quæ ejus dispensationi committuntur, secundum illud* 1. *ad Cor.* 4. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. *In his ergo potest dupliciter peccatum contingere. Uno modo,*

modo, ex conditione ipſius rei, dum ſcilicet uſurpat ſibi quaſi rem propriam, & in uſus ſuos convertit id, quod eſſet aliis erogandum. Alio modo ex inordinato uſu eorum, quæ in partem ſuam cedunt, ſicut etiam de aliis dictum eſt. Verum quia horum diſpenſatio fidei diſpenſatoris committitur, ut dictum eſt, ſiquis bona fide diſpenſet Eccleſiaſtica bona, inde accipiens, quod ſibi convenit ſecundum conditionem ſtatus & perſonæ, & aliis largitur ſecundum quod ſibi videtur bona fide expedire, non peccat mortaliter, etiamſi forte aliquid plus in ſuos uſus convertat, quam oporteat. Talia enim, quia in ſingularibus eſt eorum judicium, non poſſunt per omnimodam certitudinem diffiniri. Unde ſi non ſit multus exceſſus, poteſt compati bonam fidem diſpenſatoris: ſi vero multus exceſſus fiat, non poteſt latere, & ita non poteſt cum fide diſpenſatoris hoc agi; ſi autem non conſervet bonam fidem in diſpenſando, peccat mortaliter.

XLV. Ex his non poſſum non mirari, quomodo Adverſarii tam aſſeveranter auctoritatem S. Thomæ ex hoc ipſo loco pro ſe aſtruere poſſint. Sed dicent forſan cum Proſper. Fagnano in 1. part. 3. Decretal. de pecul. Clericor. c. *ſi quis ſane*, S. Thom. d. l. diſtinguere inter reditus Hoſpitalium, & reditus beneficiorum; ex qua diſtinctione aperte colligi, *D. Thom. fuiſſe in hac ſententia* (verba ſunt Fagnani) *ut Clerici obtinentes præbendas & reditus quoſcunque Eccleſiaſticos in uſum Miniſtrorum principaliter applicatos, quamvis hujuſmodi reditus omnes per luxum diſpenſent, non tamen peccent contra juſtitiam, nec teneantur ad reſtitutionem*. Porro S. Thom. prædictam diſtinctionem faciens ita diſcurrit in reſpon. ad 3. *Aliter dicendum eſt de illis Eccleſiaſticis bonis, quæ principaliter ſunt attribuenda neceſſitatibus pauperum, & ex conſequenti neceſſitatibus miniſtrorum, ſicut ſunt præbendæ Clericorum, & alia hujuſmodi; nam in primis bonis peccatum committitur non ſolum ex abuſu, ſed etiam ex ipſa rerum conditione, dum aliquis in ſuos uſus aſſumit quod eſt alterius, & ideo tenetur ad reſtitutionem tanquam defraudator rei alienæ. In ſecundis vero bonis non committitur peccatum, niſi per abuſum, ſicut & de bonis patrimonialibus dictum eſt. Unde non tenetur quis ad reſtitutionem, ſed ſolum ad pœnitentiam peragendam.* Jam ad hanc S. Thom. reſponſionem danda eſt genuina expoſitio, ut ultimo videatur, quidnam hic loci velit idem S. Doctor; vult ergo d. l. S. Thomas primo, quod Clerici diſponendo de his, quæ ſibi ſpecialiter deputata ſunt, non peccent, perinde ac non peccant diſponendo de patrimonialibus. Vult ſecundo, quod Clerici expendendo de bonis Eccleſiaſticis ſecundum eam partem, quæ principaliter deſtinata eſt pauperibus, vel fabricæ, teneantur ad reſtitutionem. Vult tertio, quod Clerici etiam teneantur ad reſtitutionem quantitatis notabilis, ultra ea, quæ ad honeſtum, ſtatuique competentem victum ſufficiunt, ſi bona ſunt communia Clericis, pauperibus, & fabricæ. Sed en! conceſſis modo his omnibus, quid, quæſo, contra nos faciunt? non ſecundum, & tertium prout per ſe patet. Sed neque primum; quia nunquam negavimus, Clericos poſſe diſponere de his, quæ ſpecialiter ſibi deputata ſunt, perinde ac de patrimonialibus, in quorum mala diſpoſitione vel per abuſum, vel per exceſſum, *&c.* ſine dubio non tenentur ad reſtitutionem, ſed ſolum *ad peragendam pœnitentiam*.

XLVI. At quænam ſint illa, quæ ſibi *ſpecialiter deputata ſunt*, ſeu quænam ſit quantitas illa, quam Clerici tanquam ſuis uſibus neceſſariam ſibi aſſumere, & uſurpare poſſint, de hoc dubium eſſe poſſet. Adverſarii quoad hoc ſunt ſubinde juſto liberaliores: nos cenſemus illam partem Clericis eſſe deputatam, quæ virorum, Deum, legem, & conſcientiam pro oculis habentium, judicio ad honeſtam eorundem Clericorum, conſideratis conſiderandis, ſuſtentationem opus ſunt, & ſufficiunt: & hanc fuiſſe mentem S. Thomæ dicta Reſponſ. ad 3. arbitramur. Ex una quippe parte conſtat, quod S. Thomas in omnibus ſuis operibus Traditionum, & Canonum Apoſtolicorum & Eccleſiaſticorum fuerit obſervantiſſimus, iſti autem a nobis taxatam quantitatem aſſignant; ſi dubium itaque eſt de mente S. Thomæ in prædicta Reſponſ. ad 3. (præterquam quod ſe aperte declaret in corp.) ſecundum noſtram intelligentiam declarandus eſt idem S. Doctor. Ex alia vero parte ſi non adhibeatur noſtra interpretatio, ſequetur non modica laxitas, quæ a tam docto, tam ſancto Doctore tradita non niſi proterve aſſeveratur. Ponamus ſiquidem (ſecundum liberalem nimis Adverſariorum conceſſionem) Prælatum (exemplum, & verba ſunt Navarri de redit. Eccleſiaſt. quæſt. 1. Monit. 49.) cui

cui pro sua parte ducenta Ducatorum millia in reditibus a mensa Capitulari separata essent, perinde posse de illis omnibus disponere ac de suis patrimonialibus, & sicut dux saecularis de suis ducalibus; ac consequenter posset thesaurizare omnes illos reditus, si vellet, vel suis cognatis distribuere, si id mallet, emeretque ex illis quidquid in Regno venale inveniretur, si triginta annos viveret, retinens eos sine majori obligatione, quam dux; quod est contra Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 1. *de Reformat.* Quod si quis confessus fuerit, sanctum illum Doctorem non fuisse concessurum hoc de Praelato tantorum redituum, eadem ratione confiteri eum oportebit, eundem non fuisse assert urum de Praelato 150000. vel 100. millium redituum: neque de eo, qui haberet 50000. vel 40. millia, neque de habente viginti millia, vel decem millia, si sex millia sufficiunt ei honeste sustentando, quandoquidem eadem ratio, idem jus in omnibus illis suadet. Quod si pervicaciter replicetur, eundem sanctum Doctorem dicturum fuisse de omnibus, quibus nos asserimus esse absurdum, reponere possumus, Primo, ludibrio cuiquam fore Sanctissimum Clementem, quem citavimus cum aliis, & Concilium Carthaginense, & Tridentinum, & alia, quae ita sancivrunt, supellectilem Episcoporum debere esse curtam, mensamque pauperum, eisque debere victu & vestitu moderato contentos, impensasque sumptuosas ne faciant, ne fiat delicati, ne cognatos suos ditent. Deinde quod ignominia quaedam esset S. Thomae, tantae Sanctitatis & doctrinae viro, asserere, quod ipse dixisset, Hispaniae Praelatos, qui opulentos reditus suarum dignitatum separatos a mensa Capitulari habent, posse impendere perinde, ut patrimoniales; praedicando illum esse columnam, qua nitatur doctrina adeo ab Apostolica & Philosophia Christiana, immo & Ethnica aliena.

XLVII. Secundum locum S. Thomae admodum clarum allego ex Comment. in Epist. 2. ad Corinth. c. 12. Lect. 5. ubi haec habet: *Ergo cum Praelati fiat parentes nostri spirituales, videtur, quod male fecerunt principes, & alii, dando divitias Praelatis.* Responsio: *Dicendum est, quod non dederunt Praelatis propter se, sed propter pauperes; & ideo non dederunt eis, sed pauperibus. Et hoc Dominus monet.* Matth. 6. Thesaurizate vobis thesauros in Coelis &c. *Praelatis autem dantur tanquam pauperum dispensatoribus.* Locus iste, ut dixi, clarus admodum est, ita ut de mente S. Thomae in praesenti dubitari non deberet. Ceterum in hoc S. Thomae textu bene advertendum est, quod dicat: *Non dederunt Praelatis propter se, sed propter pauperes:* in hoc enim Adversarii graviter decipi videntur, eainde Clericis dominium plenum & absolutum adscribentes, quod bona Ecclesiae principaliter ipsis dentur, cum tamen hoc fallum sit, scilicet, quod decima & reditus Ecclesiastici donentur in solam clerici sustentationem, & non simul etiam in pauperum, aliorumque piorum subventionem.

XLVIII. Sed cum *Summa* sit ultimum & praecipuum S. Thomae opus, ex quo vera ejus sententia ut plurimum colligitur, hinc assertioni nostrae majus pondus accessurum arbitramur, si, quid in eadem summa sentiat, intelligamus. Et quidem 2. 2. q. 43. art. 8. ubi quaerit, *Utrum propter scandalum sint temporalia dimittenda*, respondet in corp. *Dicendum, quod circa temporalia bona distinguendum est; aut enim sunt nostra, aut sunt nobis ad conservandum pro aliis commissa, sicut bona Ecclesiae committuntur Praelatis, & bona communia quibuscunque Reipublicae Rectoribus, & talium conservatio sicut & depositorum, imminet his, quibus sunt commissa ex necessitate;* &c. Jam ex hoc loco ita licet arguere: Quemadmodum bona Reipublicae commendata sunt Rectoribus v. g. Consulibus, Decurionibus, &c. ita bona Ecclesiastica commissa sunt Praelatis; ergo sicut Rectores Reipublicae, Consules nempe, vel Decuriones non solum peccant, sed insuper tenentur ad restitutionem, si reditus publicos in alios usus, quam in quos deputati sunt, insumant, ita & Ecclesiarum Praelati non solum peccant, sed etiam tenentur ad restitutionem, si reditus Ecclesiasticos in alios usus, quam praefixos, & praestitutos impendant. Subsumo; atqui si peccant, & ad restitutionem tenentur, domini non sunt, ergo, &c. Iterum subsumo: sed ex mente S. Thomae cit. loc. Rectores Reipublicae, & Praelati Ecclesiae quoad bona communia, & bona Ecclesiae comparantur, ergo ex mente S. Thomae quoad utrosque eadem est obligatio.

XLIX. Idem S. Doctor 2. 2. q. 101. art. 1. ad 7. ubi cum sibi objecisset, quod

Papa secundum quosdam non potest committere Simoniam, respondet: *Dicendum, quod Papa potest incurrere vitium Simoniæ, sicut & quilibet alius homo; peccatum enim tanto in aliqua persona est gravius, quanto majorem obtinet locum; quamvis enim res Ecclesiæ sint ejus ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut domini & possessoris; & ideo*, &c. Si ergo secundum S. Thomam ipsemet summus Pontifex, ipsum totius Ecclesiæ Caput visibile, ipsemet Vicarius Christi in terris non est verus Dominus, sed solum dispensator redituum Ecclesiæ, absurdum plane, vix non dixissem temerarium est asserere, secundum S. Thomam plus juris in reditus Ecclesiasticos competere aliis beneficiatis, quos ipsemet S. Thomas infra quæst. 119. art. 3. ad 1. dispensatores tantum appellat; ubi inquit: *Prodigus peccat in seipsum, dum bona sua consumit, unde vivere deberet; peccat etiam in alterum consumendo bona ex quibus aliis deberet providere; & præcipue hoc apparet in Clericis, qui sunt dispensatores bonorum Ecclesiæ, quæ sunt pauperum, quos defraudant, prodige expendendo.*

L. Sed jam videndum est, quantum S. Thomas illo loco, in quo se potissimum Adversarii fundant, ipsorum sententiæ patrocinetur; nempe eadem 2. 2. quæst. 185. art. 7. ubi quærit, *utrum Episcopi mortaliter peccent, si bona Ecclesiastica, quæ procurant, pauperibus non largiantur*. Et in arg. *sed contra* deinde dicit; *Quod plures Episcopi ea, quæ supersunt, non largiantur pauperibus, sed expendere videntur laudabiliter ad reditus Ecclesiæ ampliandos.* Nunquid hic Clerici per S. Thomam jam sunt facti pleni, & absoluti Domini bonorum Ecclesiæ? sed ut verum fatear, quam parum ex aliis S. Thomæ locis id collegi, tam parum ex isto colligo. Totum ergo articulum ventilemus. Ait itaque *in corp. dicendum, quod aliter est dicendum de bonis propriis, quæ Episcopi possidere possunt, & bonis Ecclesiasticis; nam propriorum bonorum verum dominium habent; unde ex ipsa rerum conditione non obligantur, ut ea aliis conferant, sed possunt ea vel sibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri; possunt tamen in eorum dispensatione peccare, propter inordinationem affectus, per quam contingit, quod vel sibi plura conferant, quam oporteat, vel etiam aliis non subveniant, secundum quod requiris debitum caritatis; non tamen tenentur ad restitutionem; quia hujusmodi res sunt eorum dominio deputatæ. Sed Ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores, vel procuratores; dicit enim August. ad Bonifacium Epist.* 40. Si privatim possidemus, quæ nobis sufficiant, non sunt illa nostra, sed pauperum, quod procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus; *ad dispensationem autem requiritur bona fides secundum illud* 1. *ad Corinth.* 4. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, *&c. &c.*

LI. Hæc, ut opinor, satis aperta, & clara sunt. Sed jam videamus, quomodo illa, quæ sanctus Doctor ad objectiones a se factas respondet, cum dictis conciliari possint. Dicit ergo ad 2. (ex respons. enim ad 1. nihil colligi potest pro sententia contraria.) *quod bona Ecclesiarum non sunt solum expendenda in usus pauperum, sed etiam in alios usus, ut dictum est. Et ideo si de eo, quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis, vel aliis dare, non peccat*. In respons. ad 3. forsan ista favebunt, *quod non omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis*. Ad 4. dicit: *Si qui necessitate non imminente providendi pauperibus, de his, quæ superfluunt ex proventibus Ecclesiæ possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum, utilitati Ecclesiæ, & necessitatibus pauperum, laudabiliter facit*. Plura dicto loco non invenio; sed quæso jam, quid hæc pro benigna sententia? quid enim plus ex istis colligitur, quod ipsimet ultro non concedamus? ad primum enim haud gravate fatemur, quod si usui Episcopi, vel Clerici deputata sint 300. millia redituum v. gr. de his vero velit sibi subtrahere, parcius, & austerius vivendo, possit quantitatem sibi subtractam consanguineis, vel aliis dare, absque eo quod in usus pauperum expendat, peccatumque incurrat, cum enim operarius dignus sit mercede sua, si de mercede sua (quod respectu Clerici est illud, quod deputatur suo usui) sibi velit subtrahere, quis ipsum arguet de peccato; si illud in honestam sustentationem consanguineorum, vel aliorum impendat? Sed ex hoc nec ego, nec alius forte colliget, S. Thomam d. l. eo inclinasse, ut Clericis plenum, & absolutum dominium bonorum Ecclesiæ ad-

adscribat. Dix. tamen, *si illud in honestam sustentationem*, &c. *impendat*; adeoque ut illud faciat moderate, id est, ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant: dicit enim S. Ambrosius lib. 1. de Offic. cap. 30. *Hæc est approbanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas; non tamen, ut illos ditiores fieri velit ex eo, quod tu potes conferre inopibus*. Adeoque etiam in hoc casu propter immoderatum affectum ditandi consanguineos, vel alios, graviter peccari poterit impendendo de suo usui deputatis. Pariter ex secundo loco, nempe ex Respons. ad 3. nihil contra nos colligo, quis enim unquam nostrum somniavit, omnia bona Ecclesiæ (intelligo præcipue superflua) largienda esse pauperibus? Cum ex uno capite evenire possit, ut nulli sint pauperes, vel aliunde ex liberalitate sæcularium pauperibus sit provisum; ex alio vero capite finis expendendi bona Ecclesiæ non sit sola subventio pauperum, sed etiam reparatio, vel melioratio Ecclesiarum, quod fieri quoque potest reditus Ecclesiæ ampliando. Eodem modo ad illud 4. respondeo, Episcopum, vel Clericum laudabiliter facturum, si seclusa necessitate ex superfluis proventibus Ecclesiæ *possessiones emat*, *vel in thesauro reponat in futurum*, *utilitati Ecclesiæ*, & *necessitatibus pauperum*. Ex hoc enim nunquam evincitur, quod *laudabiliter* ista faciat ut plenus, & absolutus dominus, sed ut fidelis dispensator, & procurator bonorum Ecclesiæ. Ex his rite in utramque partem comparatis spero abunde patescere mentem S. Thomæ, cuinam sententiæ adhæreat; an veriori, & securæ, an vero laxæ, & falsi similiori.

LII. Sed reponunt Adversarii; si S. Thomas nostram sententiam docuit, cur id non expressit claris terminis, uti expressit v. g. Decretum prædeterminans; gratiam ab intrinseco efficacem, & sic plura alia? Respondeo, ex modo allatis nobis dubium nullum relinqui, quo minus dicatur clare denegasse Clericis dominium plenum, & absolutum bonorum Ecclesiæ: dato tamen, minime concesso, quod id claris terminis non præstitisset, dicerem, eam fuisse rationem, quod ejus ætate reditus Episcopatuum, & beneficiorum non adeo grandes fuerint, ut sunt hodie. Insuper Italia, quæ hujus tanti viri patria fuit, exiguos passim Episcopis reditus præbet. Gallia præterea, quam virtutum, & doctrinæ splendore illustrando visitavit, etiam non usque adeo opulentos Episcopatus numerat, quorum reditus septingentæ Abbatiæ, & Prioratus, baculo, & mitra insignes (quos regnum Franciæ teste quopiam auctore innominato apud Navarrum c. numerat) merito minuere censentur, adeo ut reditus, quos Episcopi illo tempore a mensa Capitulari separatos percipiebant, non tantum excedere, sed vix sufficere ad honestam sustentationem viderentur. Ad quid ergo fuisset necesse, ut S. Thomas pro suo tempore determinate clericis dominium bonorum Ecclesiæ denegaret (si aliunde tamen, ut ex dictis liquet, id non præstitisset) cum pro tunc ea sententia fuerit communis, a communi autem hic S. Doctor, veritatis, & non novitatis, securitatis, & non laxitatis amator nunquam recessit. At si hodie S. Thomas Episcopatus perlustraret, deprehenderetque ducenta, vel centum quinquaginta millia Ducatorum separata a mensa capitulari, nescio, an non forsan reponeret; *rapina pauperum in domo vestra*. Isa. 3. Nescio, quid responderet, si videret insumi beneficiorum reditus pari ratione, ac insumuntur reditus Patrimonii. Hoc scio, S. Thomam reclamaturum fore cum dicto, quod si nulla defacto divisio bonorum facta esset inter Prælatos, Capitula, & beneficiarios, sed omnia in communi manerent, nec Episcopo, nec alteri cuicumque Clerico quoad bona Ecclesiæ plus competere, quam dispensandi, & pro honesta sustentatione redizus accipiendi potestatem, & si secus nulla supposita divisione bonorum, quis facturus fuisset, eundem nedum mortaliter peccaturum, sed insuper restitutionis onus incursurum. Hoc iterum scio, S. Thomam esse ejusdem mentis, quod qui fecerunt divisionem, nec voluerint, nec potuerint dominium transferre, bonaque Deo dicata ab annexis oneribus liberare; ut brevi ostendetur Deo dante.

Hactenus sententiam nostram auctoritate, seu ratione extrinseca stabilivimus, & hinc probata manet *minor* principalis argumenti n. 13. propositi. Nunc ad rationem intrinsecam procedamus.

§. II.

Rationes fundamentales intrinsecæ.

LIII. ARgumentor ergo primo. Clerici non fuerunt pleni, & absoluti Domini bonorum Ecclesiæ ante divisionem; ergo nec sunt pleni, & absoluti Domini eorundem bonorum post divisionem. Ant. ut certum jam apud omnes supponitur. Cons. prob. si Clerici post divisionem fuerunt facti pleni, & absoluti Domini bonorum Ecclesiæ, tunc vel ex illo capite, quod *dividentes* voluerint, & potuerint tale dominium in clericos transferre; vel ex illo capite, quod ipsa divisio immutaverit naturam bonorum Ecclesiæ; sed ex neutro capite hoc fuit factum, aut fieri potuit, ergo nec post divisionem bonorum sunt pleni, & absoluti Domini. Maj. videtur esse indubitata, licet nuper a non nemine vix non negata fuisset, sed quo fundamento, non dispicio, supponit enim cum omnibus suæ sententiæ doctoribus, Clericos non fuisse plenos dominos ante divisionem, ergo si post divisionem sunt Domini, necessarium omnino est, ut aliquo ex prædictis modis acquirant dominium. Prob. ergo min. 1. quoad 1. memb. seu quod *dividentes* non voluerint tale dominium transferre in Clericos. Sic igitur, longe alia fuit intentio dividentium bona Ecclesiæ, quam ut transferrent dominium in Clericos, ergo dividentes minime *voluerunt* transferre tale dominium. Ant. Prob. cum Pontifices fuerint moti ad faciendam divisionem, ratio fuit, ut tollerent rixas, dissidia, & lites, quæ Episcopos inter, Capitula, fabricarios, & eleemosynarios sæpe sæpius insurgebant, cum enim Episcopi res Ecclesiæ in sua potestate haberent, ita ut eorundem potestate Indigentibus omnia dispensarentur per Presbyteros, & Diaconos cap. *præcipimus* 12. q. 1. interea tamen beneficiariis & reliquis congruam, quam tenebantur, portionem non subministrabant, hinc ad amovendas & præcavendas plures discordias, & incommoda consultum, immo necessarium judicatum fuit, ut bona Ecclesiæ dividerentur in certas portiones: ergo falsum est, quod Pontifices dividendo bona Ecclesiæ *voluerint* transferre dominium in Clericos.

LIV. Prob. eadem min. secundo: si divisores præter finem tollendi rixas, *&c.* quas rerum communio frequentissime solet post se trahere, ut patet Genes. 13. *Facta est rixa inter pastores Abraham, & Loth*, adhuc alium prudentem finem faciendi hanc divisionem potuerunt habere, immo videntur certo habuisse, non est censendum, & præsertim sine fundamento, quod voluerint habere hunc finem, ut Clericos efficerent plenarios dominos bonorum Ecclesiæ: sed divisores potuerunt habere, immo videntur certo habuisse alium prudentem finem; ergo, *&c.* Maj. patet, ex una parte enim agitur de causa cultus divini, & bono pauperum, ex alia vero parte agitur de libertate, & commoditate Clericorum, ergo si habetur prudens ratio, & finis pro causa cultus divini, & bono pauperum, & nulla prudens ratio habeatur pro libertate Clericorum, pro priori parte standum est, non item pro posteriori. Prob. ergo min. divisores potuerunt habere, immo certo videtur habuisse hunc finem, ut scilicet res Ecclesiæ facilius, & pro bono communi Ecclesiæ commodius administrentur per plures, quam per solum Episcopum, absque eo, quod ullum onus annexum tollerent, nempe alendi pauperes ex superfluis, vel reparandi Ecclesias, *&c.* quod rationi valde consonum est, cum enim reditus Ecclesiæ illis temporibus quotidie respective ex liberalitate fundatorum crescerent, difficile nimis videbatur, ab uno duntaxat Episcopo bene posse administrari, cujus cura potior debuit fuisse, & adhuc esse in bene gubernandis animabus hominum pretiosioribus, sibi principaliter creditis. Quin immo hac ratione magis, & magis, exstimulabantur fideles ad faciendas pias fundationes, cum viderent bona a se collocata melius sic a pluribus administrari. Jam vero stante hoc prudentissimo fine, quod divisores non *voluerint* Clericos efficere plenarios dominos bonorum Ecclesiæ, exinde convincimus; sicut si administratores Reipublicæ suæ commoditatis causa agrum ad faciliorem culturam dividerent, exinde non vellent aliquid a prioris naturæ conditione immutare, nec ullum onus adjunctum tollere; quia etiam post divisionem, sicut ante, singuli divisarii possent conveniri in defectu alterius, ita etiam administratores Ecclesiæ, dum diviserunt agrum dominicum (intelligo bona Ecclesiastica) non sunt existimandi, quod *voluerint*, agrum dominicum a prioris naturæ conditione immutare: nec ullum onus

onus adjonctum tollere, sed relinquere in ea conditione, in qua fuit ante divisionem, in qua non suberat dominio Clericorum, sed existimandi sunt, quod hanc divisionem *voluerint* facere tum ob majorem suam commoditatem, ut scilicet possint facilius gerere magis curam animarum, quam pecuniarum: tum ob commodiorem, melioremque culturam ipsiusmet agri Dominici. Atque hos fines, rationi, & juri consonanres, Pontifices in divisione bonorum Ecclesiæ respicere *voluisse*, merito judicatur, adeo ut homini bonæ voluntatis intelligendi, ut bene agat, dubium rationabile esse possit, an Adversarii canonice minus, quam Religiose loquantur, dum Pontificibus dividentibus bona Ecclesiæ hunc injustum, & rationi, & Canonibus omnibus contrarium finem affingunt, quod nempe Pontifices bona beneficiorum voluerint per divisionem efficere patrimonialia, ab antiquo onere tribuendi superflua pauperibus, aliisque piis causis.

LV. Jam Probat. eadem *minor* principalis Arg. n. 53. propositi quoad alterum membrum, seu quod divisores nec *potuerint* tale dominium in Clericos transferre. Sic igitur: si divisores transtulissent dominium in Clericos per divisionem, hæc ipsa translatio fuisset injusta: sed ex hoc, quod fuisset injusta, manifestum est, quod non potuerint transferre, ergo, &c. Min. patet, dicendum enim non est, quod divisores in dividendo voluerint peccare. Maj. Prob. dispositio, vel divisio, quæ tantum est ad diminuendum, si induceret augmentum, esset injusta. Sed divisio bonorum Ecclesiæ tantum ad diminuendum: ergo si induceret augmentum, esset injusta. Maj. constat. Min. Prob. divisores bonorum Ecclesiæ penes meliorem eorundem bonorum provisionem, has dispositiones, & divisiones fecerunt, ut minuerent potestatem Prælatis Ecclesiastica bona pro libito insumentibus, & sæpe nihil, vel non satis distribuentibus Canonicis, Clericis, fabricis, vel pauperibus: ergo si divisores in ipsos Clericos transferrent dominium, non diminuerent, sed augerent illis potestatem, qua ante divisionem proprie carebant; Cum de facto omnes cum S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. & quodl. 9. art. 12. fateantur, Clericos ante divisionem non habuisse aliam potestatem, quam victum, & vestitum honestum sibi desumendi, reliqua vero pauperibus, & piis causis debebantur. Jam subsumo: atqui si divisores augerent potestatem, hæc esset injusta: adeoque & ipsa translatio dominii injusta esset: iterum subsumo. Si esset injusta, dici non potest, quod divisores *possint*, vel *potuerint* eam facere; quia idem esset, ac dicere, Pontifices in his, quæ spectant ad fidem, vel saltem ad mores, posse, aut potuisse errare, & peccare; quod nemo Catholicorum concesserit.

LVI. *Minor*, quoad idem membrum Prob. 2. Si Pontifices *potuerunt* dominium transferre in Clericos per ipsam divisionem, vel hanc potestatem habuerunt a se, vel aliunde; sed nec a se, nec aliunde habuerunt, ergo nec transferre potuerunt. Min. Prob. non habuerunt aliunde, id enim hactenus nec authentice probatum est, nec probabitur: somniare autem multa possumus, sed aliud est probare. Nec habuerunt a se; si enim juxta Concilia relata, item SS. Patres, ac etiam præcipue S. Thomam supra recensitum, ipsimet Pontifices *dispensandi* tantum gaudent munere quoad bona Ecclesiastica, quomodo jus, & potestatem transferrent in alios, qua ipsimet carent? Cum *nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*, R. l. 79. certe absurdum valde est, immo & temerarium dicere, quod Pontifices *dispensatores* tantum sint redituum Ecclesiæ, & beneficiarii inferiores jam facti sint plenarii Domini eorundem redituum. Certe, si hodie fierent (quæ quondam factæ fuerunt) divisiones inter Abbates, Priores, suosque Conventus, & Hospitalia nonnullorum Monasteriorum opulentorum, quæ per solos Prælatos gubernari consueverunt, certe, inquam, nemo nisi temere assereret, Abbates, Priores, & Canonicos per similem divisionem eo conditionis devenisse, ut libere suas portiones (quantum ad rationem dominii) possent prodigere. Profecto reclamaret Innocentius III. Relat. cap. *edocere* de Rescript. quoad portiones, quæ ad ipsam Hospitalitatem, pauperes, & fabricam pertinerent. Sed cur illud nemo nisi temere assereret? responsio in promptu est, quia nimirum nec ipsi Prælati in suos tale dominium transferre potuerunt, cum ipsimet dominio caruerint; nec saltem ipsi Prælati quoad suam portionem plenarii Domini effecti sunt, cum per similem divisionem eorundem facultas administrandi potius diminuta sit, quam aucta.

LVII.

LVII. Sed forte respondebunt, uti mihi responsum fuit, ad hanc probationem, dominium bonorum Ecclesiæ translatum fuisse in Clericos per ipsam Ecclesiam. Sed jam promoveo argumentum. Si per Ecclesiam tale dominium in Clericos translatum est, incumbit Adversariis probare, quo tempore, quo Pontifice id factum fuerit: sed hoc tam parum probabunt, quam parum revera factum est. Sed ut a Priori discurramus: per *Ecclesiam* hic aliud intelligere non possunt, quam totum Concilium legitime congregatum, & a Pontifice approbatum: hoc enim in ordine ad illa, quæ spectant ad fidem, & ad mores repræsentat totam Ecclesiam, quæ recipit, vel reprobat, quod totum Concilium recepit, vel reprobavit. Jam sic; nec unum Concilium legitime congregatum, ac a Pontifice approbatum Adversarii assignare possunt, quod vel a longe videretur translulisse tale dominium in Clericos, immo vero non sat multa possumus assignare apertissime contraria, ut visum in præcedentibus. Nec sibi blandiantur de Concilio Tridentino; etenim & hoc ipsis non favere, sed omnino esse contrarium visum jam est, & adhuc videbitur infra. Nec mirum, quod nullum Concilium assignare possint: cum enim Concilium non sit supra Pontificem, ipse vero Pontifex plus non gaudeat, quam dispensatione quoad bona Ecclesiæ, quid ergo plus competit toti Concilio, quam dispensatio. Jam hæc contraho: nec Pontifex, nec totum Concilium legitime congregatum, & approbatum potest in Clericos transferre dominium bonorum Ecclesiæ, ergo nec ipsa Ecclesia potest transferre, cum per hanc in præsenti nihil aliud intelligatur, quam ipsum Concilium. Ex hactenus dictis stabilita manet *minor* principalis argumenti quoad 1. partem, h. e. quod divisores nec *voluerint*, nec *potuerint* per divisionem dominium transferre in Clericos: nunc ergo probanda venit secunda pars ejusdem *minoris* h. e. quod ipsa divisio non immutaverit naturam bonorum Ecclesiæ.

LVIII. Prob. ergo eadem *minor* quoad 2. part. divisores nec voluerunt, nec potuerunt *immutare naturam bonorum Ecclesiæ*, ergo per ipsam divisionem non est immutata natura bonorum Ecclesiæ. Ant. Prob. quoad 1. memb. divisores non voluerunt præjudicare bono communi totius Ecclesiæ: sed si voluissent immutare naturam bonorum Ecclesiæ: præjudicassent bono communi totius Ecclesiæ, ergo non voluerunt immutare naturam eorundem bonorum. Maj. Prob. si divisores voluissent immutare naturam bonorum, tunc Clerici ex istis bonis, si haberent beneficia separata, & reditus separatos, non possent compelli ad reficienda v. g. tecta & alia ædificia illius Ecclesiæ, cum serviunt, de his, quæ illis superfunt: atqui si hoc modo non possunt compelli, non leve orietur præjudicium bono communi totius Ecclesiæ: Maj. videtur ex eo constare, quia sicut de bonis, & reditibus Patrimonialibus, quos aliunde possident, Clerici non possunt compelli ad prædicta præstanda, ita etiam ex istis bonis non poterunt compelli; quia si divisores bonorum Ecclesiæ eorundem naturam immutare voluerunt, jam illa bona Ecclesiæ naturam bonorum Patrimonialium induerent. Ex his Prob. min. seu quod non leve exinde præjudicium bono communi totius Ecclesiæ oriatur. Si enim & iste, & ille, & sic ulterius, compelli non possunt ad reficienda tecta, & alia ædificia, quot Ecclesiæ manebunt irreparatæ? dum interea Clericorum domus subinde ad splendorem, & luxum reparantur, vel ædificantur. Dicebat Bernardus declamans in illud: *Ecce nos reliquimus*, Clericus *non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut superfluitate dispergat... Nec enim ordinavit Deus his, qui Evangelio quærere, aut habere delicias, vel ornatum, sed vivere* (ait Paulus 1. Corint. 9.) *ex eo, ut videlicet sint contenti alimenta corporis, non irritamenta gulæ, aut incentiva libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere*: agnoscebat ergo Bernardus in Clericis debitum, ut de superfluis repararent Ecclesias, S. Supellectilem augerent, *&c.* ne ceteroquin commune bonum Ecclesiæ in populis pateretur. Verbo, Clericos *ad reparationem, & institutionem Ecclesiarum*, de his, quæ supersunt esse obligatos, manifestum facit cap. *de his*. De Eccles. ædif.

LIX. Jam Prob. eadem min. Quoad alterum membrum, seu quod divisores non *potuerint* immutare naturam bonorum Ecclesiæ etiam post divisionem adhuc retinere debent eosdem fines principales, quos respiciebant bona antiqua seu ante divisionem, tunc divisores per ipsam divisionem, eorundem bonorum naturam immutare *non potuerunt*: atqui retinent eosdem fines principa-

cipales, quos respiciebant ante divisionem, ergo &c. Maj. patet, quia natura bonorum Ecclesiasticorum desumitur præcipue a fine, qui quamdiu stat, etiam stat, rem esse bonum Ecclesiasticum. Min. Prob. etiam post divisionem stat finis principalis bonorum Ecclesiæ, scilicet quod sint specialiter *Deo oblata*, & *consecrata*: atqui quod est semel specialiter Deo oblatum, & consecratum, per nullam divisionem fieri potest, ut non sit Deo specialiter oblatum, & consecratum; secus enim post factam divisionem jam posset ad usus profanos deservire, cui reclamant Concilia, & SS. Patres, & nominatim S. Prosper, vel Julian. Pomerius lib. 2. *de vit. contemplat. capit.* 16. inquiens: *Si Dei sunt ea, quæ conferuntur Ecclesiæ, Dei opus agit, qui res Deo consecratas, non alicujus cupiditatis, sed fidelissima dispensationis intentione, non deserit. Quapropter possessiones quas oblatas a populo suscipiunt Sacerdotes, non sunt inter res mundi deputari credendæ, sed Dei. Quoniam si vestes, ac vasa, & cetera, quæ in sacros usus ministrantibus erant, sancta vocabantur; nec in usus humanos revocari jam poterant, divinis semel ministeriis consecrata: quomodo non ea, quæ conferuntur Ecclesiæ, sacra credenda sunt, quibus non ut sæculi rebus luxuriose, sed sancte ut Deo consecratis utuntur ad necessaria Sacerdotes?* Ergo demum etiam post divisionem bona Ecclesiastica manent Deo oblata, & specialiter consecrata. Subsumo, sed si post divisionem manent Deo oblata, & consecrata, fieri non potest, ut per divisionem naturam suam mutent: & iterum fieri non potest, ut Clerici sint eorundem pleni Domini; ideo enim etiam secundum Ad. Clerici ante divisionem non erant bonorum Ecclesiasticorum Domini, sed erant ex justitia obligati, iis tantum uti ad alendos Ecclesiæ Ministros, ac pauperes, & ad restaurandas Ecclesias, quia hæc bona intuitu oblationis, & consecrationis Deo factæ, illis concessa fuerant sub præfata expressa conditione.

LX. Prob. ulterius, per divisionem non potuisse immutari naturam bonorum Ecclesiæ. Pono casum, quo dividatur hæreditas aliqua multis debitis gravata in quatuor v. gr. partes, ita ut quivis hæres acquirat quidem sibi totam portionem, sed una cum onere satisfaciendi creditoribus: hoc posito sic argumentor; quam parum in isto casu divisores hæreditatis potuerunt hæredes efficere plenos, & absolutos dominos portionis sibi determinatæ, quin non ex gravi obligatione tenerentur creditoribus facere satis, tam parum divisores bonorum Ecclesiæ *potuerunt* ea ita dividere, ut divisarios efficerent plenarios, & absolutos dominos portionis sibi determinatæ, quin non ex gravi obligatione tenerentur creditoribus, nempe pauperibus, & Ecclesiis facere satis; atqui prius est verum, etiam per Ad. ergo & secundum debet esse verum. Prob. autem paritas maj. 1. ideo in priori casu id fieri nequit, ut hæredes sint pleni, & absoluti Domini absque restitutionis onere, quia ut sic læserunt graviter jus tertii: atqui in nostro casu semel pro semper læditur graviter jus tertii, Ecclesiarum nempe, & pauperum, qui jus acquisierunt in bonis Ecclesiasticis nedum per conditionem tacitam, vel interpretativam, sed omnino per conditionem expressam: ut infra patebit. Prob. eadem paritas secundo. Ideo hæredes non sunt pleni, & absoluti Domini portionis sibi adscriptæ, & tenentur graviter ad satisfaciendum creditoribus, quia sicut in commodo, sic etiam in onere succedunt in locum testantis, seu principalis debitoris, qui nec ipse plenus, & absolutus Dominus fuit totius suæ substantiæ, cum citra injuriam creditorum non potuisset de bonis suis disponere ad omnem usum, etiam ceteroquin licitum. Atqui etiam ipsi divisarii in bonis Ecclesiasticis, per divisionem substituuntur principali eorundem bonorum administratori, nempe Episcopo: Cum ergo Episcopus ante divisionem non fuerit plenus, & absolutus Dominus, sed universa Ecclesiæ bona tanquam fidelis dispensator administrare potuerit, sumendo sibi pro honesto victu & vestitu necessaria, reliqua vero ad fines præfixos impendendo, sic etiam dicendum non est, quod Clerici qui succedunt Episcopo in commodo, & onere, non teneantur ad id, ad quod tenebatur Episcopus; adeoque ad gubernandas eodem modo sibi assignatas partes, sicut Episcopus gubernabat totam substantiam nempe ut sibi sumant necessaria pro honesto victu & vestitu, reliqua vero in egenos, & Ecclesiæ fabricam erogent. Atque his concludo primam meam rationem fundamentalem intrinsecam, & paucis repeto: Clerici non fuerunt pleni, & absoluti Domini ante divisionem bonorum Ecclesiasticorum, ergo nec sunt eorundem Domini post divisionem.

LXI.

lumentum, silentio involutis Evangelio, Apostolis, Prophetis, Canonibus, *&c.* jam communem persuasionem facere possunt nonnullæ ratiunculæ, Patrum, Canonumque tortæ expositiones, cum quopiam recentiorum numero. Satis.

LXIII. Immo necdum satis: communis persuasio esse non potest pro illa sententia, quæ nihil nisi novitatem sapit: quæ moribus laxandis materiam subministrat copiosam, dum interea sententia opposita animabus est longe salubrior, moribus reformandis longe aptior ex Concilii Tridentini cap. 1. *de Reform.* Sess. 25. Pietati, & Religioni favorabilior, quippe quæ causam Christi, & pauperum defendit. Profecto communis persuasio esse non potest pro illa sententia, quæ bona Ecclesiastica cum bonis Patrimonialibus ita confundit, ut jam reditus Ecclesiastici Papæ, Patriarcharum, Primatum, Archipræsulum, Præsulum, aliorumque beneficiariorum parum, immo dico nihil, differant a profanis reditibus Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, aliorumque Laicorum; sicut enim hi posteriores reditus, ita secundum sententiam contrariam Priores reditus liberrime quantum ad disponendi, insumendique potestatem, expendi possunt. Et quod adhuc intolerabilius est: si Laici suos reditus vane, & profane nimis prodigant, solet (& bene facit) invigilare Respublica, vel legitimi Superiores, constituendo Curatores, *&c.* vel determinando, quantum computatis computandis talis persona prodiga insumere posset; si vero persona Ecclesiastica suis reditibus vane, & profane, ac immoderate utatur & abutatur, jam nemo esset, qui simili personæ prodigæ invigilare, vel potestatem ligare posset; si enim communis persuasio jam Clericis tribuat plenum bonorum Ecclesiæ dominium, a qua Republica, vel superiore conveniretur Papa, vel Episcopus in sua Diœcesi, vel Decanus, aut Parochus in sua Parochia, *&c.* Si hi omnes ex ista perniciosa persuasione moti reditibus Ecclesiasticis abuterentur; non utique conveniri possunt a potestate sæculari, ut patet. Non potestate Ecclesiastica, cum Parochus Episcopo, Episcopus Papæ respondere posset, se agere quod communis persuasio sibi agere concedit: item se agere, quod a suo superiore practicari cernit. Et hi sunt præclari (si superis placet) dominii Clericorum effectus, quos considerans libr. 7. de recta in Deum fide Michael Medina, insigne Franciscanorum Ordinis decus, scribere non dubitavit: *Prædictam novam opinionem* (inquit sententiam contrariam) *esse sacrilegam, & talem quæ Evangelicum opitulandi pauperibus ministerium excludit, quæ adulatoriis, & vanissimis quorundam Sophistarum nugis in scholas irrumpens, protrudere cœpit ab eis illam Sanctorum Auctorum sententiam: bona Clericorum esse bona pauperum: factum est, ut Ecclesiæ, ac toti Clero magni thesauri inviderentur, & ut in electione Episcoporum non gregi, sed Episcopis provideatur; multique principes hæretici bona Ecclesiastica violenter invaserint.* Hæc ibi. Sed illis non immoramur, ut monstremus, quæ, & quanta sit communis persuasio fidelium, vel Ecclesiæ, Clericis plenum bonorum Dominium adscribentis; si enim ex hactenus dictis non liqueret, libertatis, & cupiditatis partum esse, dum dicunt, jam esse communem persuasionem, quod Clerici sint domini, *&c.* liquebit adhuc sufficienter ex dicendis. Transeo igitur ad probandam alteram partem *minoris* arg. num. 61. proposit. Nempe, quod Clerici non habeant plenum bonorum suorum Dominium ex Fundatorum intentione.

LXIV. Prob. jam min. prædicta. Si beneficiati acquisivissent dominium redituum ex beneficiis provenientium, id forsan maxime acquisivissent per voluntatem Fundatorum: sed per voluntatem Fundatorum minime acquisiverunt, ergo neque ex hoc capite effecti sunt pleni domini. Min. prob. Clerici non acquisiverunt dominium redituum, *&c.* ex voluntate Fundatorum *antiquorum*: ergo neque acquisiverunt ex voluntate fundatorum quorumcunque. Ant. prob. antiqui Fundatores bona sua offerebant tanquam pretia peccatorum, unde & res Ecclesiasticæ, seu Deo oblatæ dicebantur *vota fidelium, pretia peccatorum, & Patrimonia pauperum*, verbo, *Patrimonium Christi Jesu*: atque adeo quis sibi prudenter persuadere posset, pios istos Fundatores res suas, & bona Deo obtulisse, & consecrasse indifferenter, ut pariter suæ intentioni satisfactum iri sustinerent, etiamsi Clerici de bonorum Deo specialiter Oblatorum reditibus sumptuose & voluptuose viverent, comedendo, bibendo, colendo gulam, quam ipsimet oderunt, domos & familias ampliando, & extollendo, parietes, lecticas, *&c.* splendide vestiendo, supellectilem ad sæcularium invidiam, verius scan-

scandalum instruendo, nepotes mediis hisce bonis ad pinguia & honorifica officia evehendo, neptes dotando, vix non dici posset, Majoratus instituendo: sane si hæc fuisset intentio piorum veterum Fundatorum, securius ista modo recensita, & forsan plura recensenda, ipsimet præstitissent, sine tanta offensione sæculatium, & multo magis sine scandalo a vera Catholica fide alienorum. Sane si hoc esset in cælestes Thesauros per manus pauperum bona sua præmittere, nemo est, qui contradicat, ipsosmet Fundatores bona sua sic fuisse præmissuros absque eo, quod hac ratione per manus pauperum mediantibus Clericis voluissent in vanum præmittere.

LXV. Prob. jam consequentia enthymematis supra facti, nimirum quod Clerici non acquisierint dominium bonorum Ecclesiæ ex voluntate Fundatorum quorumcunque, nempe posteriorum temporum, & præcipue etiam nostræ ætatis. Sic igitur: intentio Fundatorum non debet præsumi alia hodie, sive post divisionem bonorum, quam fuerit primitus, sive ante divisionem, ubi fundamentum præsumptionis nullum suppetit: immo experientia in contrarium est aperta; est fundamentum hujus præsumptionis nullum suppeti: & experientia in contrarium est aperta; ergo sicut ex intentione Fundatorum hodiernorum Clerici sub dominium acquisitum arrogare non possunt. Maj. patet; in re enim summi momenti, uti est de præsenti instituto, sine fundamento, & contra apertam experientiam quid statui nec debet, nec potest. Min. ergo prob. fundamentum ejus præsumptionis esse non potest, quando fundationes eodem modo fiunt, seu quando bona eodem modo hodie Deo offeruntur, sicut consueverant primitus offerri, scilicet ut *vota fidelium*, *pretia peccatorum*, *Patrimonia pauperum*; Sed ita hodie adhuc offeruntur: quod eo firmius tenet, quo minus ostendi potest contrarium, & si ostenderetur contrarium, negaremus in tali casu oblationes bonorum Deo factas esse secundum limitationem infra faciendam. Quod dixi, experientiam in contrarium esse apertam, colligitur ex formulis & instrumentis, quæ solent fieri in fundationibus, vel beneficiorum erectionibus. Pro multis adstruo unam, egregiam formulam a Carolo Magno Imperat. factam, & invenitur in Capitularib. Collectis a Benedicto Levit. lib. 7. cap. 132. Capitulari 8. his verbis: *Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ in hac chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum ad serviendum ex his Deo in sacrificiis, missarumque solemniis, orationibus, luminaciis, pauperum, ac Clericorum alimoniis, & ceteris divinis cultibus, atque illius Ecclesiæ utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna Sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, districtissimas reddet rationes.*

LXVI. Ad probandam eandem min. circa intentionem Fundatorum ulterius disputo: bona, quæ pii Fundatores Ecclesiæ conferunt, & Deo offerunt, ita conferuntur, & offeruntur, ut habeant annexum idem onus, quod habebant annexum temporibus Apostolorum, vel ante divisionem bonorum: sed propter hoc onus annexum temporibus Apostolorum, vel ante divisionem bona oblata minime transibant in plenum dominium Clericorum; ergo neque nostris temporibus, vel post divisionem censenda sunt transire ex mente Fundatorum in plenum dominium Clericorum. Maj. prob. bona etiam post divisionem oblata iisdem gaudent Privilegiis, quibus gaudebant bona ante divisionem oblata: sicut enim, si quis ante divisionem bona semel Deo oblata furto rapuisset, Sacrilegii crimen non effugisset, ita siquis hodie eadem suffuretur, a Sacrilegio immunis non erit: districte enim prohibet Pius Papa Epist. 2. relat. in cap. *prædia* 12. qu. 2. *Ne prædia usibus Secratorum Cœlestium dicata, a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quisquam præsumpserit, ut Sacrilegus habeatur.* Præterea sicut ante divisionem bona Ecclesiastica non poterant alienari, cap. *non liceat*, 12. qu. 2. cap. *monemus*, & cap. *quisquis* ibidem, ita etiam hodie post divisionem regulariter alienari non possunt. Jam infero, si bona Ecclesiastica ante & post divisionem gaudent iisdem Privilegiis, rationi & juri consentaneum est, ut subeant eadem onera, dicit enim regula Jur. 55. *Qui sentit onus, sentire debet & commodum: & contra.* Et: *secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequentur incommoda*, l. *secundum* ff. de R. J. subsumo, & simul probo min. arg. atqui bona Deo oblata ante divisionem ob annexum onus superflua impendendi in pauperum alimoniam, vel Ecclesiarum fabricam, minime transibant

sibant in Clericorum dominium, sed reservabantur in jure Ecclesiæ, ut constat ex sufficienter dictis; ergo etiam bona post divisionem ob idem onus non subsitant dominio Clericorum; quia secundum summos Pontifices quæcunque fuerunt decreta & statuta pro antiquis Ecclesiarum bonis, ea omnia debent decreta, & statuta esse, & manere pro bonis Ecclesiæ noviter advenientibus; dicit enim, & bene D. Gregorius relat. in cap. *cognovimus* 12. quæst. 2. *sive de præteritis reditibus, sive de his, quæ obvenient, vel obvenientibus quarta secundum distributionem Canonicam dispensentur. Incongruum namque est, unam, eamdemque Ecclesiæ substantiam duplici quodammodo jure censeri, id est, usurpationis, & Canonum*, h. e. Incongruum plane est, ut unum, idemque Jesu Christi Patrimonium secundum Canones ante divisionem sit liberum a dominio Clericorum, post divisionem vero jam censeatur sub jure *usurpationis*, seu sub dominio Clericorum.

LXVII. Respondebunt forte Adversarii, quod pii Fudatores *per liberales donationes* hodie potius favere velint Clericis, quam pauperibus quoad rationem *dominii* bonorum Ecclesiæ collatorum, cum aliunde prudenter præsumi possit, quod Clerici deinde ex superfluis subventuri sint pauperibus; & hinc nihil obest, quo minus hodie beneficia ex liberalibus donationibus cum translatione pleni dominii in Clericos erigantur. Sed jam contra est primo; ubi ratio, & experientia non est in contrarium, præsumi debet, quod pii Fundatores post divisionem bonorum in faciendis fundationibus assimilari velint fundatoribus ante divisionem bonorum; sed Fundatores ante divisionem donando sua Ecclesiis non voluerunt potius favere Clericis, quam piis causis; contulerunt enim sua in cultum Dei, in remedium peccati, ac animarum suarum salutem, adeoque cum, & sub onere, ut ex istis sacri Ministri honestum victum, & vestitum acciperent; reliqua vero, quæ superessent, in pias causas erogarent; minime vero in usus vanos; & profanos effunderent, vel in thesauros congererent, ignorantes, cui congregarent ea; ergo neque post divisionem pii Fundatores præsumendi sunt, quod potius per sua bona Ecclesiis collata favere velint Clericis, quam piis causis; sed potius præsumendi sunt, quod velint sua bona conferre cum, & sub onere prænominato. Min. patet. Maj. vero ex eo fit manifesta, quod ex una parte ratio, & experientia non sit in contrarium, uti quoad hoc nihil astrui potest; ex alia vero parte quod sicut pii Fundatores post divisionem in aliis voluerunt esse similes Fundatoribus ante divisionem, sic etiam vel maxime in præsenti. Quod dicitur, aliunde præsumi posse, Clericos, etiam sibi collato pleno bonorum dominio, ex superfluis esse pauperibus subventuros, non abnuo, id fieri posse, & plerumque futurum a timoratæ conscientiæ Clericis; sed timeo etiam, & perquam timeo, ne a pluribus omittatur; si enim semel stat, Clericos ex Fundatorum intentione plenarios esse dominos; cum depravata per originale peccatum voluntas humana semper prona sit ad quærenda, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi; & iterum ex inclinatione naturali propensio maxima sit ad suos, juxta illud; *omnis caro ad similem sibi conjungetur*. Eccl. 13. Sane periculum proximum est, ne plures Clerici ex præsumpto dominio per voluntatem Fundatorum bonis Ecclesiasticis sive pro sua, sive pro suorum domo abutantur.

LXVIII. Contra est secundo. Quod Adversarii, dum dicunt, quod pii Fundatores *per liberales donationes* potius favere velint Clericis, quam pauperibus, quam maxime falso laborent supposito, quod scilicet donationes a fundatoribus Ecclesiis factæ dici possint *liberales*: Donatio enim *liberalis* illa est, quæ sine omni onere, & obligatione donatarii fit: atqui donationes Fundatorum non sunt tales; sunt enim semper *cum*, & sub onere promovendi cultum divinum, alendi pauperes reparandi Ecclesias, &c. Ergo falsum est, quod fiut donationes *liberales*, sed sunt omnino *onerosæ*. Quemadmodum si quis donaret alteri mille florenos, ut peregrinationem aliquam instituere posset, v. gr. ad Limina Apostolorum, ita tamen, ut, quod superest de expensis factis, eroget in pauperes, certe hæc donatio mere liberalis non esset; a fortiori ergo in nostro casu, dum Fundatores donant sua bona Clericis, aliter non donant, nisi ut quod honesto victui, & vestitui superest in pauperes expendant, id, quod more suo optime dixit Angelicus doctor supra cit. *dicendum, quod* (Fundatores) *non dederunt Prælatis propter se, sed propter pauperes, & ideo non dederunt eis, sed pauperibus*, h. e.

quantum ad superflua. Sed quid, si constet de fundatione, non vero constet de intentione Fundatoris, an mere liberaliter, vel sub dicto onere Clericis sua donare voluerint? Respondeo, tunc prudenter nec posse, minus debere præsumi, nisi quod tota fundatio facta, & destinata sit cum & sub onere; ex una enim parte agitur de cultu divino, & bono Ecclesiæ; ex alia vero parte de bono Fundatoris ad redimenda peccata, ad salvandam animam. Atque hinc (ut nonnihil limitem doctrinam circa intentionem Fundatorum) si in particulari constaret, quod Fundator quispiam suam fundationem non fecerit principaliter ad cultum Dei *&c.* sed vel ob respectum, v. gr. alicujus de familia, vel de se bene meriti, ita ut, vel iste, vel ille absolute frui possit donatione ab ipso facta, etiam quoad superflua, tunc sub ista limitatione admitterem, donatarios habere plenum, & absolutum dominium omnium bonorum: nego tamen, quod in isto casu bona donata sint, vel dici debeant *res Ecclesiasticæ*; quia hanc denominationem præcise sortiuntur ex fine, ad quem ordinantur, nempe ex fine cultus divini, alendi pauperes, *&c.* Ex his jam ulterius.

LXIX. Contra est tertio, & specialiter quantum ad illud, quod Adversarii dicunt, beneficia erigi potuisse cum translatione pleni dominii bonorum in Clericos: reclamant namque SS. Patres, Concilia, Canones, reclamat jus divinum, & naturale ut in sensu composito *beneficii Ecclesiastici* redituum dominium in beneficiarios transferatur; SS. Patres enim cum Conciliis identidem clamant, bona Ecclesiastica esse res Dei, Patrimonium Christi, vota fidelium, pretia peccatorum. Reclamat jus divinum, eo quod quæ semel dicata, & consecrata sunt Deo, amplius profanis usibus non sint impendenda, reclamat & ipsum denique jus naturale; quia nemo, quod suum quondam non fuerat, sibi appropriare potest, tanquam suum, ubi nullus titulus *Suitatis* est assignabilis; at vero in præsenti dominii, & suitatis nullus titulus est assignabilis, ut liquet ex dictis: Ergo demum in sensu composito *beneficii Ecclesiastici* falsum est, quod beneficia ita erigi possint, ut Clerici sint pleni bonorum Ecclesiæ domini; nisi præcise secundum limitationem in fine præcedentis numeri factam. Quid multis? Fundatores liberi sunt, ut beneficia Ecclesiastica erigant, vel non erigant: liberi tamen non sunt, ut, si erigere voluerint, aliter erigant, quam erexerunt omnes antiqui Fundatores, qui omnes sua bona Ecclesiis in unicum cultum divinum, & pauperum sustentationem contulerunt; & hinc si neque ex SS. Patribus vel Conciliis haberetur, beneficia aliter erigi non posse, nisi secundum prædictos fines, hoc probaret vel solus mos & consuetudo beneficia erigendi continuo intervallo, ab Apostolis respective, & primis Fundatoribus per plurima sæcula non interrupta: at vero *in his rebus, de quibus nihil certi statuit divina scriptura* (si tamen in præsenti statuat) *mos populi Dei, & instituta Majorum pro lege tenenda sunt. Et sicut Prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt.* Inquit August. ad Casulan. Epist. 26. relat. in cap. *in his* d. 11. Atque his concludo secundam rationem fundamentalem intrinsecam quoad communem persuasionem, & intentionem Fundatorum.

LXX. Argumentor jam tertio. Si Clerici habent plenum dominium bonorum Ecclesiæ, ergo etiam acquirunt dominium bonorum ex decimis; sed minime acquirunt dominium bonorum ex decimis: ergo reliquum est, quod nullum dominium bonorum Ecclesiæ acquirant. Maj. est Ad. qui quoad dominium Clericorum, quoad bona Ecclesiæ loquuntur indiscriminatim. Min. probat. 1. dominium bonorum ex decimis vel Clerici acquirunt ex concessione divina, vel ordinatione Ecclesiæ vel ex voluntate decimas solventium: sed ex nullo horum titulo acquirunt; ergo, *&c.* Maj. patet, aliud enim caput assignari non potest, ex quo possent acquirere dominium. Min. prob. per partes: & quidem dominium bonorum ex decimis non acquirunt ex concessione divina; quia ex quo capite Deus in antiquo testamento Sacerdotibus concessit accipere decimas, & primitias, ex eodem concedit in novo testamento: atqui in antiquo testamento concessit Sacerdotibus decimas, & primitias, ut haberent necessariam vitæ sustentationem, ut habetur Exod. 29. 26. Levit. 2. 3. 10. & ibidem sæpius. Num. 3. 48. & alias. Deut. 18. 1. item 1. Reg. 2. 28. 4. Reg. 12. 16. 1. Paralip. 6. 54. 2. Esdr. 10. 36. Eccles. 45. 25. & insuper Deus antiquæ legis Sacerdotibus concessit decimas, ut liberi a sollicitudine comparandi victum possent vacare

care legi Dei; dicitur enim 2. Paral. 31. 4. *Praecepit etiam populo habitantium Jerusalem, ut darent partes Sacerdotibus, & Levitis, ut possent vacare legi Domini*. Jam infero, ergo etiam Deus concessit Sacerdotibus in novo testamento decimas, ut haberent necessariam vitae sustentationem: & iterum, ut possent vacare legi Domini. Subsumo; atqui si Deus concessit tantum ex hoc duplici capite decimas, cum fundamento dici non potest, quod decimas concesserit cum pleno dominio; si ita enim concessisset, plane cum proximo peccandi periculo concessisset, quod longe sit a Deo; ex una siquidem parte constat, quod magna sit naturae humanae fragilitas, vi cujus non pauci, vel ex proprii commodi gratia, vel consanguineos, & necessarios ditandi cupiditate facile induci possent ad dilapidanda bona ex decimis provenientia; ex alia vero parte itidem experientia comprobat, quod magna sit humanae voluntatis, sua semper quaerentis malitia, quae eo hominem inclinat, ut, si tantum agendum sit de peccato, & non simul de aliquo onere connexo v. g. restitutionis non tam facile intermittendum sit peccatum; unde demum ex his aperte colligitur, quod si Deus concessisset Clericis dominium bonorum ex decimis, proximum peccandi periculum Clericis praeparasset, quod secundum sicut nunquam cogitavero, ita primum nunquam dixero.

LXXI. Probat. jam secunda pars min. seu quod Clerici ex ordinatione Ecclesiae dominium bonorum ex decimis non habeant. Pro suo suppono 1. decimas, & primitias dare esse de jure Divino juxta illud vaticinium Malach. 3. *inferte omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea*. Suppono secundo, decimas principaliter offerri Deo: dicitur enim in c. *omnes* 16. quaest. 7. ex Concilio Rothomagens. *Omnes decimae terrae sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt: & illi sanctificantur. Boves, & oves, & caprae, quae sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur*, &c. Suppono tertio, decimarum solutionem esse etiam de lege Ecclesiastica; dicitur enim ibid. in c. seq. ex Concilio Moguntinensi, *decimas Deo, & Sacerdotibus Dei dandas, Abraham factis, & Jacob promissis insinuat, deinde lex statuit & omnes sancti Doctores commemorant*. Jam his suppositis sic arguo: Ecclesia licet possit, quod jam est de jure divino statutum, per novam legem decernere, non tamen potest aliter ordinare, quam sit ordinatum a lege divina: atqui a lege divina ordinatum est, ut Sacerdotes ex decimis habeant *cibum*, nempe honestum victum, & vestitum; ergo Ecclesia aliter ordinare non potest, ut insuper ipsis dominium bonorum ex decimis adscribat, praesertim quando decimae sunt satis pingues, tunc enim nedum sufficient ad honestum victum, & vestitum, sed omnino ad luxum, & ornatum, ad quem finem sicut Deus antiquae legis Sacerdotibus decimas non concesserat, ita nec hodie Ecclesia ad finem eundem decimas ordinare potest. Arguo 2. quod est principaliter Domini Dei, illique sanctificatum, hoc Ecclesia ordinare non potest in Clericorum dominium; sed *quidquid decimum venerit*, est Domini principaliter, illique sanctificatum, ergo Ecclesia de hoc aliter ordinare non potest. Min. est Concilii c. Maj. videtur ex eo patere, quia quod est semel Deo sacratum, sine ipsius injuria ad profanos usus ordinari non potest; at vero si Ecclesia decimas in plenum Clericorum dominium ordinare posset, tunc Clerici *sine injuria* Dei possent decimas ad usus profanos expendere; quia nemo facit alteri *injuriam*, qui utitur re, cujus est plenus dominus, secundum arbitrium suae voluntatis ad omnes usus, seu, qui utitur jure suo. Arguo 3. Ecclesia dum hodie, Domino praecipiente, exigit determinatam quotam, nempe *decimae partis*, non potest eam exigere nisi ad cultum divinum, & ministrorum Ecclesiae sustentationem; *qui* enim *in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edent: & qui Altari deserviunt, cum Altari participant*. 1. Corinth. 9. Atqui si Ecclesia aliter determinatam quotam sibi solvendam exigere non potest, tunc multo minus eam ad plenum Clericorum dominium ordinare potest; ergo, &c. Min. patet. Min. prob. quare in antiquo testamento juste exigebatur determinata quota decimae partis: ratio fuit, quia minor erat copia decimantium, quae ratio hodie cessaret, dum hodie

die intuitu tantæ multitudinis decimas pendentium oedum *decima*, *vigesima*, *trigesima*, sed forsan omnino *quadragesima pars*, relate ad decimas antiqui testamenti, sufficerent; ergo dum hoc non obstante Ecclesia nihilominus *decimam partem* exigit, dicendum omnino est, quod eam tantum exigere possit, & exigat ad sustentationem ministrorum, & ad cultum divinum, nempe alendo pauperes, & Ecclesiæ fabricam; minime vero dicendum est, quod decimam partem exigat, vel exigere possit *ex rebus propriis* decimas solventium, ut Clerici ex alienis ditescant, auro, argentoque splendeant, supellectilem nimium quantum exornent, ac demum consanguineos ex decimis extollant ad pinguiorem fortunam, dum interea Sacerdos, qui manet in æternum, *non habet*, *ubi caput reclinet*. Luc. 9.

LXXII. Ex his quidem jam maneret stabilita *minor* supra facta quoad 3. p. seu quod Clerici non acquirant dominium bonorum ex decimis *ex voluntate decimas pendentium*. Quicunque decimas solvunt, ob duplicem præcise rationem easdem exsolvunt, nempe propter spirituale ministerium, & necessariam Ministrorum Ecclesiæ sustentationem: ergo hoc ipso minime censendi sunt, quod velint dominium bonorum ex decimis in clericos simpliciter transferre; ideo enim Dominus Deus jus decimandi concessit Sacerdotibus antiqui Testamenti, ideo concedit hodie, quia *ordinavit*, *ut qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant*. 1. Corinth. 9. *Dignus* enim *est operarius cibo suo*. Matth. 10. Et hinc si iste finis cessaret, etiam jus decimandi in clericis cessaret, quia sublata causa finali tollitur effectus causæ finalis: quia tamen, etiamsi non raro cessaret obligatio solvendi decimas ex fine sustentationis, eo quod ex aliis bonis beneficii v. g. abunde provisum esset, necdum in sacerdotibus cessat jus decimandi, alias voluntas illorum, qui decimas solvunt, esse non potest, quam ut, quod superest congruæ sustentationi, ad cultum divinum, & pias causas impendatur. Quod præterea vel inde abunde constare videtur, quod audiamus nonnunquam (& utinam non sæpe) homines Laicos in varias querelas, & justas prorumpere, dum vident subinde sacerdotes ex decimis, adeoque de Altari non vivere, sed superbire, non tegi, sed ornari *&c.* dico *justas querelas*; si enim solvendo decimas voluissent clericos esse plenarios dominos omnium bonorum ex decimis provenientium, cur *juste* conqueri possent, si illa, salva congrua sustentatione, non impenderent ad cultum divinum, & alendos pauperes? nonquid enim plenarius rei dominus non potest eam impendere citra alterius injustitiam, adeoque justam querelam?

LXXIII. Sed occasionaliter hic quæres, cur Laici decimas habere possint, cum ut præcedenti numero dictum decimæ solvantur propter spirituale Ministerium, & necessariam Ministrorum Ecclesiæ sustentationem, quod utrumque in Laicis cessat? Respond. si de *jure* loquamur, omnes Laici sunt incapaces juris decimandi, tanquam spiritualis, & propter spirituale Ministerium competentis; dicit enim Alexand. III. in c. *quamvis* 17. hoc tit. *Statuimus, ut si quis alicui Laico in sæculo remanenti Ecclesiam, decimam, oblationemque concesserit, a statu suo, sicut arbor, quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec emendet, dolore suæ jaceat ruinæ prostratus*. Hoc tamen non obstante possunt Laici ex Privilegio Papali jus decimandi acquirere, cum hoc non excedat vires Pontificis, ut Laicum ad jus spirituale habiliter, & secundum quid Clericis æquiparet: sicut defacto ad jus Patronatus, quod utique spirituale est, omnes Laici habilitati sunt. Verumtamen vereor, ne non pauci Laici cum animarum suarum periculo decimas recipiant, detineantque. Ex hoc enim non leviter Ecclesiæ pax, & tranquillitas fuit turbata, & turbatur hodiedum, præsertim a tempore, quo de fundo Erebi exortæ hæreses Lutherana, & Calviniana, etiam in bona Ecclesiastica desævire cœperunt: facile tunc erat, Patronis, & Advocatis Ecclesiarum in jure, & reditus Ecclesiasticos involare, eosque quasi libere in suam utilitatem convertere. Quid? quod intuitu juris decimandi apud Laicos residentis periculum sit (& utinam experientia non comprobaret) ne Parochi, vel alii beneficiati, etiam non requisito Episcopo, & nescio, quibuscum illicitis, vel omnino Simoniacis pactis instituantur, vel destituantur. Quid? quod *quidem* Laici eo temeritatis deveniant, ut decimam in alium Laicum transferre non vereantur; isti profecto audire debent Concilium Lateranens. cap. 19. t. t. *Prohibemus, ne Laici decimam cum animarum suarum periculo detinentes, in alios Laicos possint*

possint aliquo modo transferre . Si quis vero receperit , & Ecclesiæ non reddideris , Christiana sepultura privetur . Dixi tamen signanter *quidam* ; non enim volumus omnes Laicos , quibus jus decimandi competit , hac censura reos existere , illos nempe , quibus vel ob merita sua in Ecclesiam , vel ob ipsius Ecclesiæ utilitatem , vel Privilegio , aut per contractum feudalem decimæ conceduntur : si nimirum , ut mox dixi , ex isto jure decimandi Ecclesiæ potius emolumentum credatur , quam detrimentum : hæc , ut monui , occasionaliter. Jam ulterius pro stabilienda *minore* supra initio num. 70. facta sic .

LXXIV. Discurro . Si decimæ debent cedere in subventionem pauperum per dispensationem Clericorum , tunc Clerici non sunt pleni , & absoluti domini redituum ex decimis provenientium ; sed *decimæ debeant cedere in subventione pauperum per dispensationem Clericorum* : ergo *Minor* ibi facta tenet . Maj. videtur indubitata . Min. est S. Thomæ 2. 2. quæst. 87. art. 4. ad 4. d. quodl. 6. Ubi ex Malach. 3. ait . *In fer omnem decimationem , ut cibus in domo mea , & sic Sacerdoti , qui non solum sibi , sed pauperibus providere debet . . . . sunt decimæ necessaria* . Idem aperte habetur ex 2. 2. quæst. 87. art. 1. ad 4. & bene notent Adversarii , nisi etiam hic pro more suo S. Thomam *venerari* velint ; dicit autem : *Dominus non solum decimam partem , sed etiam omnia superflua pauperibus jubet exhiberi , secundum illud* . Luc. 11. Quod superest , date eleemosynam : *ipsæ etiam decimæ , quæ Ministris Ecclesiæ dantur , per eoe debent in usus pauperum dispensari* . Et iterum ibi art. 3. ad 1. inquit : *In lege nova decimæ dantur Clericis non solum propter sustentationem , etiam ut ex eis subveniant pauperibus* . Idem longe ante docuerat S. August. relat. c. *decimæ* 16. quæst. 1. dicit enim ; *Decimæ tributa sunt egentium animarum* . Et infra : *Quanti pauperes in locis , ubi ipse habitat , illo decimas non dante , fame mortui fuerint tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni Judicis apparebit , quia rem a Deo pauperibus delegatam suis usibus reservavit* . Agit hic S. August. contra illos , qui decimas Sacerdotibus dare negligunt : & contra hos , quod bene notandum est , dicit , quod *rem a Deo pauperibus delegatam* sibi reservant . Sed adhuc ante utrumque Sanct. Doctorem decimas cedere debere in subventionem pauperum , asseruit S. Clemens Papa lib. 1. cap. 29. de const. Apost. *Homo Dei* (inquit) *scilicet Episcopus , quæ ex decimis , & primitiis secundum mandatum Dei dantur , recte dispenset Orphanis , viduis , afflictis , & recte peregrinis , egentibus , ut qui habet Deum harum rerum rationem reposcentem* . Et infra . *Omnibus egentibus cum justitia tribuentes* (ubi notari oportet , *cum justitia* , per quod Sanctissimus Pontifex nedum præceptum caritatis , vel misericordiæ esse supponit ad subveniendum pauperibus ex decimis , sed omnino , & bene vult , dari præceptum justitiæ) *ipsique his utentes , sed non abutentes , comedentes de his , sed non soli vorantes , egenisque impertientes* . A primo ad ultimum ergo stat , Clericos non acquirere dominium bonorum ex decimis , ergo neque aliorum bonorum beneficialium , cum ex decimis potissimum beneficia hodie sint erecta .

LXXV. Argumentor tandem quarto. Si verum dominium bonorum Ecclesiæ staret penes Clericos , vel hoc dominium esset circa reditus annuos , vel etiam circa bona Ecclesiastica stabilia , sive immobilia ; sed quidquid dicitur , vel inconsequentiæ , vel falsitati obnoxium est , ergo Clerici non sunt veri Domini . Ne moremur , vel in recensendis , vel potius fingendis Ad. responsionibus , cum circa bona Ecclesiæ stabilia altum passim habeatur silentium , pergo , & probo *minorem* indiscriminatim . Si omnium bonorum Ecclesiæ verum , & proprium Dominium est solius Dei , & Domini nostri Jesu Christi , tunc false , periculose , immo peccaminose sibi Clerici arrogant dominium sive bonorum ex beneficiis , & decimis provenientium : sive bonorum Ecclesiæ stabilium , & immobilium: atqui ita est , quod verum , & proprium dominium omnium indiscriminatim bonorum Ecclesiæ sit solius Dei , & Domini Nostri Jesu Christi ; ergo , *&c.* Maj. adeo certa est , ut a nemine in dubium vocari queat , nisi forsan ab ingenio plus novitati periculosæ in re tanti momenti , per inutiles distinctiunculas tribuens , quam veritati. Prob. igitur min. vel Concilium Tridentinum inutiliter definivit , vel Canonice , dum bona Ecclesiæ *res Dei* intitulat ; Primum nemo dicit . Ergo secundum : jam sic : quando Concilium aliquid definit Canonice

nonice, vel aliquid legitime prohibet, tunc debet habere grave motivum definiendi, prohibendi, ergo quando Tridentinum graviter prohibuit, & quidem indiscriminatim omnibus omnino Clericis, ne de reditibus Ecclesiæ suos augere studeant, debuit habere grave motivum id interdicendi: dicit autem Concilium Session. 25. capit. 1. „ de „ Reformat. Omnino vero eis (scilicet „ Episcopis) interdicit, ne ex reditibus „ Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos „ augere studeant: cum & Apostolorum „ Canones prohibeant, ne res Ecclesiasti„ cas, quæ Dei sunt, consanguineis do„ nent, sed si pauperes sint, his ut paupe„ ribus distribuant. Et paulo inferius: quæ „ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non „ solum in quibuscunque beneficia Eccle„ siastica tam sæcularia, quam regularia „ obtinentibus pro gradus sui conditione „ observari, sed etiam ad S. Romanæ Ec„ clesiæ Cardinales pertinere decernit. Jam subsumo: atqui hic prohibendi vel Concilium non habuit grave motivum, & vel ideo inutiliter definivit: vel si habuit, aliud habere non potuit, quam quod textui definitive inseruit, nimirum quod *res Ecclesiasticæ Dei sunt*; ergo, &c. Min. subsumpta prob. si hoc unicum non fuisset motivum *interdicendi*, &c. ergo forsan fuisset motivum interdicendi peccatum mortale ex tali bonorum Ecclesiæ dilapidatione incurrendum: sed peccatum mortale incurrendum fuisset plane motivum inutile, cum hoc prius jam constiterit, Clericos nunquam non peccaturos, si bona Ecclesiæ ita in consanguineos, &c. erogarent, seu Domini essent, seu non essent: ergo denique motivum, ut prohibitio esset Canonica, fuit, quia *res Ecclesiæ sunt res Dei*: Cum autem Concilium non distinguat *inter res Ecclesiasticas*, aliter decernendo de annuis reditibus, aliter de bonis stabilibus, seu immobilibus, neque nos in favorem libertatis, & cupiditatis distinguere debemus. Et hunc Tridentini locum ita manifestum existimo, ut si hodie Patres dictæ Synodi de mortuis resurgerent, interrogarenturque de sua mente, nefas, & illicitum esse responderent, opinari, multo magis tenere *res Dei* esse res Clericorum.

LXXVI. Min. supra factam probo 2. scilicet, quod verum, & proprium dominium omnium indiscriminatim bonorum Ecclesiæ sit solius Dei, & Domini Nostri Jesu Christi: sic igitur inquam, & ut in Domino confido, efficaciter. De jure Canonico, civili, & naturali certum est, quod quando quis habet legitimam potestatem alteri quidpiam donandi, legandi, vel relinquendi: & alter habet legitimam facultatem rem donatam, legatam, vel relictam accipiendi, certum, inquam, est, quod donatarius, legatarius, &c. per actualem acceptationem rei donatæ, legatæ, vel relictæ fiat legitimus Dominus. Atqui omnia bona Ecclesiastica sunt donata, legata, vel relicta ab illis, qui habuerunt legitimam potestatem donandi, legandi, &c. nempe a fundatoribus: & iterum sunt acceptata ab illo, qui omnino habet legitimam facultatem rem donatam, legatam, &c. accipiendi; nempe a Deo, vel Christo, quia principaliter, & ejus intuitu, & nomine secundario Ecclesiis, vel ejus ministris, tanquam ipsius Vicariis, procuratoribus, vel dispensatoribus: mediatis, ut inferioribus Clericis, vel immediatis, aut superioribus, verbi gratia Episcopis; præsertim tamen summo Pontifici, donata, legata vel relicta sunt; ergo demum hoc modo Deus, & Dominus Noster Jesus Christus factus est verus, & proprius Dominus omnium indiscriminatim bonorum Ecclesiæ. Min. quoad 1. memb. ut certa supponitur, in quantum nempe, qui faciunt fundationes, sunt in possessione legitimæ potestatis donandi, legandi, &c. quoad 2. memb. est innegabilis. Maj. Syllog. facile ex utroque jure probari posset; sed quia de jure naturæ certa est, hinc in referendis c. c. vel l. l. non immoror. Dico *de jure naturæ*; certum enim est, quod, quando quis rem ut plenus, & absolutus Dominus possidet, possit circa eam disponere inimpedibiliter secundum arbitrium suæ voluntatis, adeoque etiam transferendo dominium rei in alium; unde si donatarius rem legitime, & actualiter acceptat, innegabile est de jure naturæ, quod fiat legitimus, & plenus Dominus rei.

LXXVII. Confirmatur. Si ad cultum divinum a Fundatoribus donata, legata, vel relicta jam ante traditionem, adeoque & quæsitam possessionem, a donatario, legatario, &c. ad verum, & proprium dominium quætuntur, tunc non possunt esse nisi sub vero, & proprio dominio solius Dei, & Domini Nostri Jesu Christi; atqui donata, legata, relicta (quibus veniunt omnes res Ecclesiasticæ) jam ante traditionem, quæsitam possessionem a donatario, lega-

legatario, *&c.* ad verum, & proprium dominium quæruntur; ergo quoad dominium sunt solius Dei, & Domini Nostri Jesu Christi. Min. Prob. ex l. fin. cap. de Sacros. Eccl. ubi habetur; „ Si dominum „ nostrum Jesum Christum scripsit quis hæ„ redem, vel ex asse, vel pro parte, ma„ nifeste videri ipsius civitatis, vel castel„ li, vel agri, in quo constitutus erat de„ functus, Ecclesiam Sanctissimam institu„ tam esse hæredem, & hæreditatem peti „ debere per Dei amatissimos ejus Oeco„ nomos ex asse, vel pro parte, ex qua „ hæres institutus est, eadem obtinente, „ & si legatum, vel Fideicommissum reli„ ctum sit, ut ipsa competant Sanctissimis „ Ecclesiis ad hoc quidem, ut ad paupe„ rum alimoniam conferant. „ In qua leg. plura sunt consideratu digna; primo quidem in ordine ad nostrum intentum, quod, cum in eadem l. præmittatur; Si quis *scripserat Dominum nostrum Jesum Christum hæredem, non adjiciens oratorium, aut templum ullum*, jam hæreditas *vel ex asse*, *vel pro parte*, ad illam Ecclesiam loci, in quo constitutus erat defunctus, competat, adeoque ante traditionem. Secundum considerabile in eadem leg. est, quod hæreditas peti debeat per Dei *Oeconomos*, hoc est procuratores, dispensatores, & non bonorum Ecclesiæ, seu hæreditatis *dominos*. Tertium considerabile est, quod hæreditatis Ecclesiæ conferens, salvis ipsius necessitatibus, *ad pauperum alimoniam*, non ad Clericorum pompam, luxum, *&c.* conferre debeat. Stat ergo min. probata, & una simul *major* exinde vera est. Sed jam subsumo. Si donata, vel legata, *&c.* Deo, & Domini Nostri Jesu Christi jam ante quæsitam possessionem ad verum, proprium dominium Dei, & Christi per ejus Oeconomos quæruntur, dici non potest, nisi temere, quod post quæsitam possessionem, seu facta traditione ad verum & proprium dominium Clericorum quærantur, ergo & tunc manent sub Dominio Dei, & Christi adeoque a primo ad ultimum, bonorum Ecclesiasticorum verum Dominum esse Christum Deum, irrefragabiliter tenendum est. Quod tamen adhuc magis confirmatum est, ut Min. principalis facta num. 75. amplius radicetur.

LXXVIII. Sic igitur disputo: omnia sacra sunt solius Dei quoad verum, & proprium dominium: atqui omnia bona Ecclesiastica sunt *Sacra* quartæ speciei sacrorum; ait enim Sanct. Thom. 2. 2. quæst. 99. artic. 3. „ quod inter res sacras summum locum obtinent ipsa sacramenta, „ quibus homo sanctificatur, quorum præ„ cipue est Eucharistiæ sacramentum, quod „ continet ipsum Christum: & ideo sacri„ legium, quod contra hoc sacramentum „ committitur, gravissimum est inter om„ nia. Post sacramenta vero secundum lo„ cum tenent vasa consecrata ad eorum „ susceptionem, & ipsæ imagines sacræ, „ & reliquiæ Sanctorum honorantur, & „ decorantur: Deinde quæ pertinent ad „ ornamenta Ecclesiæ, & ministrorum: „ Deinde ea, quæ deputata sunt ad su„ stentationem ministrorum, sive sint mo„ bilia, sive immobilia. Quicunque autem „ contra quodcunque prædictorum peccat, „ crimen sacrilegii incurrit. „ Ergo bona Ecclesiastica, sive mobilia sint, sive immobilia, sunt *sacra*: ergo quoad verum, & proprium dominium sunt solius Dei, & Christi Domini. Maj. est certa, min. S. Thomæ, ex quo adhuc probat. Illud sacrum est, quod auferre, invadere, *&c.* sacrilegum est, sed bona Ecclesiastica sive mobilia, sive immobilia auferre, invadere, dissipare, *&c.* sacrilegum est; dicit enim Bonifacius Papa relat. in cap. nulli 12. quæst. 2. „ Quid„ quid semel fuerit consecratum, Sanctum „ Sanctorum Domino erit, & ad jus per„ tinebit Sacerdotum. Propter quod inex„ cusabilis erit omnis, qui Domino, & „ Ecclesiæ cui competunt, (*bona Ecclesia„ stica*) aufert, vastat, invadit, vel eripit, „ & usque ad emendationem, Ecclesiæque „ satisfactionem, ut sacrilegus judicetur: „ & si emendare renuerit, excommunice„ tur. *Præterea eadem caus. & quæstion. „ capitul. 6. dicit Anacletus Papa*: Qui „ abstulerit aliquid Patri, vel Matri, dicit„ que hoc peccatum non esse, homicidæ „ particeps est. Pater noster sine dubio „ Deus est, qui nos creavit: Mater vero „ nostra, Ecclesia, quæ nos in baptismo „ spiritualiter regeneravit. Ergo qui Chri„ sti pecunias, & Ecclesiæ rapit, aufert, „ vel fraudat homicida est. „ Quod si homicida est, quomodo non *ut sacrilegus habeatur* ibidem cap. *prædic.* Si ut sacrilegus judicari, & haberi debet, qui pecunias Christi & Ecclesiæ rapit, fraudat, dissipat, *&c.* jam infero: atqui nemo sacrilegus est, nisi qui *re sacra* dictis modis abutitur: ergo a primo ad ultimum pecuniæ Christi, & Ecclesiæ sunt res sacra; ergo & sunt quoad

quoad verum, & proprium dominium solius Dei.

LXXIX. Confirmo hæc: debet esse ratio, & quidem ponderosa, cur nullus Prælatus, etiam ipse Pontifex, stabilia bona Ecclesiæ sine justa, & gravi causa alienare possit: atqui alia ratio ponderosa esse non potest, nisi quod memorata bona sint sacra, adeoque sub unico, & vero Christi Dei dominio, qui prudenter præsumi non potest (temere potest) quod ulli fecerit copiam aliter alienandi dicta bona: ergo hæc bona, & sunt sacra, & sub dominio Christi Dei. Maj. patet, in re tanti momenti enim sine gravi ratione non proceditur: dicere vero, quod hoc tantum fit ex *libera* dispositione Ecclesiæ, est arbitrarium; quin & ipsa Ecclesia, sine gravi ratione nihil disponere præsumi debet, adeoque dum *disposuit*, ne bona Ecclesiæ alienentur, id ideo fecisse præsumi debet, quia *sacra* sunt, quia sub dominio Christi Dei sunt, non quidem ex solo titulo, quo omnia ejus subjecta sunt potestati secundum illud: *Domini est terra*, *& plenitudo ejus*. Psalm. 23. Sed etiam ea prærogativa, qua nemo alius est dominus dictorum bonorum, ex eo, quod hæc speciali ratione, vel solemnitate donata, dicata, & consecrata sunt. Ex his jam etiam constat min. arg. Sed modo subsumo: atqui si bona Ecclesiæ sunt sacra, & sub dominio Christi Dei, & tamen Prælati Ecclesiarum subinde, cum justa causa, & solemnitate permittitur bona Ecclesiastica alienare, non possunt, nisi ut *procuratores* & *administratores* a Christo Domino constituti ad administrandum ea secundum mentem, & intentionem ipsius, vel immediate, vel mediate: immediate quidem talis procurator, & administrator constitutus est Papa, & Ecclesia universalis; mediate vero Prælati alii, & beneficiarii, ministerio Papæ: ergo, *&c.* Min. subsumpt. prob. Sicut qui cum consensu Cæsaris, & ipsius nomine alienat, *procurator* Cæsaris & dicitur, & est: sic qui cum consensu (qui omnino, dum res, & circumstantia id exigunt, adesse præsumitur) alienat bona Ecclesiæ, procurator, & administrator bonorum Christi & dicitur, & est: *procurator*, &c. est. Dominus non est, sed solus Christus Deus.

LXXX. Respondebunt forte Ad. ideo vasa sacra, vestes sacræ, *&c.* non substant amplius commercio hominum, & non debent ad usus profanos adhiberi, quia sunt speciali benedictione consecratæ, secundum Reg. 51. Jur. in 6. *Semel Deo dicatum*, *non est ad usus humanos ulterius transferendum*: Atqui bona Ecclesiastica non sunt speciali benedictione consecrata; ergo quantum ex hoc capite ad usus profanos impendi possunt, adeoque & commercio hominum substare possunt, utpote vendibilia, & emibilia: atque hic in quantum *sacra* non eximuntur a dominio Clericorum. Sed jam contra est, quod licet non omnia bona Ecclesiastica speciali benedictione sint consecrata, sicut agitur titul. *de Consecrat. Eccles. vel Altar.* d. t. stat tamen, quod jam dixi ex Sanct. Thom. 2. 2. quæstion. 99. articul. 3. Omnia bona Ecclesiastica esse *sacra* quartæ speciei rerum sacrarum: & hoc quidem ex multiplici capite, tum quia eorundem bonorum verus, & proprius dominus est Christus, sive Deus: Papa vero immediatus Procurator, & Administrator: reliqui autem Prælati, & Beneficiati Procuratores, *&c.* mediati: tum quia prædicta bona a nullo puro homine tanquam a vero domino alienari possunt, licet id fieri possit tanquam a Procuratore, vel Administratore: tum quia qui bona Ecclesiastica furatur, rapit, fraudat, *&c.* crimen sacrilegii incurrit: tum denique quia bona Ecclesiæ (salvis hujus necessariis) debentur sacris creditoribus, nempe piis causis, & alendis pauperibus. Ex his igitur planum est, quod Adversarii suo argumento plus non evincant, nisi quod bona Ecclesiæ non sint speciali benedictione consecrata, & ideo illa, quæ ita consecrata sunt, esse sacratiora, ultro concedimus: non tamen evincunt, quod non sint modo dicto simpliciter *sacra*: Patet ergo, falsum esse, quod quantum ex hoc capite ad usus profanos impendi possint.

LXXXI. Ceterum quod in consequenti attexitur, bona Ecclesiastica ex allata ibidem ratione substare posse hominum commercio, utpote vendibilia, & emibilia, non nihil enucleandum putavi, ut clarius perspiciatur, quomodo eadem bona sint vendibilia, sive in quos fines sint expendenda, vel alienanda. In quem finem juvat audire Div. Ambrosium lib. 2. de Offic. cap. 28. „ Aurum (*inquit*) habet Ecclesia, „ non ut servet, sed ut eroget, & subve- „ niat in necessitatibus. Quid opus est cu- „ stodire, quod nihil adjuvat? an ignora- „ mus, quantum auri, atque argenti de „ templo Domini Assyrii sustulerunt? non- „ ne melius conflant Sacerdotes propter „ all-

„ alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia
„ deſint, quam ſacrilegus contaminata aſ-
„ portet hoſtis. Nonne dicturus eſt domi-
„ nus, cur paſſus es tot inopes fame emo-
„ ri? & certe habebas aurum, unde mini-
„ ſtraſſes alimoniam. Cur tot captivi de-
„ ducti in commercium ſunt, nec redem-
„ pti ab hoſte occiſi ſunt? melius fuerat,
„ ut vaſa viventium ſervares, quam me-
„ tallorum. His non poſſet reſponſum re-
„ ferri. Quod enim diceres? timui, ne
„ templo Dei ornatus deeſſet? reſponderet,
„ aurum Sacramenta non quærunt, neque
„ auro placent, quæ auro non emuntur.
„ Ornatus Sacramentorum redemptio ca-
„ ptivorum eſt: & vere illa ſunt vaſa pre-
„ tioſa, quæ redimunt animas a morte.
„ Ille verus theſaurus eſt Domini, qui ope-
„ ratur, quod ſanguis ejus operatus eſt.
„ *Et poſt pauca*. Nemo enim poteſt dice-
„ re cur pauper vivit? nemo poteſt queri,
„ quia captivi redempti ſunt. Nemo po-
„ teſt accuſare, quia templum Dei ædifi-
„ catum eſt. Nemo poteſt indignari, quia
„ humandis fidelium reliquiis ſpatia laxata
„ ſunt. Nemo poteſt dolere, quia in ſe-
„ pulturis Chriſtianorum requies Defuncto-
„ rum eſt. In his tribus generibus vaſa
„ Eccleſiæ etiam initiata confringere, con-
„ flare, vendere licet: opus eſt, ut de Ec-
„ cleſia myſtici poculi forma non exeat, ne
„ ad uſus nefarios ſacri calicis miniſterium
„ transferatur. Ideo intra Eccleſiam pri-
„ mum quæſita ſunt vaſa, quæ initiata non
„ eſſent, deinde comminuta, poſtremo
„ conflata, per minutas erogationes diſpen-
„ ſata egentibus, captivorum quoque pre-
„ tiis profecerunt. Quod ſi deſunt nova,
„ & quæ nequaquam initiata videantur,
„ in hujuſmodi uſus, quos ſupra diximus,
„ arbitror omnia pie poſſe converti.„ Hæc
ille, qui etiam refert. 12. quæſt. 2. capitul. *aurum*. Sed quid fideliſſimus bonorum Eccleſiæ diſpenſator Ambroſius reſponderet, ſi aliam longe diverſam ætatis noſtræ praxim cerneret? dum nimirum tanta egentium, vel forſan omnino fame pereuntium copia deprehenditur, dum tanta ſub immani Chriſtiani nominis hoſtium tyrannide captivorum multitudo detinetur: & interea ad illos alendos, hos vero liberandos, ne dicam, vaſa initiata non comminuuntur, non conflantur, non erogantur (quod quidem noſtris temporibus, præſertim virente pacis oliva non ita neceſſarium eſſet ob commodam proviſionem aliorum bonorum, quibus ſuccurri poſſet) ſed nec cogitatio quidem multorum, etiam ſuperflua poſſidentium, ſubit animos de redimendis captivis, vel ſublevanda egentium inopia: qui tamen pro acervando auro, argentove non modice ſollicitantur: *aurum Eccleſiæ* in vaſa domeſtica, in pretioſam ſupellectilem convertere non dubitant: nudum in pauperibus Chriſtum tegere negligunt, ut ſe ſplendidiſſimis veſtibus exornent: alimoniam egentium ad celebranda convivia ſub prætextu fovendæ, & continuandæ familiaritatis, cum utroque ſexu, impendunt. Hanc, inquam, praxim ſi cerneret Ambroſius, quid reſponderet? Credo repeteret, quod ſupra cit. Epiſtol. 31. Ad Val. aſſeruit: *Nihil Eccleſia niſi fidem poſſidet, hos reditus præbet, hos fructus: poſſeſſio Eccleſiæ ſumptus eſt egenorum*. Quid multis? reſponderet cum Apoſtolo 1. ad Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*. Quod ſupereſt, uti ſub prima Eccleſiæ incunabula, & dein per plurima ſæcula dari conſueverat, ita & hodie detur pauperibus, & piis cauſis. Certe & hodie idem Deus, cujus anni non deficiunt, idem Eccleſiæ ſponſus, eadem ſponſa: ſunt ergo & eadem membra cum pari obligatione.

LXXXII. Concludo jam & hoc tertium argumentum, quo probatum eſt, bonorum Eccleſiaſticorum verum, & proprium dominum eſſe Chriſtum Deum, ex quo conſecutio eſt clara, apud Papam, & Eccleſiam univerſale miniſterium, & univerſalem adminiſtrandi poteſtatem, immediate a Deo datam: apud reliquos vero Prælatos, & Eccleſiæ membra, ſeu Clericos mediatam adminiſtrandi poteſtatem, miniſterio nempe Papæ, vel Eccleſiæ univerſalis collatam reſidere: atque nullum ex his, ſicut nec Papam eſſe verum bonorum Eccleſiæ dominum, ſed *diſpenſatorem*, *adminiſtratorem*, *procuratorem*, &c. quibus tamen nominibus minime intelligi debet, quod, dum Clerici vocantur bonorum Eccleſiæ *diſpenſatores*, idem ſit ac *uſuarii*, vel *uſufructuarii*. Non uſurarii quidem, quia uſurarius in re, in qua uſum habet, nihil aliud habere poteſt, quam unicum, & ſolum uſum quotidianum, ita nempe, ut jus, quod habet, neque alii locare, nec vendere, nec gratis, vel onerose concedere poſſit. At vero Clerici, ſeu beneficiarii gaudent jure adminiſtrandi omnia bona beneficii, poſſunt item locare, &

vendere reditus, sese ex illis competenter statui sustentare, dummodo tamen interea, quæ superfluunt congruæ sustentationi, vel ex locatione, venditione, &c. redituum provenientium acquiruntur, in pauperes distribuant, & quidem in illos, quos elegerint, servato tamen debito ordine, & sic, ceteris paribus, possunt prius distribuere in pauperes consanguineos, si habeant: atque sic *usurarii* non sunt. Sed neque sunt *usufructuarii*, hoc enim esset supra ipsorum conditionem. Ususfructuarius enim potest libere, & licite donare, & relinquere suos fructus in vita, & in morte, cuicunque libuerit, absque ullo paupertatis, vel pietatis, & vel religionis violandæ respectu, etiam ex motivo solius amicitiæ, cognationis, aut liberalitatis: quorum tamen nullum, sistendo in his terminis, facere possunt beneficiarii: reclamat enim divinum jus, ne semel Deo consecrata in usus profanos expendantur: reclamat jus naturale, ne de alienis, ad quæ nullus dominii titulus assignari potest, libere disponatur: reclamant SS. Canones, ne primitivæ Ecclesiæ integritas, in hoc puncto per plurima sæcula dein continuata violetur, in semetipsa discindatur, ac vix non de uno regno Ecclesiastico duplex eveniat, quorum uni dominetur cupiditas, libertas, verbo, laxitas: alteri vero præsit SS. Canonum, & cultus divini observantia, & religio: & hoc cum quanta consolatione? quoniam *omne regnum in seipsum divisum desolabitur*. Luc. 11. Reclamant SS. Patres, Pontifices, & Concilia, novissime Tridentinum Session. 25. de Reformation. cap. 1. ne Patrimonium JESU Christi, vota fidelium, pretia peccatorum, victus pauperum, &c. in alios usus, & fines, quam a fundatoribus præfixos, impendantur. Reclamat denique ipsa ratio, prout hactenus abunde visum est. Ex his ergo remanet stabilita prima Conclusio numer. 9. proposita: nunc ulterius videndum, an beneficiarii nedum mortaliter peccent, sed insuper ad restitutionem teneantur, si reditus beneficiales vane, & profane expendant: quod quidem ex conclusione jam afferta per se deducitur, sed tamen ut veritas magis adhuc elucescat, statuenda est.

CONCLUSIO SECUNDA.

Beneficiarii reditus superfluos male impendentes tenentur ad restitutionem.

LXXXIII. Dicendum, Beneficiarii impendentes superflue, vane, vel profane reditus suorum beneficiorum, non solum peccant mortaliter; sed etiam tenentur ad restitutionem. Conclusionem hanc si ab auctoritate extrinseca confirmare foret animus, denuo recensendi forent Patres, Concilia, & Pontifices, quos abunde jam allegavimus in præcedentibus. Si de numero Doctorum sententiæ nostræ patrocinantium ageretur, fateor, ex junioribus impressis paucos admodum (si tamen aliquos) allegare possem: quemadmodum tamen ex Antiquis nullus est (si tamen hac de re ex instituto disseruit) qui nobis non adstipuletur. Videri possunt plurimi apud Navarr. de red. Eccles. quæstion. 2. Monitinn. 7. Apud quem etiam Maj. audet dicere, nullum Doctorem, qui ante ejus ætatem mortuus fuisset, contrarium tenuisse. Sed quidquid de hoc sit, conclusionem, ut hactenus mihi contrariam, modo autem indubitatam, melius rationum pondere, quam Doctorum numero, confirmabo, vehementer in Domino exoptans, ut, quicunque rem *coram Deo, & Christo*, ex veritatis nempe, & justitiæ amore consideraverit, discat reddere Deo, piis causis, & pauperibus, quæ sunt Dei *dominio*: piarum causarum vero, & pauperum *jure*. Jam ergo.

LXXXIV. Argumentor 1. quicunque rem alienam injuste usurpat, fraudat, vel retinet, in omnium sententia tenetur ad restitutionem: ergo etiam, quicunque habet debitum communia singularibus distribuendi, dum non distribuit, prout debitum exigit, seu minus dando, quam teneatur, obnoxius est restitutioni. Ant. est extra dubium: *Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, inquit Augustin. in Epistol. 54. ad Macedon. 14. quæst. 6. Consil. probat. Onus restitutionis non tantum ex eo oritur, quod quis positive rem alterius auferat, sed etiam dum quis impedit, ne alter habeat, quod de jure habere potuisset: sed quicunque habet

habet debitum communia singularibus distribuendi, dum non distribuit, prout debitum exigit, sive minus dando, quam teneatur, positive impedit, ne alter habeat, quod de jure habere potuisset: ergo, *&c.* Maj. est Sanct. Thomæ 2. 2. quæstion. 62. articul. 2. ad 3. ubi de eo, qui injuste impedit, ne alter præbendam habeat, sic ait: *Si impedit, ne præbenda detur digno, consulens, quod non detur, antequam firmatum sit, quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompensationem pensatis conditionibus personarum, & negotii secundum arbitrium sapientis .... Si vero jam firmatum sit, quod alicui detur præbenda; & aliquis propter indebitam causam procuret, quod revocetur, idem est, ac si jam habitam ei auferret; & ideo tenetur ad restitutionem æqualis tamen secundum facultatem suam*. Ergo verum est, & quidem multo magis, quod, qui debitum habet singularibus distribuendi, & non distribuit secundum exigentiam debiti, teneatur ad restitutionem. Jam subsumo: atqui omnes beneficiarii habent debitum *communia*, hoc est superflua redituum, *singularibus*, hoc est pauperibus, & piis causis, tanquam creditoribus, distribuendi, ergo dum non distribuunt, prout debitum exigit, seu minus dando, quam teneantur, positive impediunt, immo effective influunt, ne alter, nempe pii Creditores, habeant, quod de jure habere potuissent, ergo ut sic beneficiarii tenentur ad restitutionem & quidem æqualis, utut secundum suam facultatem. Min. subsumpta ex præcedentibus abunde liquet: ex eo enim, quod continuo dictum sit, beneficiarios esse duntaxat bonorum Ecclesiæ Dispensatores, Procuratores, Oeconomos, *&c.* & iterum ex eo, quod dictum sit, bona Ecclesiæ esse Patrimonium Christi, & res pauperum, fieri non potest, quo minus in Beneficiarii detur debitum, & in piis creditoribus jus, ut sibi dispensentur superflua.

LXXXV. Argumentor 2. quicunque peccat mortaliter, necessum est, quod contra aliquam virtutem peccet: atqui etiam secundum Adversarios beneficiarii peccare mortaliter dicendi sunt, quando impendunt bona Ecclesiæ in notabili quantitate ad usus profanos, verbi gratia ditando consanguineos, dotando neptes, *&c.* nisi forsan ex iniqua probabilissimi licentia etiam hos a peccato mortali exemptos esse velint. Jam sic: si beneficiarii peccant, peccant mortaliter, adeoque contra aliquam virtutem caritatis, & misericordiæ, vel contra virtutem justitiæ. Primum, quantum faveret gustui Ad. tam parum conforme est veritati. Ergo secundum probari debet: pro quo suppono ex Sanct. Thoma 2. 2. quæst. 32. articul. 5. quod ad eleemosynam dandam, quæ respectu patientis necessitatem, de præcepto est, respectu aliorum vero de consilio: aliquid sic *considerandum ex parte dantis, & aliquid ex parte ejus, cui est eleemosyna danda: ex parte quidem dantis considerandum est, ut id, quod est in eleemosynas erogandum, sit ei superfluum, secundum illud*. Luc. 11. Quod superest, date eleemosynam .... *Ex parte autem recipientis requiritur, quod necessitatem habeat, alioquin non esset ratio, quare eleemosyna ei daretur;* Verba sunt Sanct. Thom. loc. citat. Hoc supposito, sic arg. prosequor: Secundum Ad. beneficiarii obligantur graviter ad faciendas eleemosynas, ita quidem, ut si has omittant, tanto majus peccatum mortale committant, quanto pluribus superfluis abundant, & abutuntur, vel quantum major est egentium necessitas. Atqui per Ad. beneficiarii omittendo in utroque casu facere eleemosynas peccarent contra caritatem tantum: quod tamen practice falsum est, & falsitas demonstratur. Si potest contingere, quod beneficiarii omittentes facere eleemosynas adhuc peccent mortaliter, quin tamen peccent contra caritatem, sive *superflua habeant*, & abutantur: sive occurrat *recipientis necessitas*, tunc falsa est Ad. doctrina, & dici debet, quod in utroque casu mortaliter peccent contra aliam virtutem, nempe contra veram, & specialem justitiam: atqui potest contingere, quod modo statim dicto peccent, ergo. Contra maj. non video, quid dici cum fundamento possit: afferam tamen numer. sequent. & elidam responsionem aliquam, quam ipsemet sententiam contrariam doctus, probare debuit. Min. ergo declaratur. Ponamus, quod fieri omnino potest, quod in locis, in quibus multi beneficiarii cum superfluis morantur, vel nullos esse inopia, & necessitate laborantes: vel si sint tales agentes, ponamus ulterius, multos ibi degere laicos longe opulentiores, quam sint beneficiarii, quippe laici soleant communes pauperum miserias caritative sublevare, ita ut abunde quoad victum, & vestitum pauperibus

peribus sit provisum. Jam pergo ulterius, vel adhuc beneficiarii mortaliter peccant si fructus superfluos notabili quantitate in profanos usus expendant, vel mortaliter non peccant? Secundum non nisi temere assererent: si primum; contra quam virtutem? non caritatis: cessat enim finis erogandi superflua in pauperes, ut visum. Et certe, ut calamo exprimam, quod mente sentio, si beneficiarii solum lege *caritatis* obligantur ad eroganda superflua in pauperes & pias causas, non video majorem in beneficiariis quoad hoc obligationem, quam in reliquis fidelibus; lege caritatis enim omnes Christiani æqualiter adstringuntur: quin immo in præsenti controversia judico, frequentissime plus Laicos, quam Clericos ad faciendas eleemosynas obligari *lege caritatis*, ex eo, quod plurimi Laici consideratis circumstantiis personarum, loci, temporis, & facultatum, longe plura superflua possideant, quam subinde Clerici: ergo si his non obstantibus beneficiarii adhuc graviter peccant omittentes eleemosynam facere, vel piarum causarum bonum procurare superflua interim vane, profane, & male impendendo, certe illud unicum duntaxat est reliquum, ut dicatur, quod legem justitiæ transgrediantur: quicunque autem legem justitiæ transgrediuntur, restitutionis oneri subjiciuntur. Ergo, &c.

LXXXVI. Argumentor 3. cuicunque aliquid traditur onerose, seu cum, & sub onere, ut de illo partem etiam indeterminatam ad certos fines expendat, is juste, & licite recipit quidem totum, quod sibi est traditum, si tamen onus impositum non expleverit, tenebitur ad restitutionem pro rata partis assignatæ, quæ debuisset ad fines præfixos expendi: atqui beneficiariis reditus Ecclesiastici traduntur cum, & sub onere, ut de illis partem (sive dicamus, determinatam, sive indeterminatam, in re perinde est) nempe superflua in alimoniam pauperum, & Ecclesiæ fabricam expendant, ergo licet beneficiarii omnes & singulos reditus juste, & licite recipiant, si onus annexum non expleverint, restitutioni subjacebunt pro parte expendenda in prædictos usus. Maj. patet in pluribus casibus: sic si Petrus det Paulo Romam verbi gratiam pergenti, mille florenos, cum hac tamen obligatione, ut quod necessariis expensis in itinere faciendis superest, eroget in pauperes, si Paulus obligationem hanc non impleverit, sed totam summam prodige insumpserit, certe tenebitur, & quidem ex titulo justitiæ, ad faciendam Petro, vel pauperibus restitutionem in tota quantitate, quam male insumpsit. Idem etiam constat in hoc casu, si verbi gratia Petrus donet Paulo magnam pecuniæ summam, ut sibi alimenta ministret, etiamsi Paulus dictam summam non male impendat, vel si tantum, quantum Petro in alimoniam dare debet, alteri donet, iterum Paulus tenebitur ad restitutionem, si Petro alimenta non ministret. Idem denique palam fit in hærede adeunte hæreditatem debitis gravatam: vel in legatario suscipiente legatum onerosum, si vel ille debita creditoribus solvere neglexerit: vel iste modum, sub quo legatum est factum, non impleverit: uterque enim ad restitutionem tenebitur: ergo vera est Maj. arg. Jam prob. m. Reditus beneficiales traduntur Clericis secundum, & in virtute contractus saltem taciti (qui tantum valet, quantum expressus) initi inter Ecclesiam, & populum Christianum, qui ei sua bona confert: sed contractus iste tacitus operatur, ut prædicti reditus sint gravati, & beneficiarii obligati, ut quod superest de honesta sustentatione tribuatur pauperibus, ergo si reditus beneficiales sunt gravati, & beneficiarii dicto modo obligati, si id non præstiterunt, restitutioni subjicientur. Discursus patet, quia olim in primitiva Ecclesia certo iste contractus, seu tacitus, seu expressus vigebat, ubi primitivi Fundatores sua bona Ecclesiæ contulerunt ob amorem Dei, & animarum suarum salutem, quam melius promovere non poterant, nisi peccata sua eleemosynis redimendo, & thesauros suos per manus pauperum in Cœlos transmittendo; cum autem iste finis, & intentio a primis, & & devotis Fundatoribus longo, & continuo intervallo huc usque perduraverit, & perduret in nostri temporis piis Fundatoribus, etiam modo contractus iste Fundatores inter, & Ecclesiam durare, merito censendus est. Sicut enim ex antiquis Fundatoribus nemo inveniendus fuisset, qui sua bona Ecclesiæ contulisset, nisi ob amorem Dei, & propriæ animæ salutem ut dictum, ita nemo hodie inveniri posset, qui sua bona conferre vellet Ecclesiæ & contentus tamen etsi Clerici illis bonis abuterentur sumptuose comedendo, bibendo, gulam colendo, domos, parietes, lecticas, &c. splendide vestiendo, verbo, sæculares in vani-

vanitatibus imitando, vel omnino superando: ergo omnino prudenter praesumi, & judicari debet (quod quisque optime propriam duntaxat consulendo, conscientiam in semetipso experiri potest, quidnam facturus esset, si Fundatorem agere posset, & vellet) pios, & fideles Fundatores hunc tacitum saltem cum Ecclesia contractum inire velle, dum sua bona Ecclesiis conferunt, ut, quod superest beneficiariis, accepta sua, quae congrua sit, sustentatione, tribuant pauperibus, & piis causis; & si hoc non fecerint, ad restitutionem teneantur, quemadmodum illi, quos supra hoc numero in allatis casibus recensuimus.

LXXXVII. Argumentor 4. irrefragabiliter verum est, quod quicunque peccat contra septimum praeceptum decalogi, obligetur ad restitutionem, sed Clerici abutentes redicibus beneficialibus ad usus vanos, & profanos peccant contra dict. praeceptum decalogi, ergo obligantur ad restitutionem. Maj. a nemine in dubium vocari potest. Min. probat secundum abunde supra dicta *non praelatus*, *sed Christus dominium*, *& possessionem rerum Ecclesiae habet; unde quaecunque homines offerunt Ecclesiis, dicuntur esse oblata Deo*, inquit Innocentius Pap. IV. in cap. *cum super* de causa possessionis, & proprietatis num. 3. *Et si aliquando inveniantur haec bona Deo oblata*, *esse Episcoporum*, *vel Praelatorum*, *vel Capitulorum: dic esse eorum quoad gubernationem* Canon. *nulli liceat* 12. quaest. 2. Sunt ergo res Ecclesiae sub vero, & proprio dominio Domini Nostri Jesu Christi, ergo si Clerici his rebus ad alios usus quam praefixos, utantur, abutuntur re sub vero, & proprio alterius dominio existente: quicunque autem re alterius abutitur, furtum committit, ergo demum & Clerici reditibus suis abutentes furtum committunt. Res adhuc magis elucescit in exemplo jam allato; ponamus, Petrum habere singulis annis a principe mille ducatos, ut de his se secundum omnem rationabilem necessitatem sustentet, quod tamen huic sustentationi superest, eroget in egenos. Jam in hoc casu nemo non Petrum restitutioni obnoxium arguet, si neglecta egenorum cura totam summam in suos usus, praesertim profanos insumat, ergo multo magis, in nostro casu nemo non beneficiarios restitutioni obnoxios arguet, si fructus, seu reditus beneficiales, qui sunt ultra honestam sustentationem, in alios usus, quam in quos sunt deputati, impendant; sunt autem, ut saepius visum est, deputati ad pias causas, & sustentationem pauperum; dicit enim Sanctus Thomas 2. 2. quaest. 86. articul. 2. O quot *oblationes*, *quae a populo Deo exhibentur*, *ad Sacerdotes pertinent*, *non solum*, *ut eas in suos usus convertant; verum etiam*, *ut fideliter eas dispensent: partim quidem expendendo eas in his*, *quae pertinent ad cultum divinum; partim vero in aliis*, *quae pertinent ad proprium cultum: quoniam qui Altari serviunt*, *cum Altari participant*, *ut dicitur* 1. *Corinth. 9. partim etiam in usus pauperum*, *qui sunt*, *quantum fieri potest*, *de rebus Ecclesiae sustentandi*. Quod idem longe ante Sanctum Thomam optime dixerat Sanctus Augustinus Serm. 219. de tempor. Quod nempe *decimae sunt tributa animarum egentium*, *& tot a Domino pauperibus delegata*, *& ita quod pauperes*, &c. cap. decimae, 16. quaest. 1. Quae de decimis, ea ratio est de omnibus beneficiorum reditibus, cum supra decimas potissima beneficia hodie sint erecta. Ex his ergo stat, bonorum Ecclesiae dominium esse penes solum Dominum Nostrum Jesum Christum; item stat, bona Ecclesiae ad pauperum sustentationem ordinari; stat demum & hoc, Clericos, si bonis Ecclesiae vane, & profane abutantur, *re aliena* uti, & hinc furtum committere, & quidem qualificatum, contra septimum decalogi praeceptum. Dico *qualificatum*: non enim furtum qualecunque committunt, sed furtum Sacrilegum, cum *rebus sacris*, ut visum supra, in usus vanos, & profanos abutuntur. Adeoque & sic fures sunt sacrilegi, & quis est, qui eos ab onere restitutionis deobliget?

LXXXVIII. Argumentor 5. quemadmodum, etiam fatentibus Adversariis, Clerici ante divisionem bonorum Ecclesiae non fuerunt Domini sed dispensatores, Oeconomi, *&c.* eorundem bonorum, ita ante divisionem certo etiam per ipsos Clerici tenebantur ad restitutionem, si bona Ecclesiae vane, & profane dilapidassent: Atqui per divisionem redituum in quatuor partes: & iterum per erectionem beneficiorum, & praebendarum, natura bonorum Ecclesiae non fuit immutata: sicut non fuit immutatus cultus divinus, non immutati ministri, non immutata cura pauperum; ergo & hodie tenebuntur ad restitutionem, si, *&c. &c.* Maj. est omnium. Minor etiam constat ex argument. 1. pro praecedent.

dent. conclus. allato. Ubi diximus, quod divisores ex multiplici capite naturam bonorum Ecclesiæ immutare non potuerint: ut nempe transferrent dominium in alios, quo ipsimet carebant, cum nemo possit, secundum dicta, plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur; sicut dividentes hæreditatem in plures partes, possunt quidem hanc, & illam, & tertiam verbi gratia partem in tres hæredes transferre, efficere tamen non possunt, ut hæredes non maneant obnoxii restitutioni, si tota hæreditas onerata sit debitis. Atque hinc faciant divisores, quotquot velint divisiones bonorum Ecclesiæ, si tota hæreditas Domini Nostri Jesu Christi certa secum semper habeat annexa onera, nempe ad promovendum cultum divinum, ad alendos pauperes, &c. quæ onera divisores tollere non possunt, nunquam immutabunt naturam bonorum Ecclesiæ: at vero tollere non possunt; quia sicut Apostoli non poterant tollere onera annexa bonis Ecclesiæ, quæ a primis illis fidelibus offerebantur, ut sæpius colligitur in actis Apost. erant autem illa onera, ut penes cultum divinum ejusque Ministrorum sustentationem alerentur fideles egeni, ita neque Apostolorum Successores a bonis Ecclesiæ per divisionem quamcunque annexa onera tollere possunt; Semper enim stat, quod *res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes Domino oblatæ cum timore non in alios quam præfatos usus, sunt fideliter dispensandæ* 12. quæst. 1. semper indispensabiliter verum est, quod *quidquid habent Clerici, pauperum est*, cap. final. 16. quæstion. 1. usque tenendum est, quod *non sunt nostra sed pauperum, quorum procurationem gerimus*, capitul. *quod autem*. 23. quæstion. 7. hoc idem inculcat ut omnino verum Ambrosius can. *convenior*, ead. can. q. 8. *Omnia nempe sua esse pauperum*. Stat igitur, bona Ecclesiastica seu ante seu post divisionem, eandem habere naturam, & onera, quia nunquam fuit immutata cura pauperum & iterum ex alia parte irrefragabiliter verum est: etiam post divisionem Apostolorum Successores existimandos esse *tanquam Ministros, ac dispensatores mysteriorum Dei*. At vero *quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*, 1. Cor. 4. Porro dispensatoribus *potestatem dedit Deus in ædificationem, non autem in destructionem*. Verbo, stat, per divisionem bonorum Ecclesiæ in quatuor partes nec cultum divinum, nec ejusdem ministerium fuisse immutatos: sed neque ipsa bonorum natura, unde jam constringam: si Clerici ante divisionem bonorum, & beneficiorum erectionem, ultra sibi necessaria de iisdem bonis usurpassent, leges justitiæ violassent, & vel ideo graviter ad restituendum fuissent obligati: ergo eodem modo leges justitiæ violant, cum gravi onere faciendæ restitutionis, si ultra sibi necessaria de bonis Ecclesiæ usurpant.

LXXXIX. Argumentor 6. quando Sacrosanctum Concilium Tridentinum Sess. 25. *de Reformat.* cap. 1. graviter prohibuit, *ne* beneficiarii, quacunque fulgerent dignitate seu Episcopali, seu Cardinalitia, *ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant*, non habuit pro motivo interdicendi solam legem caritatis, sed insuper habuit pro motivo veram, & specialem justitiam: ergo quicunque contra Decretum Tridentini agunt, reditus Ecclesiæ vel in consanguineos, vel in alios usus vanos, & profanos expendendo, peccant contra veram, & specialem justitiam, a restitutione minime excusandi. Cons. tenent. prob. 1. Sacra Synodus ibidem insistebat vestigiis & Decretis Pontificum, ac præcedentium Conciliorum, & nominatim Concilio Carthaginensi cap. *Episcopus* 14. dist. Ergo quemadmodum Pontifices, & Concilia præcedentia pro motivo interdicendi, ne Clerici reditus Ecclesiæ sive in suos, sive alias vane profunderent, habebant veram, & specialem justitiam, & non solam caritatem, ita pariter, & quidem majori jure hoc idem dicendum est de Concilio Tridentino. Atqui Pontifices, & Concilia præcedentia habuerunt pro motivo interdicendi, &c. legem veræ justitiæ, ut satis visum est supra circa initium hujus quæst. Dixi, *majori jure;* quia quemadmodum veritas non opponitur veritati, ita nec Concilium legitime congregatum & approbatum opponitur Concilio legitime congregato, & approbato. Et quæso, quo fundamento præsumi potest, quod Tridentinum aliud determinare voluerit, quam fuisset jam determinatum a præcedentibus Conciliis? cujus unica mens in eo versabatur, ut mores Clericorum, modumque vivendi secundum normam antiquorum SS. Canonum reformaret. An ergo credendum sit? Quod *ut reformatorium* voluerit magis relaxare mores, quia & peccata fovere, & non potius, ut Cle-

rus

rus *vilem supellectilem*, *& mensam*, *ac victum pauperem habeat*, *& dignitatis suæ auctoritatem fide*, *& vitæ meritis quærat?* cap. Episcopus 41. d. At vero relaxasset, mores, quin & peccata fovisset, & foveret continuo, si dum antiqui SS. Canones Pontifices, & Concilia Clericos ultra sibi necessaria sumentes de bonis Ecclesiæ, ad restitutionem obligabant: jam autem declararet, & omnino discerneret, Clericis tantum ex motivo caritatis, & misericordiæ erga pauperes, & pias causas, non item ex lege justitiæ esse interdictum, ne ex reditibus Ecclesiæ suos ditent, vel alias sumptuose vivant.

XC. Idem Ant. prob. Si Concilium Tridentin. dict. l. Clericis non interdixisset ex lege veræ justitiæ, ne de reditibus Ecclesiæ suos, *&c.* augerent, hoc ipso etiam indirecte eosdem Clericos ex sola lege caritatis, vel misericordiæ obligasset ad eroganda superflua in pauperes, *&c.* sed hoc secundum nec potest, nec debet præsumi de mente Concilii, ergo ex lege justitiæ interdixit. Maj. est Ad. Min. prob. Si Concilium ex sola caritatis, vel misericordiæ lege obligaret Ecclesiasticos ad eroganda superflua in pauperes, ex mente Concilii Clerici plus non obligarentur ad eroganda superflua, quam obligentur Laici; hoc autem plus quam falsum esse non potest secundum tot apertissimos SS. Canones, Pontificum decreta, Sanctorumque Patrum documenta; unum allego Ambrosium relat. cap. *Sicut* 47. dict. Qui si tam severe scripsit de Laicis opulentis, quid sensisse censendus sit de beneficiariis superflua habentibus, cujuslibet relinquo sententiæ; dicit autem de Laicis superflua statui possidentibus; *Neque enim minus est criminis habenti tollere, quam cum possis, & abundes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis, & miserorum redemptio est, & absolutio, pecunia, quam tu in terram defodis. Tot te ergo scias invadere bona, quot possis præstare, quod velis.* Hæc ibi, dicendum ergo est, si juxta hunc sanctitate, & doctrina celeberrimum Patrem Laici abundantes tam graviter obligantur ad sublevandam ex superfluis egentium inopiam, quod Ecclesiastici, qui Patrimonium pauperum administrant, majori obligatione adstringantur ad relevandam egenorum miseriam, consequenter ex lege veræ, & specialis justitiæ. Sed mi Sancte Ambrosi, jam animadverto tacitam, immo expressam nostrorum (non dixerim, tuorum) Adversariorum responsionem; dicunt enim, quod *hyperbolice*, *exaggerative*, *ex pio zelo*, ac de via *Consilii* loquaris; sed parce, inferius tuum, aliorumque Sanctorum Patrum *circa hyperbolicas istas locutiones* defensabo honorem Deo dante. Interea pergo, ac

XCI. Idem Ant. prob. 3. Concilium Tridentinum potuit Beneficiariis cujusque dignitatis interdicere, ex lege veræ, & specialis justitiæ, ne ex reditibus Ecclesiæ suos, *&c.* augeant, ergo & *voluit* sic interdicere. Ant. mihi videtur innegabile; secus enim si Concilium hoc non potuit, non est necesse, cur Adversarii se tantopere torqueant, in explicando sive hoc, sive aliis Conciliis post divisionem bonorum celebratis; poterunt enim immediate negare suppositum, quod Concilia potuerint unquam ex motivo justitiæ Clericos dicto modo obligare, non multum attendendo, vel se referendo ad alias responsiones. Sed per me licet, negent suppositum; opto tamen ex corde, ut aliquando sint tam securi coram severo, & justissimo Judice Jesu Christo, quam de facto sunt proni, vel ad neganda supposita, vel ad excogitandas, dandasque, nescio quas ratiunculas, ut ita in sua semper propensam humanam libertatem contegant, pallieutque. Sed jam pergo ad Cons. & probo: Concilium cit. loc. *voluit* beneficiariis interdicere, ne ex reditibus Ecclesiæ, *&c.* ut hac ratione melius consultum iretur reditibus Ecclesiasticis, sed nisi ex lege justitiæ interdixisset, non melius, sed omnino pejus iretur consultum dictis reditibus, ergo *voluit* interdicere ex motivo justitiæ. Maj. clara est; quia Concilium visis excessibus, qui circa bona Ecclesiastica vel contingere solebant, vel poterant, unice intendebat Clerum reformare, meliusque dictis bonis prospicere. Min. ergo prob. Longe pejus consultum itur bonis, quæ substant dominio pleno, & absoluto talis hominis, de quo continuum est periculum, ne bona dissipet, etsi dissipaverit, quod non teneatur ad restitutionem: melius vero consultum itur bonis, si eidem substent ut administratori; ex uno enim capite non est tam propinquum periculum eadem dissipandi, scit namque non esse sua: ex alia vero ratione ad non dissipandum absterretur propter annexum onus faciendi restitutionem; ergo etiam bonis Ec-

Ecclesiasticis longe pejus consultum iretur, si subftarent pleno, & absoluto dominio Clericorum, de quorum non paucis continuum est periculum, ne eadem bona dissipent: immo experientia non raro probat, quod dissipent, interea tamen ad restitutionem non obligati: melius vero iisdem bonis prospectum est, si Clericis ut Administratoribus, D. N. J. Christo ut vero, & proprio Domino subsint: absterrebuntur enim ad non sumendum plus ex illis bonis, quam quod suæ conditioni est necessarium, propter continuum metum faciendæ restitutionis, superflua vero secundum injunctum onus elargientur in pauperes, & pias causas. Dico, & repeto, pejus sic bonis Ecclesiasticis esset consultum: si enim sæcularis quispiam utut plenissimus suorum dominus bona sua vel per excessivas donationes, vel ad alios fines minus honestos vane dissipet, brevi invigilabit Princeps, vel Respublica, ne porro ita prodigere valeat: quin & non raro donatarios, vel alios, qui eadem bona quocunque demum licito, vel illicito modo receperunt, ad restitutionem obligabunt. Si vero beneficiarii, ex malo supposito, quod non teneantur ad restitutionem, bona Ecclesiastica vane, & profane prodigant, quis invigilabit? non Princeps sæcularis, vel Respublica: nulli enim potestati sæculari quoad hoc Clerici sunt subjecti. An ergo invigilabit Judex Ecclesiasticus? non invigilabit; deberet enim prius sibi attendere, & propriæ domus curam gerere, quam alienæ, supposito, quod ipsemet bona Ecclesiæ vane, & profane expendisset, sub mala persuasione, se ad restitutionem non teneri. Et esto, quod talis Judex nostræ, & veræ sententiæ esset, invigilet beneficiariis, ne male bona Ecclesiæ dissipent, aut si dissipaverint, obliget ad restitutionem: respondebunt non pauci, se aliunde non teneri ad restitutionem, eo quod sententia contraria probabilis ad hoc non obliget: sed huic impugnando non immoror, cum mea mens ex alibi dictis abunde constet, nempe ex opere contra probabilismum. Ex his tandem sequitur ultimata conclusio hujus argumenti 6. nempe quod Concilium citat. Cap. & Session. pro motivo interdicendi, ne Clerici quicunque ex reditibus Ecclesiæ suos &c. augere studeant, habuerit legem veræ, & specialis justitiæ, quod si ex hactenus dictis non evaderet manifestum, adhuc probari posset ex eo, quia Concilium ibidem Sanctissimo Romano Pontifici; *universalis Ecclesiæ administrationem* (adeoque & in bonis ejusdem) attribuit, contra Administrationem autem non tantum simpliciter peccatur, sed insuper restitutionis onus incurritur, si contra fidem Administrationis agitur. Si proinde ipsi Romano Pontifici secundum Tridentinum Administratio tantum competit, quomodo plus Clerici inferiores, nisi temere sibi arrogabunt?

XCII. Argumentor 7. Si beneficiarii male impendendo Patrimonium Christi non tenentur ad restitutionem, vel hoc Adversarii sentiunt, quando iidem beneficiarii res Ecclesiæ in tanta quantitate dilapidant, quæ de se sufficiat ad mortale peccatum; vel intelligunt etiam de quantitate longe majori? Ponamus enim duos beneficiarios, quorum unus habeat 30. alter 100. millium aureorum summam annuatim: ponamus iterum, quod tres v. g. aureos vane, & profane insumere sit mortale respectu beneficiarii: ponamus insuper, quod prior tantum tres aureos male expendat, posterior vero multa millia aureorum verb. gr. 20. 30. vel 50. millia. Hoc posito vel uterque est obligatus ad restitutionem faciendam, vel secundum Ad. uterque debet esse deobligatus a restitutione facienda: si proinde iste secundus, qui in tanta quantitate bona Ecclesiæ dissipasse supponitur, est deobligatus a facienda restitutione, amore Dei, quo deveniet universæ status Ecclesiæ? practicet enim hoc unus, & alter, vel etiam plures, in quorum manibus pingues adeo sunt reditus, practicent, inquam, hos bonorum Ecclesiæ abusus, absque restitutionis onere, quale, obsecro, brevi toti Ecclesiæ detrimentum inferent, consideranti relinquo.

XCIII. Sed respondit ad hoc non nemo ex Ad. hunc secundum, qui in tanta quantitate reditus Ecclesiasticos male impendisse supponitur, omnino teneri ad restitutionem: quia nimirum magnopere damnificasset Ecclesiam. Sed contra hunc N. insurgo 1. ubi eadem est ratio restituendi, plane inconvenienter uni imponitur obligatio restituendi quæ non etiam imponatur alteri; sed in utroque allegato casu eadem est ratio restituendi, ergo &c. Maj. ceteris paribus vera est. Min. prob. Ratio restituendi in eo, qui bona Ecclesiæ in magna quantitate consumpsit, est damnificatio Ecclesiæ, atqui damnificatio Ecclesiæ pariter

ter

ter fit ab eo, qui etiam in minori quantitate eadem bona insumit: major enim, vel minor quantitas se habet per accidens quoad damnificationem, si tamen utraque quantitas sit sufficiens ad mortale peccatum: sicut si unus furetur mille aureos, alter vero unum aureum, damnificatio quoad substantiam in utroque æqualis est, utpote sufficiens ad mortale, & sub mortali inducens onus restitutionis: per accidens tamen, & terminative in uno damnificatio major est, & vel ideo etiam propter notabiliter mutatum judicium Confessario in S. Tribunali exprimenda. Insurgo 2. contra istam consequentiam: nemo dicitur proprie damnificare alterum, qui sua, quæ sub pleno, & absoluto dominio possidet, quocumque demum modo, licito, vel illicito, impendit, sed potissimum tantummodo semetipsum damnificat: atqui beneficiarii per Ad. sub pleno, & absoluto dominio bona Ecclesiæ possident; ergo quocunque modo, seu in magna, seu in parva quantitate eadem bona expendant, non debet dici quod alterum, nempe Ecclesiam, damnificent, sed potius semetipsos: si ita, etiamsi in maxima quantitate suos reditus prodigant, non tenebuntur ad restitutionem, sed potius illi, qui eadem bona receperunt: Videant ergo Adversarii, in quas laxitates, inconvenientias, & absurditates cum sua periculosa sententia devolvantur.

XCIV. Argumentor 8. ex eo, quod mox dixerim: *Sed potius illi, qui eadem bona receperunt*, tenebuntur ad restitutionem. Sic igitur: quicunque retinet, vel consumit rem alienam, seu mala fide, & ex injusta acceptione acquisitam, sub gravi peccato, si res fit in majori quantitate, tenetur ad restitutionem: sed donatarii, vel alii, qui bona Ecclesiæ recipiunt a beneficiariis, retinent, vel consumunt rem alienam, malaque fide acceptam; ergo tenentur sub gravi peccato ad restitutionem. Maj. est omnium. Min. prob. quicunque bona Ecclesiæ recipiunt, possunt, & debent scire, esse rem alienam, adeoque dum tamen recipiunt, retinent, vel consumunt, mala fide, & ex injusta acceptione recipiunt, si ita, manifeste ad restitutionem obligantur: ergo, &c. Ant. quoad 1. memb. prob. reliqua enim clarent. Qui bona Ecclesiæ recipiunt, debent scire, an Donatores vel Collatores sint in possessione, ut possint donare, & conferre: atqui hoc ipso debent, & possunt scire rem donatam, seu collatam esse alienam: ergo &c. Maj. patet: si hoc enim requiritur in aliis donationibus, cur hoc non requiritur multo magis in donationibus, &c. rerum Ecclesiæ? requiritur autem in donationibus aliis v. g. debet scire, an Donator non sit pupillus, minorennis, &c. qui donare non possunt, & si profane donaverint, ipsæ donationes sunt irritæ, quia pupillus, & minorennis &c. Sicut ad alienandum, sic & ad donandum sunt incapaces, l. *stipulatio* ff. de V. O. & l. omnes §. *Lucius* ff. *quæ in fraudem Creditorum*. Stat ergo, quod donatarius, vel qui recipit quantitatem notabilem ab alio, debeat scire, an Donator, vel conferens sit in possessione donandi, vel conferendi, ad hoc ut sit securus in conscientia, nec obnoxius restitutioni. Quod si hoc ergo debet sciri, jam etiam stat *Min.* supra facta, quod scilicet, donatarius, seu qui recipit bona Ecclesiæ debeat, & possit scire, se recipere rem alienam, adeoque mala fide & ex injusta receptione. Loquor autem de quantitate notabili, & de donatione, quæ non sit forsan in recognitionem obsequiorum a donatario v. g. Ecclesiæ præstitorum. Ceterum quod donatarius possit, & debeat scire, se recipere rem alienam, ostendo; Qui recipit bona Ecclesiastica e beneficiario, ignorare non potest, se recipere *bona sacra* saltem quartæ speciei, ut supra dicebam ex Sanct. Thom. item non potest ignorare, se recipere bona ad cultum divinum, Ministrorum Ecclesiæ, & pauperum sustentationem destinata: Ergo nec potest ignorare, se recipere rem alienam, adeoque & *potest* & *debet* scire, quod recipiat, retineat, &c. rem alienam. Ant. probo ad hominem, & secundum meum tenue judicium efficaciter: Si talis donatarius vel alius quiscunque recipiens bona Ecclesiæ, ante donationem sibi factam, contulisset bona sua Ecclesiæ ad fundandum aliquod beneficium, vel decimas exolvisset; videret interea beneficiarium superflua, vel ex beneficio fundato, vel ex decimis provenientia vane & profane erogare sive per donationes liberales, sive alios usus; hic talis (& sic quilibet alius) quid responderet, nisi hoc, quod mens sua nunquam in eo fuerit, ut bona sua oblata, scilicet decimæ exolutæ ad alios fines impendantur, nisi ad cultum divinum, ministrorum, ac pauperum sustentationem, & Ecclesiæ

fabricam. Jam accepto hanc omnino prudentem, & a quolibet conscientioso expectandam responsionem, & infero: quemadmodum ergo Fundator, vel decimas exolvens ægre ferret, si videret reditus ex Fundato a se beneficio, vel ex decimis provenientes per viam donationis, vel alias profundi, immo jure merito reclamaret, *rem alienam*, Deo nempe consecratam, pauperum alimoniæ, & Ecclesiarum fabricæ destinatam, profundi, & dissipari; ita & quilibet alius donatarius, vel quicunque demum bona Ecclesiæ recipit, non potest ignorare, sed debet, & potest scire, se recipere rem alienam, & quod amplius est Deo *sacram*, ut sic non tantum simplex furtum committat, sed sacrilegii reus, & ita jure divino, & naturali obnoxius restitutioni existat.

XCV. Sed esto, quod aliquis, qui recipit bona Ecclesiæ vel per viam donationis, vel alio modo, ignoret, se recipere, retinere, consumere, *&c. rem alienam* (quod an inculpabiliter ignorare possit, amplius non discutio, cum ex immediate præmisso discursu faciliter convinceretur, quod *possit*, & *debeat* hoc scire) sed esto hoc, inquam: Mihi a posteriori omnino colligendum videtur, quod bona Ecclesiastica, vane, & profane in laicos profusa nunquam fructificaverint, sive sint recepta pro actu turpi, & vitioso, lusorio, *&c.* sive etiam pro actu, ceteroquin non malo omnimode, ut v. g. cognati, affines, *&c.* ditiores, nobiliores, *&c.* evaderent. Experientia namque compertissimum est, quod illæ domus sæculares, quæ redituum beneficialium largitionibus excitantur, & sustentantur, vel cito, & graviter corruant, vel alias magna, & continua pericula subeant: Experimento habemus, quod illæ familiæ, quæ Patrimonio Christi, & pauperum aluntur, & ad altiorem dignitatis, vel nobilitatis gradum ascendunt, continuis, & gravibus discordiis, & rixis discindantur, multis flagellis a divina justitia passim corripiantur: ac non raro a sublimi honorum fastigio ad infimum gradum dejiciantur: utrumque factis compluribus comprobare possemus, unum dabo num. sequent. Sed & illud experientia testatur, quod fœminæ illæ, quæ ex reditibus Ecclesiæ splendidius dotatæ, altioris conditionis viris in Matrimonium junguntur, brevi intervallo incipiant despici, odio haberi, deseri, ac demum in multiplices tribulationes prolabi, præsertim post dotantium mortem; & quid mirum? portant namque iniquitatem Patris, intelligo, dotantis: quid mirum? Male parta siquidem male dilabuntur. Ex alienis ditescere, possidere aliena, & quidem ad divinum cultum oblata, pauperibus, & piis causis duntaxat fructificantia, nunquam profuit, obfuit vero semper & utinam non æternaliter. Aliena enim continuo clamant post dominum suum: & non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Atque hinc, si alias non demonstraretur, donatarios, & & quicunque demum bona Ecclesiastica vane, & profane recipiunt, graviter obligatos esse ad donata, & recepta restituenda, crederem omnino, id a posteriori, ut dixi, seu ex malis effectibus, clare evinci posse, ut patet ex sequenti funesto exemplo.

XCVI. Commemorat Petrus Damian. *ad Dominic. cap.* 8. *Epist.* 5. quod Hildebrandus Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, cum de prædiis, rebusque Ecclesiarum injuste possessis, præsente Victore Papa, pro Concione diceret, sequens exemplum intulerit. In Teutonicis partibus (ajebat) Comes quidam dives ac præpotens, sed quod in illo hominum ordine prodigium est reperiri, bonæ opinionis, & innocentis vitæ, prout humanum erat de ejus æstimatione judicium, ante decennium fere defunctus est. Post cujus obitum quidam Religiosus vir per spiritum ad inferos descendit, & præfatum Comitem in supremo gradu cujusdam scalæ positum vidit. Ajebat namque, quia illa scala inter stridentes, & crepitantes ultricis incendii flammas videbatur erecta, atque ad suscipiendos omnes, qui ex eadem Comitum Genealogia descenderent, constituta. Erat autem tetrum chaos, immane barathrum infinite patens, atque in profunda demersum, unde scala producta surgebat. Hoc igitur ordine succedentium sibimet series texebatur, ut cum quis eorum novus accederet, primum interim scalæ gradum teneret: Is autem, qui illic repertus erat, aliique omnes, ad proximum sibi gradum in ima descenderent. Cumque alii, atque alii ex eodem genere homines post carnis obitum ad præfatam scalam per temporum intervalla confluerent, alii protinus caderent, ineffabilis judicii necessitate, ad inferiora migrabant. Plane dum vir, qui hæc contemplabatur, causam hujus horrendæ damnationis inquireret, & præsertim cur ille Comes sui temporis puniretur, qui tam juste, tam decenter, tam hone-

honeste vixisset, intellexit, quia propter quandam prædii Metensis Ecclesiæ possessionem, quam bono Stephani proavus ejus abstulerat, cui videlicet iste jam decimus in hæreditate successisset, omnes isti nunc diverso supplicio deputati sunt. Et sicut eos ad peccandum non dispar avaritiæ culpa conjunxit, ita nihilominus ad perferendas atrocis incendii pœnas commune supplicium copulavit. Hoc Ecclesiastici juris possessores advertant, & subtiliter caveant, ne dum se de reditibus Ecclesiæ satiant, edaces postmodum flammas medullis suis depascant. Hæc apud Laurentium Beyerlinck. verbo: *Restitutio*. Nec quispiam sibi persuadeat, hunc Comitem cum suis antecessoribus immerito tam horrendam damnationem incurrisse, eo quod omnes prædium Ecclesiæ a proavo *ablatum* possederint, adeoque rei *injustæ acceptionis*, & quidem in majori quantitate rei Ecclesiasticæ immobilis: quod non videtur sequi in liberalibus donationibus redituum Ecclesiæ, utpote non rerum immobilium, sed mobilium. Nam contra est, quod seu rapiat quis, seu non rapiat, sed liberaliter accipiat, seu bona sint mobilia, seu sint immobilia, stat tamen fixe, & immobiliter, quod *alterna*, ad cultum divinum, alimoniam pauperum, *&c.* per se ordinata accipiant, retineant, *&c.* & ideo fures sunt, Sacrilegi sunt: Et si insuper hæc bona *rapiant*, novam peccati speciem incurrent, & nisi dum tempus est, resipuerint, restitutionemque fecerint, habent quod parem cum præmemorato Comite a vero & proprio bonorum Ecclesiæ Domino justissimoque Judice D. N. JESU Christo sententiam expectent. Dura loquitur iste (cogitabunt secum ipsi non pauci forsan) sed si hæc mea duntaxat forent peccata, de quibus quondam supremo Judici respondere deberem, sperarem firmiter, propitium admodum (ceteroquin tremendum) mihi fore Dei judicium. Atque ex his hactenus dictis stat secunda Conclusio, qua diximus, beneficiarios non tantum peccare mortaliter, si bona Ecclesiastica vane, profane, & superflue profundant, sed insuper graviter obligari ab restitutionem faciendam. Jam occurrit tertia assertio ventilanda, quæ quidem pariter ex præcedentibus stat fixa, nimirum quod beneficiarii ex bonis Ecclesiæ nec valide possint testari.

CONCLUSIO TERTIA.

Beneficiarii ex bonis Ecclesiæ nec licite, nec valide testari possunt.

XCVII. Dicendum tertio. Beneficiarii ex bonis Ecclesiæ nec licite, nec valide possunt testari: Conclusio, ut actum dictum, non indigeret novis probationibus, cum ex prajactis fundamentis per se necessario sequatur, nihilominus ut videatur clare, quid Canones in hoc sentiant, vel quantum consuetudo patrocinetur in contrarium, operæ pretium duxi, hic aliqua denuo ponere argumenta. Unde

XCVIII. Argumentor 1. Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit: l. *Testamentum* ff. de *Testamentis*: Ergo ut beneficiarii de bonis per Ecclesiam acquisitis possint testamentum condere, necessum est, quod omnia in allata, & communiter recepta definitione essentialia habeant, & observent: atqui beneficiarii ut legitime testentur de dictis bonis, nec habent, nec observant, omnia essentialia Testamenti; ergo nec valide, nec licite testari possunt. Sequela maj. certa est; porro essentialia ad legitimum Testamentum sunt primo, quod sit *voluntatis justa sententia*, h. e. ut testamentum *valeat* debet adesse justa sententia, seu certa scientia, quod res in testamento expressa justo suitatis titulo a Testatore possideatur, iterum sententia etiam ex eo debet esse *justa*, in quantum oportet observare omne id, quod a jure præscriptum est, v. g. ut adsit numerus testium, ut contineat expressam hæredis institutionem, *&c.* Secundo pro testamento est necessarium, ut sit voluntatis *nostræ*, & hinc quicunque sub alterius potestate constituti sunt, testari non possunt, quia in jure carent voluntate *propria*: tales sunt v. g. servi, filii familias, amentes, prodigi, & hujusmodi. Tertium denique requisitum est, ut testamentum sit *de eo, quod quis post mortem suam fieri velit*. Testamentum enim confirmatur morte testantis; *ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris*. Ad Hebr. 9. Et hinc testamentaria dispositio non habet pro objecto ea, quæ vidente Testatore facienda sunt, sed habet pro objecto tempus post ejus mortem venturum: nam ad mortem usque Testatoris voluntas *ambula*

bulatoria dicitur l. 4. ff. *de adimendis, vel transferendis legatis*. Jam tametsi una, & altera ad testandum necessaria conditio in beneficiariis testantibus adesse possit, nego tamen adesse principalem. Hinc igitur prob. Min. arg. ad validum & licitum testamentum essentialiter requiritur *justa voluntatis sententia*, sed hæc justa sententia deficit in omni beneficiario, ergo in omni beneficiario deest essentiale requisitum ad testandum. Maj. stat. Min. prob. Justa voluntatis sententia in illo non reperitur, quando hæc sententia ex una parte requiritur, ut dispositio testamentaria fiat de *re propria* & *sua*: ex alia parte vero faciens dispositionem testamentariam habet cognitionem certam, vel potest, & debet habere talem cognitionem, quod res, circa quam vult facere dispositionem testamentariam, non sit *sua*, & *propria*, sed potius aliena; sed ex una parte requiritur justa sententia de *re sua*, & *propria* ad dispositionem testamentariam: ex alia parte vero beneficiarius testans vel habet cognitionem certam: vel omnis beneficiarius potest, & debet habere talem cognitionem: ergo, *&c.* Totus discursus patet, excepto forsan secundum memb. Min. quod prob. secundum SS. Canones brevi allegandos certum est, quod beneficiarii non possint testari, & hoc ideo, quia secundum Canones allegandos, & sæpius jam allegatos, testarentur de re non *sua* & *non propria*: Atqui hanc SS. Canonum cognitionem *possunt*, immo *debent* habere; ergo possunt, & debent habere cognitionem certam, quod facerent dispositionem testamentariam de re non *sua*, & *non propria*. Maj. adhuc probabitur. Min. vero exinde constat; quia aut beneficiarii non debent suscipere beneficium, aut si velint suscipere, necessum est, ut sibi congruentem, & beneficio competentem SS. Canonum notitiam comparent; nam *his, qui sacram sortiti sunt dignitatem* (inquit septima Synodus Oecumenica Can. 1.) *testimonia, directiones Canonicarum præceptionum formæ consistunt: quas libenter suscipientes cum Deiloquo David canimus ad Dominum: In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Et mandasti justitiam testimonia tua in æternum . . . His ita se habentibus, exultantes in his, sicut qui invenit spolia multa, divinos Canones amplectibiliter in pectore recondimus, & integram illorum præceptionem, ac immobilem tenemus*. Vult ergo Concilium, & recte, beneficiarios omnimodam SS. Canonibus deferre debere reverentiam, eorumque, saltem secundum exigentiam suæ conditionis, callere notitiam; quod si hanc calleant, stat, quod dixi, omnem beneficiarium, posse habere talem cognitionem, qua stante non sit facturus dispositionem testamentariam, nisi de re *non sua*, & *non propria*.

XCIX. Hoc totum, in quo jam vis unica est, abunde hactenus dicta facerent manifestum: ut tamen Conclusio hæc clarius elucescat, necessum est denuo Canones aliquos vel repetere, vel noviter assignare. Igitur Urbanus Pap. dicit, relat. 12. quæst. 1. Canon. 26. Quod *res Ecclesiæ non quasi* NB. *propriæ, sed ut communes, & Domino oblatæ, cum summo timore non in alios usus*, quam in cultum divinum, Clericorum, pauperum, & peregrinorum sustentationem, *sunt fideliter dispensandæ*. Si ita: ergo ex hoc Can. clarum & certum est, quod Clerici res Ecclesiæ, sicut non possunt habere ut suas & proprias, ita de iisdem non possint disponere testamentarie. Ibid. Can. *præcipimus*, mandatur Episcopis & Prælatis, ut res Ecclesiæ *dispensentur per Presbyteros, & Diaconos: & cum timore, & omni sollicitudine ministrentur*. Ubi duo notanda sunt, primum, quod in hoc cap. sicut in præcedenti, & in pluribus aliis continuo præcipiatur, ut res Ecclesiæ *cum timore, sollicitudine*, &c. dispensentur, signanter *cum timore*, quia teste experientia timide, & sollicite procedere circa illum quod curæ, vel fidei nostræ est commissum, memores nempe, rem non esse nostram, adeoque restitutioni obnoxiam, si vel ipsimet eandem male insumamus, vel alias destinamus, quam tamen sollicitudinem, & timorem non sentiremus, si sciremus, rem esse nostram, & propriam, quomodocunque demum eam usurpemus. Alterum in eod. cap. notabile est, quod sicut hic, ita alibi continuo dicatur, ut res Ecclesiæ *ministrentur*, non de iis libere disponatur, quod secundum actum dominii arguit, non item primum. Iterum ead. caus. & quæst. cap. fin. claris terminis exprimitur: *Non illa* (bona Ecclesiastica) *nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non* NB. *proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*. Præterea 16. quæstion. 1. cap. *Quoniam* dicitur, *quidquid habent Clerici, pauperum est*. Iterum Can. *Episcopus* 12. q. I.

q. 1. habetur, quod *Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem*, NB. *ad diſpenſandum*. Et Can. *quiſquis* q. 2. Quod *non liceat ei* (beneficiario) *fraudare quidpiam ex illis, vel cognatis propeiis donare. Quod ſi pauperes fuerint, ut pauperibus largiatue*. Notent, quod ſignanter dicatur, *non liceat ei fraudaee*; nam nemo dicitur proprie *fraudare* de ſuo, & proprio, ſed tantum de alieno. Alexander Papa III. Epiſcopos, & quoslibet Prælatos vocat rerum Eccleſiaſticarum *Procueatores* expreſſe, & denegat eſſe *dominos*, c. *Fraternit.* de donat. Innocentius III. dicit, Clericos vivere *de Patrimonio JESU Chriſti*: c. Cum *ſecundum* de præbendis. Bonifacius VIII. reditus Eccleſiæ pariter vocat *Patrimonia Chriſti* c. *Cum ex eo* de elect. in 6. ergo a primo ad ultimum (ne longior ſim in recenſendis SS. Canonibus) ſtat, bona, & reditus Eccleſiæ non poſſe dici a Clericis *ſua*, & *propria*, ſunt enim ſemper *aliena*: iterum ſtat, ut dixi Clerico valde incumbere, conditioni ſuæ congruam SS. Canonum poſſidere ſcientiam, c. *omnes pſallenſes* 48. d. ne ſecus audiat Propheticum illud: *Tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Oſe. 4. Atque hinc demum colligitur, omnem beneficiarium, & *debere* ſcire, ſe non facturum eſſe diſpoſitionem teſtamentariam niſi de re non ſua, & non propria: ergo denique quo omnia hæc collimant, non teſtabitur ex *juſta voluntatis ſententia*.

C. Dixi iterato *omnem beneficiaeium* poſſe, & debere ſcire, ſe non teſtaturum, niſi ex *non ſuo*, adeoque in omni beneficiario deficere *juſtam* ſententiam, conſequens ergo eſt, nec Papam de reditibus Papatus poſſe teſtari ad profana, quia verum quidem eſt quod Papa, cum ſit Superior omni lege humana, etiam nulla lege humana, quatenus eſt humana ligetur; cum vero teſtari ex reditibus Eccleſiæ, cujuſcumque etiam ſupremi beneficii, non prohibeatur lege humana, ſed divina, & naturali: non etiam ita teſtari ideo malum eſt, quia prohibitum eſt, ſed prohibitum, quia malum; hinc cum & ipſe æqualiter, ac alii, ligetur, lege divina, & naturali, clarum eſt, nec ipſum Papam poſſe dicto modo teſtari. Quod vero lege divina ita prohibeatur, oſtendo: *Semel Deo dicatum non eſt ad actus humanos ulteeius transferendum*, eſt quidem regula Juris 51. ſed in lege divina fundata; nam quod ſemel eſt Deo dicatum, induit rationem, & naturam *Sacri*, res ſacra autem lege divina vetatur, ne ad uſum humanum transferatur, quod eſt enim ſuperioris ordinis, non niſi cum irreverentia, & injuria ad uſum inferioris ordinis uſurpatur, præſertim quando ipſa irreverentia, & injuria redundat in illum, cui res ſuperioris ordinis eſt dedicata, nempe Deo. Infero: atqui omnia bona Eccleſiæ ſunt Deo dicata: nam *quæcunque homines offeeunt Eccleſiis, dicuntur eſſe oblata Deo*: & ideo *non Peelatus, ſed Chriſtus dominium, & poſſeſſionem rerum Eccleſiæ habet*, inquit Innocent. IV. ſupra cit. conſequenter & ipſi reditus provenientes ex bonis, & beneficiis Eccleſiæ dicuntur Deo oblati, dicati: ſicut enim proprietas ſequitur eſſentiam, ita *acceſſorium naturam ſequi congruit Principalis* Reg. Ju. 42. Stat ergo & efficaciter quidem, bona, & reditus Eccleſiæ, ex lege divina, non eſſe transferendos ad actus humanos, ad quos transferentur, ſi vel Papæ vel cuicunque alteri licitum eſſet de iiſdem teſtari ad profana. Idem prohiberi ex lege naturali, oſtentum ſatis eſt num. præced. ubi frequenter dixi, *juſtam voluntatis ſententiam* ſtare non poſſe circa illud, quod eſt certo alienum, & ut certo alienum ab omni beneficiario poteſt, & debet cognoſci: bona autem Eccleſiæ in ordine ad teſtandum ad profana ſunt & debent, & poſſunt ab omni beneficiario cognoſci *ut aliena*, ergo ex lege naturali eſt hoc prohibitum. Prætcrea ex lege naturali teſtamentaria diſpoſitio debet eſſe indubitatus perfectiſſimi dominii actus, ergo a contrario ubicunque non eſt indubitatus perfectiſſimi dominii actus, ex lege naturali teſtamentaria diſpoſitio debet eſſe vetita; atqui nullus beneficiarius unquam exercere poteſt indubitatum perfectiſſimi dominii actum in teſtando ad profana: ex una parte enim ſtat, per jus antiquum, & SS. Canones id *certo* prohiberi: contra *certam* prohibitionem autem de non ſic teſtando non conſiſtit *indubitatus* actus oppoſitus, de valore, & licentia ſic teſtandi: de jure novo autem, quod derogaret (ſi derogare poſſet) antiquo, nec veſtigium quidem aſſignari poteſt. Ex alia parte iterum ſtat, ſententiam Ad. manibus dumtaxat, inconſequentibus, & a quolibet vel obiter tincto Theologo, vel Canoniſta, facile eludendis ratiunculis ſuffulciri, & vel ideo exſufflari, ſicut pulverem, *quem projicit ventus a facie terræ* Pſ. 1. & ex his actum *indubita-*

tum

tum perfectissimi dominii generari posse, quis credat, nisi qui *noluit intelligere, ut bene agat*. Taceo, quod secundum sæpius dicta nemini non beneficiario perspectum esse debeat, bona Ecclesiastica ex primævo Apostolorum instituto destinata esse in divini cultus exhibitionem, ministrorum Ecclesiæ sustentationem, & pauperum alimoniam. Si ita: quomodo stabit *indubitatus* dominii actus? immo non stabit: sed deficiet secundum legem naturalem, & ideo secundum legem naturalem prohibentur testari ad profana, legi autem divinæ & naturali subjectus est ipse Papa unde nec ipse testari potest ad profana; si ergo Papa non potest ita testari, non nisi temerarie id sibi arrogabunt inferiores Clerici.

CI. Argumentor secundo. Quemadmodum *res in Episcopatu acquisitas Sacerdotibus nulla est alienandi licentia*, 12. quæst. 2. cap. 12. Ita multo minus potest ipsis competere de iisdem rebus testandi facultas: sed prius est verum, tum ex dicto Cap. & Cap. *Nulli dubium est*: ibid. quæst. 5. Ergo & posterius verum esse debet. seq. maj. prob. Ubi duo concurrunt, & illud infirmum, immo nullum est, quod minoris est considerationis, & si fieret, minus præjudicium respective afferret Ecclesiæ, multo magis alterum infirmum, & nullum esse debet, quod longe majoris est considerationis: & si fieret, maximum semper Ecclesiæ afferret præjudicium: atqui bona Ecclesiæ alienare minoris respective esset considerationis, & cum minori Ecclesiæ præjudicio fieret, quam testari de iisdem bonis ad profana; ergo si bonorum Ecclesiæ infirma, & nulla est alienatio, multo magis de iisdem factum testamentum nullum est. Min. prob. Ex una parte facilius redimibilia sunt, quæ alienantur, quam illa, de quibus testamentarie disponitur; nam testamenta omni jure servari, & impleri debent, quia ultimæ voluntates fortissime ligant: atque hinc ex dispositionibus testamentariis majus Ecclesiæ præjudicium oriretur, quam respective ex alienationibus, quia contra has plures aliæ viæ patent, salvo tamen jure naturali: & ideo etiam alienare bona Ecclesiæ minoris secundum se esset considerationis, quam ex iisdem testari ad profana.

CII. Confirm. I. in Can. *fixum*. 12. q. 5. Tanquam perpetuo mansurum decernitur, *ut Episcopus rebus sui juris, quas aut ante Episcopatum, aut certe in Episcopatu hæreditaria successione acquisivit, secundum auctoritatem Canonicam, quidquid vult, faciat, & cui vult, eas conferat. Postquam autem Episcopus factus est, quascunque res de facultatibus Ecclesiæ, aut suo, aut alterius nomine, qualibet conditione comparaverit*, decernitur *ut non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, jure deveniant*. Jam sic: exceptio firmat regulam in oppositum; ergo cum Episcopo (idem est de omni alio beneficiario) liberum sit disponere de Patrimonialibus, sive vi dispositionis inter vivos, sive mortis causa, & quidem de jure naturæ: ergo e contra Episcopo &c. liberum non est, quidem de jure naturæ, ut de acquisitis per Ecclesiam sive inter vivos, sive mortis causa disponat; secus enim Concilium Hispalens. (a quo dict. cap. desumitur) non bene immediate, & modo opposito contra Patrimonialia exciperet acquisita per Ecclesiam, attribuens eadem acquisita juri Ecclesiæ, cui præerat.

CIII. Confirm. 2. Nemo testari potest, dum per ipsum testamentum alteri gravem fecit injuriam: atqui Episcopus, vel quicunque beneficiarius gravem alteri injuriam facit testando, ergo &c. Maj. patet min. prob. in c. *Relatum est* de testam. statuitur, *ut bona per Ecclesiam acquisita, ad eam in Clericorum obitu devolvantur*: & infra respondet Pontifex, *quod generaliter bona qualibet per Ecclesiam acquisita, eis debent juxta Lateran. Concilium post acquirentis obitum remanere*. Nam *de his, qua consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum* c. *quia nos*, ibi. aut *si Episcopus condito testamento aliquid de Ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi tantundem de juris proprii facultate* (h. e. de Patrimonialibus, vel quasi Patrimonialibus) *suppleverit*. c. si Episcopus 12. q. 5. Nota, quod hic signanter Concilium Agathens. c. 61. loquatur, si de Ecclesiastici juris *proprietate* legaverit, per quod non veniunt Patrimonialia, vel quasi Patrimonialia, hæc enim non cadunt sub Ecclesiastici juris *proprietate*, adeoque Concilium voluit, reliqua bona ab istis distincta sub Ecclesiastici juris proprietate contineri, non sub proprietate Clericorum. Stat ergo aperte, beneficiarios semel pro semper, si de reditibus Ecclesiæ, stricte sub Ecclesiastici juris proprietate contentis, dispo-

dispositionem testamentariam facere velint, nunquam eandem facturos esse, nisi cum rigorosa injuria alterius, nempe Ecclesiæ, cui deserviunt, nisi injuriam compensent de suis propriis.

CIV. Argumentor 3. *Nemo plus commodi hæredi suo relinquit, quam ipse habuit*, Reg. 120. Jur. Antiq. Ergo nec beneficiarii per dispositionem testamentariam plus commodi possunt suis hæredibus relinquere quam ipsimet habuerint, atqui beneficiarii ex bonis, & reditibus Ecclesiæ plus commodi non habuerunt, quam quod potuerint se conformiter suo statui ex iisdem bonis sustentare, ergo nec alii possunt plus commodi legare, vel relinquere: & si plus non relinquunt, nihil relinquunt: ut patet. Quod vero beneficiarii plus commodi ex bonis Ecclesiæ non habeant, quam congruum victum, & vestitum, clamant SS. Litteræ, clamant SS. Patres, concilia: clamat & ipsa ratio; S. Scriptura enim vult, ut *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus* 1. ad Timoth. 6. Deinde autem, *quod superest, date eleemosynam* Luc. 11. Quod si de Consilio esset respectu Laicorum; de præcepto omnino esse judicari debet respectu Clericorum; ab istis enim *omnia munda* ibid. esse jure exigitur, quibus tam propinque ad fontem omnis puritatis accedere datur; Eleemosyna autem est, quæ munditiam Conciliat; quia *ab omni peccato, & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*. Tob. 1. Et *sicut lavacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosynis, atque operibus justitiæ delictorum flamma sopitur*: ait S. Cyprian. tr. *de oper. & eleemos.* Stat ergo ex S. Scriptura, Clericis de bonis Ecclesiæ plus non competere commodi, quam ut ex illis se alant, teganrque. Mentem Conciliorum, SS. Patrum, *&c.* supra jam satis explicatam quoad hoc hic denuo recensere superfluum judico.

CV. Sed ex eadem regula juris 120. adhuc insisto: vel beneficiarii testando ad profana ita bona Ecclesiæ relinquerent, ut hæredes essent pleni, & absoluti Domini relictorum, vel ut hæredes tantum eo modo possent bonis sibi relictis uti, quo modo potuerunt uti ipsi Beneficiarii? Si secundum; ergo quemadmodum ipsi beneficiarii *cum*, & *sub* onere superflua impendendi ad pias causas, bona Ecclesiæ habuerunt, ita aliter ipsis hæredibus relinquere non potuerunt, quam *cum*, & *sub* onere dicto, & hinc nisi & ipsi Laici hoc unum expleant, peccabunt, sicut ipsi beneficiarii: immo Laici peccabunt eo certius (moraliter loquendo) quo majus est periculum, ne bona relicta de manibus ad manus Laicorum continuo volvantur juste interim plangente Ecclesia, quæ tali modo cum lachrymis cultum divinum diminui, pauperum vero famem augeri, debet intueri. Si autem (quod intolerabilius est) primum dicatur, seu quod beneficiarii ita testari possint ad profana, ut hæredes fiant pleni, & absoluti Domini relictorum: jam redeunt argumenta contra *plenum*, & *absolutum* dominium Clericorum, quo cum ipsi merito careant, quomodo unquam plus juris in alios transferent, quam sibi competere dignoscant? quia nimirum secundum sæpius dicta, Clerici bonorum Ecclesiæ *Dispensatores*, Procuratores sunt, id quod non tantum Ss. Patres, sed & ex Laicali statu non pauci seu doctrina, seu dignitate sæculari fulgentissimi Scriptores, vel etiam principes agnoverunt. Unum pro plurimis allego in auth. *ut determ. sit num. Cleric.* prope finem, ita dicentem: „ Convenit, ut Sanctissimus pro „ tempore Patriarcha, & Reverendissimi „ Clerici circumspiciant, ut reliqui sumptus, qui ex Ecclesiasticis reditibus fiunt, „ aliter, quam in pias & Deo placitas causas insumantur, & ut in illos conferantur, qui & revera egent, nec aliunde „ habent, quo vivant (hæc enim omnium „ Deum conciliare solent) non vero per „ patrocinia, & hominum studia locupletes distribuant ea, quæ ad Ecclesiasticos „ sumptus suppetunt, ut exinde egentes „ vitæ necessariis defraudentur. Noverint „ enim Dei amantissimi Oeconomi, tam „ qui nunc, quam qui olim pro temporibus futuri sunt, quod si quid in his deliquerint, non tantum pœnis cœlestibus „ erunt obnoxii, sed etiam de substantia „ sua Sacrosanctæ Ecclesiæ indemnitatem „ præstabunt. „ Hæc ibi, ex qua Auth. ad oculum patet, quid iste quoque de S. Mat. Ecclesia optime meritus Imperator senserit de *pleno*, & *absoluto* dominio Clericorum. Nec cuipiam negotium facessat, quod imperatoria potestas, utpote sæcularis, non habeat, quod decernat de rebus Ecclesiæ secundum c. *bene quidem 96.* d. Nam non ideo hanc authen. adduximus quasi Imperator per eam jus novum quodpiam constituisset, sed quia antiquum jus declaravit: & hoc quidem ex mente Ss. Ca-

Canonum, & Ecclesiæ, quæ certe aliter, sicut illo tempore non sensit, ita nec hodie sentire potest. Atque adeo (quo hactenus dicta h. n. collimant) constat, Clericos nedum ex mente Ss. Patrum, Canonum *&c.* sæcundum dicta: sed etiam ex mente sæcularis principis non esse *absolutos & plenos* dominos bonorum Ecclesiæ: ita, nunquam potuerunt testando efficere, ut hæredes fiant *pleni*, & *absoluti* Domini relictorum testamentarie, ex cit. Reg. Jut. 70. Ex his.

CVI. Argumentor 4. Quicumque tenetur ad restitutionem ideo tenetur, quia possidet rem alienam vel ex re accepta, vel ex injusta acceptione: sed hæredes, & legatarii ex bonis superfluis Ecclesiæ scienter accipientes, non tantum peccant mortaliter, sed etiam tenentur ad restitutionem: atqui si hæredes & legatarii tenentur ad restitutionem, apertum est, quod beneficiarii testentur de non suo, & vel ideo illicite; & invalide; quod vero hæredes, & legatarii ad restitutionem teneantur, ex inde convincitur; quia reditus superflui indispensabiliter ex natutali lege justitiæ erogari debent in pios usus, quia cum, & sub hoc onere, & tacito (si non expresso) pacto fideles sua bona contulerunt Ecclesiis: & inde evidenter 1. sequitur, quod quicunque ea bona, seu reditus, seu titulo donationis liberalis, seu legati titulo mere profano, accipiunt, & gravis peccati noxam, & restitutionis onus incurrant. 2. Sequitur, quod si beneficiarius haberet filios, & filias, non tantum legitimos, sed etiam spurios, minime posset illis aliquid ex bonis Ecclesiæ via dispositionis testamentariæ relinquere, ob eandem rationem h. n. allegatam: quin immo ex dictis bonis nec posset eos alere, si liberis aliunde prospectum esset de sufficientibus bonis pro sustentatione v. gr. ex bonis adventitiis a Matre: vel si pater propria possideret bona Patrimonialia.

CVII. Argumentor denique principaliter. 9. Si beneficiarii ex bonis Ecclesiæ testari possent ad profana, absque eo, quod vel ipsi testando, vel hæredes, aut legatarii accipiendo peccarent contra propriam, & specialem virtutem *justitiæ*, maxime, quia diu continuata, & in multis hodiedum regionibus practicata *consuetudo* derogasset legi de non testando ad profana: atqui talis consuetudo 1. non potuit legitime introduci, 2. & si potuisset, necdum tamen esset legitime introducta, adeoque 3. est conjuncta cum continuo gravi peccato contra *justitiam*, & bonos mores: ergo nec possunt testari vi *consuetudinis*, quia pessima legis corruptela est. Maj. est potissimum argumentum Ad. Min. Deo dante, coram quo hæc ex unico veritatis, & justitiæ amore scribo, efficaciter probabitur per singulas partes. Igitur quod talis consuetudo non potuerit legitime introduci, sic demonstro. Tamdiu non potest legitime introduci consuetudo, quamdiu per singulos actus contravenitur legi naturali, & divinæ: sed testando ad profana per singulos actus contravenitur utrique legi: ergo consuetudo testandi ad profana legitime introduci non potest. Maj. est certa; nam adversus jus naturale, et divinum non est nisi *mala consuetudo, quæ non minus, quam perniciosa corruptela vitanda est; nisi cito* (inquit Nicolaus Papa 8. d. c. 3.) *radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur, & incipiunt prævaricationes, & variæ præsumptiones celerrime non compressæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari.* Idem habetur ead. d. c. *quæ contra*. Min. prob. per singulos actus beneficiarii, ex certa sententia, peccant vel contra caritatem, vel contra justitiam, dum bona Ecclesiæ superflua in profanos usus inter vivos expendunt: atqui secundum sæpius dicta convincuntur, quod peccent contra justitiam: ergo, *&c.* Subsumo: atqui si per singulos actus peccant contra justitiam, hoc ipso contraveniunt legi naturali, et divinæ; quia agunt contra septimum decalogi præceptum, quod est juris divini, & naturalis. Iterum subsumo: si disponendo inter vivos contraveniunt legi naturali, & divinæ, a fortiori disponendo testamentarie, et mortis causa, contraveniunt utrique legi, ergo, *&c.* Quæ ultima Min. subsum. prob. quemadmodum ipsi beneficiarii volunt, ut sua ultima voluntas de lege naturali impleatur, dum testantur, utut male, ad causas profanas, ita a fortiori non possunt non velle, ut ultimæ voluntates Fundatorum non impleantur, adeoque velle debent ex dictamine legis naturæ, et divinæ, ut ultimæ voluntates Defunctorum, seu dispositiones ad causas pias in alios usus profanos *sine justa causa* non convertantur: Atqui ipsi beneficiarii testando ad profana ultimas voluntates, seu dispositiones ad causas pias convertunt in usos profanos: ægre interim laturi,

turi, si suæ ultimæ voluntates, seu dispositiones ad profana, ad alios præterquam a se intentos fines converterentur; quin & reclamaturi essent, id fieri non posse, nisi cum injuria legis naturalis: ergo demum ipsimet beneficiari ad profana testando, dum incusarent injuriam legis naturalis, si dispositiones suas ultimas non implendas, sed in alias causas convertendas præscirent, ex proprio ore se condemnant, ac se violatores legis naturalis, & divinæ probant. Infero nunc demum, si testando ad profana, toties quoties, violant hanc utramque legem, esto actus testamentarius sine fine, ut ita loquar, multiplicetur, *consuetudinem* legitime introducere non potest. Et hoc argumentum ad hominem, si bene penetretur, spero habiturum non modicam efficaciam.

CVIII. Dixi paulo ante num. præc. Quod beneficiarii ex dictamine legis naturalis, & divinæ velle debeant, ut ultimæ Defunctorum voluntates, seu dispositiones ad causas pias in alios usus profanos *sine justa causa* non convertantur. Nam si justa causa occurrere posset in uno, vel altero casu particulari fieri licitum, testari ad profana, cum licentia tamen debiti superioris. Porro justa causa esset v. g. in remunerationem meritorum, & beneficiorum Ecclesiæ collatorum ab ipso beneficiario, vel consanguineis. In isto casu vero explicite, & directe Defunctorum ultimæ voluntates, seu dispositiones ad causas pias converterentur quidem in usus profanos, ita tamen in similibus circumstantiis futuram fuisse intentionem Fundatorum, omnino prudenter præsumi potest, & debet, ob majus nempe bonum Ecclesiæ, cum hac ratione, si merita vel a beneficiario, vel a consanguineis, vel aliis Ecclesiæ collata ita suspiciantur, ut etiam alii beneficiarii vel consanguinei magis excitandi sint, ut se pro viribus, & qualitatibus de Ecclesia peramplius reddant bene meritos. Unde ex isto capite adhuc manet, quod ultimæ voluntates Defunctorum ad pias causas, etiam stante Testamento ad profana, nihilominus implicite, & indirecte convertantur iterum ad causas pias. Aut si quis in isto casu omnino putaret, Defunctorum dispositiones ad causas pias converti in usus profanos cum violatione legis divinæ, & naturalis, huic bene vel respondetur, ultimas Defunctorum voluntates, seu dispositiones ad causas pias fuisse implicite conditionatas, ita nempe, ut hæ dispositiones ad causas pias non teneant, nisi forte a legitimo superiore ob majus Ecclesiæ emolumentum aliter ordinandum judicetur: ex hoc tamen beneficiarius non velit statim pro domo sua judicare, se vel ob sua, vel aliorum merita Ecclesiæ collata posse testari ad profana, quia nemo judex in propria causa.

CIX. Legitimus autem superior, & judex ad judicandum *de justa causa*, & dandam licentiam testandi ad profana est sum. Pontifex, qui occurrente justa causa in isto casu non dicitur tam dispensare, quam declarare, ultimas Defunctorum voluntates, seu dispositiones ad causas pias hic & nunc non tenere, seu non fuisse omnino absolutas, quo minus ob Ecclesiæ emolumentum mutari possint. Oportet tamen valde examinare justitiam causæ, antequam Papa licentiam testandi ad profana concedat; nam & ipse tanquam Universalis Pastor, & Administrator Ecclesiæ ad fideliter dispensandum a Deo constitutus est, non ad dissipandum: alioquin si ex injusta causa concederetur, vel extorqueretur licentia testandi ad profana, cum injuria pauperum, & Ecclesiarum, manebit quondam utrinque severa reddenda ratio coram tribunali Christi. Ceterum si absit *justa causa*, nec ipse Papa licentiam testandi ad profana dare potest; reclamat enim lex naturalis, & divina (contra quam nec ipse Papa potest) ne Defunctorum voluntates, seu dispositiones ad causas pias in alios usus profanos sine justa causa convertantur, vel ut ita convertendi potestas concedatur. Nec obest, Pontifices per divisionem bonorum videantur potuisse mutare voluntates Defunctorum: eo quod ante divisionem bonorum Fundatores sua Ecclesiis obtulerint, ut servirent duntaxat *Communitati*, quod facta divisione non potest amplius observari: ex his itaque videtur etiam nihil obesse, quo minus Pontifices possint mutare voluntates Defunctorum ad pias causas in usus profanos. Sed contra est, quod in priori casu Pontifices non mutaverint voluntates Defunctorum quoad substantiam, sed mere quoad accidens: Fundatores enim sua bona simpliciter obtulerunt Deo in ordine *ad causas pias*, cum proinde iste finis adhuc stet sive facta, sive non facta divisione, non convertuntur proprie voluntates Defunctorum; at vero in posteriori casu voluntates Defunctorum mutantur, quo

ad substantiam, ut visum est. Hactenus differui pro 1. parte *Min.* arg. principalis, quæ dicebat, quod non possit introduci legitime consuetudo testandi ad profana; repugnaret enim legi divinæ, & naturali, propter *non impletionem*, immo *mutationem* voluntatis Defunctorum.

CX. Jam prob. secunda pars ejusdem *Min.* quod, etsi posset hæc consuetudo introduci, necdum hucusque esset legitime introducta; ergo defacto nulla est, adeoque nec derogare potest legi de non testando ad profana. Ant. prob. ut consuetudo legitime introducatur, inter reliqua summe requiritur *primo* scientia, & tacitus consensus potentis legem condere; requiritur *secundo*, ut actus a majore parte populi frequentetur; sed neutrum requisitum in ordine ad testandum ad profana ex bonis Ecclesiæ observatur, ergo nec consuetudo est legitima; *Min.* prob. quoad 1. requisitum; ut visum supra, non testari ad profana est de jure divino, & naturali; At vero *nemo sanæ mentis intelligit naturali juri (cujus transgressio periculum salutis inducit) quacunque consuetudine quæ dicenda est verius in hac parte corruptela) posse aliquatenus derogari* capit. *cum tanto* h. t. Et esto, quod non testari ad profana ex bonis Ecclesiæ esset de jure positivo, contra quod potest induci consuetudo. Sed jam quæro ab Ad. a quonam *potente legem condere* de non testando ad profana habeant *tacitum consensum*, verbo, a quo superiore hunc consensum habeant; Ast quid quæro? quemcunque superiorem *consuetudinem* Adversarii assignent, aperte visum est in præcedentibus, non subsistere; Primo enim non *consentiunt* SS. Patres, & Conc. sive ante sive post divisionem bonorum; immo nec novissime Conc. Trid. ut manifeste colligitur ex Sess. 25. *de Reform.* cap. 1. Secundo non *consentiunt* summi Pontif., sunt enim Dispensatores, & Administratores duntaxat bonorum Ecclesiæ; quin immo continuo reclamant, prout adhuc videbitur, quando ad oculum dabimus falsam Ad. persuasionem, putantium, summos Pontif. dare posse, aut dedisse facultatem testandi ad profana ex bonis Ecclesiæ. Non denique *consentit* ipsa Ecclesia; quemadmodum enim hodie idem Sponsus est Ecclesiæ, nempe Christus Dominus, ita hodie eadem est Sponsa, quæ fuit antiquis temporibus, certum autem est, quod præcedentibus sæculis Ecclesia nedum non tacite consenserit, sed aperte reclamaverit contra similia Testamenta; ergo & hodie stat, quod Ecclesia reclamet, aut Adversarii dicere cogentur, quod Ecclesia hodie in semetipsa divisa sit ab illa, quæ fuit temporibus Apostolorum, SS. Patrum, *&c.* quod asseverare non auderem, nisi cum periculo patrocinandi erroribus nostræ ætatis hæreticorum.

CXI. Jam prob. *Min.* supra facta quoad 2. requisitum. Pro consuetudine legitime inducenda, quod est, ut actus a majore parte populi frequentetur. Sic ergo inquam; si hoc requisitum pro consuetudine introducenda adesset, tunc major pars Cleri deberet ex reditibus Ecclesiasticis testari ad profana; atqui hoc est aperte falsum, sive spectemus hæc illa Regna in particulari, v. g. Germaniæ, Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, *&c.* sive spectemus totum Clerum simul per universum orbem; ergo deficit hæc necessaria conditio pro consuetudine, adeoque & ipsa corruptela legis est, non consuetudo. Maj. certa est; quamdiu enim plures sunt, qui contrarium agunt, tamdiu a minore, & modica parte contra majorem præscribi non potest. *Min.* ergo declaratur. Primo enim maximam beneficiariorum partem constituunt, Papa, Episcopi, Abbates, Beneficiarii, Religiosi; ac iterum viri litterati, Deum, & conscientiam præ oculis habentes, Ecclesiam, & pauperes diligentes; atqui de his nusquam constat (intelligo, si tamen Deum, Ecclesiam, & pauperes præ oculis habuerunt) quod ex reditibus Ecclesiasticis testati fuerint ad profana. Atque hinc si tamen aliqui fuerunt, vel modo sunt, qui ex superfluis bonorum Ecclesiæ in profanos usus testati fuerunt, vel adhuc testantur; certe nemo non videt, quod hi non constituant, nisi pusillum gregem in comparatione illorum, qui ex modo dictis hoc non faciunt. 2. plurimi Clerici per Ecclesiam numerantur, qui de suis beneficiis plures reditus non consequuntur, quam qui utcunque commodæ, & subinde nec tali sustentationi sufficiunt; in his ergo iterum cessat *requisitum* pro legitima consuetudine, nempe *majoris partis*. 3. Frequenter contingit, teste experientia, quod multi beneficiarii, licet primitus assecuti fuerint pinguia beneficia, ex quibus potuissent habere multos reditus superfluos, contingit, inquam, quod hi tempore mortis pluribus se inveniant gravatos debitis, quam superfluis abundantes:

tes: in his ergo iterum deficit dictum requisitum. 4. Contingit apud plures saltem, qui etiamsi pinguiora habeant beneficia, deductis tamen deducendis paucos admodum habeant reditus Ecclesiasticos *superfluos*; deducantur enim primo subventiones, quas plerique beneficiarii toto sui beneficii tempore, in egenos, Religiosos, cognatos, familiares vel amicos egentes, intuitu egestatis fecerunt: deducantur 2. necessarii sumptus funerales, item honestæ donationes domesticis bene meritis licite factæ: deducantur, inquam, hæc & similia plura, & certe apud plerosque non remanebunt multa superflua, quapropter plurimi testantes ad profana dicendi sunt testari ex Patrimonialibus, vel quasi Patrimonialibus illi tamen, qui adhuc testantur de superfluis reditibus Ecclesiasticis, iterum non faciunt majorem partem, sed ad summum modicam. Ex his contingit denique 5. quod plurimi Clerici, qui putantur testari ex superfluis, revera testentur ex bonis patrimonialibus, industrialibus, vel Patrimonialibus, quod fieri posse non negavero; alii namque Clerici multa subinde munera, venia, dona, *&c.* vel a cognatis, vel ab amicis, vel etiam a magnatibus collecta possident; alii iterum Clerici non raro mercedes habent, quas hinc inde forte acquisierunt per officia Ecclesiæ universali, aut particulari exhibita, ultra exigentiam sui beneficii, ex quibus deinde mercedibus testantur in profanos usus. Ex his itaque ineatur jam numerus Clericorum testantium ad profana ex superfluis bonis Ecclesiæ, sive spectetur Clerus universim, sive secundum hanc vel illam regionem, & clare videbitur, quod nedum *major* sed respective nec modica *pars* eveniat, in ordine ad legitime introducendam consuetudinem. A primo ad ultimum ergo patet plus quam falsam esse non posse mentem Adversariorum, asserentium, consuetudinem disponendi de reditibus Ecclesiasticis in vita, & *morte*, perinde ac de Patrimonialibus jam vix non esse commune, & hodie ubique gentium receptam.

CXII. Jam denique probat. 3. pars Min. principalis hujus arg. 5. quæ dicebat, quod hæc consuetudo sit conjuncta cum continuo gravi peccato contra justitiam, & bonos mores: sed consuetudo conjuncta cum continuo gravi peccato contra justitiam, *&c.* non est consuetudo, sed corruptela; ergo nec consuetudo testandi ad profana ex bonis Ecclesiæ, consuetudo, sed corruptela est. Min. stat quoad utramque partem. Maj. quoad 1. part. probata manet per illa, quibus diximus, bona Ecclesiæ esse *aliena* respectu Clericorum: item repugnare legi divinæ, & naturali de bonis Ecclesiæ superfluis perinde disponere seu inter vivos, seu mortis causa, ac de Patrimonialibus, vel quasi Patrimonialibus: secunda autem pars, seu quod hæc consuetudo sit conjuncta cum continuo gravi peccato contra bonos mores, ostenditur. Consuetudo, quæ in singulis suis actibus particularibus hodiedum grave est peccatum, non potest non esse contra bonos mores: sed in singulis actibus particularibus, quibus testamentarie disponitur ad profanos usus ex bonis Ecclesiæ, committitur grave peccatum: ergo hæc consuetudo est contra bonos mores, & ideo corruptela. Maj. patet; quia ut consuetudo non sit contra bonos mores, debet ita esse comparata, ut licet primi agentes contra legem peccent, tamen, ubi fuit per legitimum tempus præscriptum, posteri amplius in singulis actibus non peccent, v. g. in consuetudine, hodie in multis Germaniæ partibus vigente, qua multi Christiani feria 2. 3. & 5. quadragesimæ solent servare solam abstinentiam a carnibus, non vero unicam refectionem, peccarunt quidem antecessores transgredientes legem Ecclesiasticam de unica refectione, non vero peccarent amplius (ex hoc capite) successores, nisi aliunde & hæc ipsa consuetudo corruptela legis esset, eo, quod nec fiat a majore parte populi, ut facile ostendi posset, nec fiat sciente, & *consentiente*, seu non contradicente Superiore: ut constat ex eo, quod in singulis Diœcesibus debeat, & soleat singulis annis ad initium quadragesimæ promulgari jejunium secundum eam formam, qua antiquis temporibus solebat observari. Ceterum si adhuc hodie etiam a successoribus in singulis actibus graviter peccaretur (uti revera est) ex hoc quoque capite ceteris non attentis consuetudo non est, sed corruptela, bonis moribus graviter perniciosa: omnis enim pars suo Corpori non respondens, eidem Corpori est perniciosa; isti autem successores peccantes in singulis actibus, sunt partes non respondentes toti Corpori Ecclesiastico, & ideo graviter perniciosæ bonis moribus intuitu totius Ecclesiæ. Jam Min. supra facta prob. quæ quidem aliunde per se stat, etiam

Azpilcueta) sublimioris dignitatis, cujus gradum ob certas rationes non refero : is enim, ubi ingentem pretiosæ supellectilis copiam suo nepoti testamentarie designasset, ac ad extrema devenisset, a Confessario Religioso, ac justitiæ, veritatis, & salutis amante instructus, se id facere non posse citra gravis peccati noxam, & restitutionis onus, neporem adesse jussit, cui dixit, se male hactenus sensisse de bonorum Ecclesiasticorum dominio, unde & se Testamentum factum ob salutem animæ revocare. Cui nepos: Pater! salva animam tuam, & redde, quæ sunt Dei, Deo, pro me Dominus providebit. Atque sic pacifice, &, ut sperare fas est, beate in Domino requievit. Hactenus pro tertia Conclusione.

§. III.

Solvuntur Adversariorum Argumenta.

ARgumenta Ad. simul congregamus contra tres præcedentes conclusiones; quia quemadmodum istæ ita sibi cohærent, ut statuta, & firmata una jam altera, & tertia sequatur: sic & tenente, vel ruente uno argumento contrario, jam cetera tenere, vel ruere necessum est. Unde sit

CXV. Argumentum primum Ad. Sancti Patres, quando beneficiariis dominium bonorum Ecclesiæ, vel facultatem ex iisdem testandi ad profana denegant; vel onus restitutionis attribuunt, si eadem dona vane, & profane impendant; vel locuti sunt *primo* de immobilibus Ecclesiæ bonis, de quibus ex arbitrio voluntatis disponere beneficiariis omnino non est liberum. Vel locuti sunt 2. de illis beneficiis, quibus vi fundationis cura animarum annexa est, cum expressa Fundatorum intentione, ut superflua in præfatos usus expendantur. Vel denique locuti sunt 3. exaggerative, hyperbolice, ex pio zelo, & ascetice potius, quam Theologice, vel Canonice; & hoc cum fundamento; quia quemadmodum nonnulli ex SS. Patribus, agentes de præcepto eleemosynæ dixerunt, divites latrocinii reos esse, cum superflua pauperibus non largiuntur, ubi hi Patres certe hyperbolice loqui intelligendi sunt; ita pari passu in præsenti hyperbolice loqui dicendi sunt, quando Clericos furti, rapinæ, sacrilegii, &c. reos dicunt, si superflua pauperibus non largiuntur. Ergo ex SS. Patribus nulla præcedens conclusio efficaciter probatur.

CXVI. Respond. ad 1. id quidem Adversariis divinare conceditur, nunquam vero authentice probare. Enimvero indubitatum est, quod quemadmodum ubi lex non distinguit, neque nos debeamus distinguere: ita ubi SS. Patres non distinguunt, neque nos debeamus distinguere, vel a SS. Patribus distingui fingere. Quid enim sunt SS. Patres, nisi potissima lex Canonica; cum plurimi, & potissimi Canones, vim legis utique habentes, sint ipsæmet SS. Patrum sententiæ? Quod vero SS. Patres non distinguant inter bona mobilia, & immobilia Ecclesiæ, hæc subtrahendo, illa subjiciendo pleno, & absoluto dominio Clericorum, testatum faciunt, quæ diximus num. 28. & seqq. ubi loquuntur indiscriminatim de omnibus bonis, immo etiam expresse de bonis, quæ subserviunt beneficiariis ad honestam, & congruam sui sustentationem; quis autem unquam dixerit, quod hæc bona sint immobilia? de immobilibus enim etiam in ordine ad subveniendum necessitatibus, credo nec Adversarios asserturos esse, quod beneficiarii possint pro libito disponere. Accedit, quod hæc Ad. responsio exinde quoque arbitraria sit, quia si SS. Patres tantum locuti fuissent de bonis immobilibus, ad quid necessum erat, tam severe in Clericos bona Ecclesiæ male impendentes animadvertere? de bonis enim immobilibus & suis temporibus vivebant, & pro futuris facile prævidere poterant, nec esse, nec fore tantum periculum, quo minus de iisdem bonis immobilibus male Clerici disponerent, cum aliunde pro immobilibus sufficienter cautum esset, ne sine solemnitatibus juris alienarentur, aut si secus alienata essent, ad suas Ecclesias redirent; quod multo magis pugnat pro aliis malis dispositionibus: stat ergo, quod, dum SS. Patres hoc non obstante de bonorum Ecclesiæ dilapidatoribus tam severe scripserunt, non possunt intelligi, nisi de bonis immobilibus, & *mobilibus*.

CXVII. Secunda responsio Ad. cum non minus arbitraria, ac prior, eodem modo diluitur, sicut prior, loquuntur namque SS. Patres indiscriminatim, sine ulla exceptione, vel beneficiorum distinctione, sive annexam animarum curam habeant, sive non habeant, quod bona, seu *res Ecclesiæ, non quasi propriæ, sed ut communes*,

nes, & Domino oblatæ . . . . sunt fideliter dispensandæ. S. Urban. 1. quod *pauperum res sunt . . . Et dispensationis locum in rebus, sicut scitis, pauperum tenemus*. S. Gregor. Mag. quod *possessio Ecclesiæ sumptus est egenorum* S. Ambros. quod *non illa nostra sunt, sed pauperum*. Sanctus August. quod *quidquid habent Clerici, pauperum est*. S. Hieronymus: *Quod quidquid præter necessarium victum . . . . retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est*. S. Bernard. Taceo plures jam alibi relatos SS. Patres, ex quorum sententiis ne vestigium quidem deprehendo pro Ad. respons. quasi vero SS. Patres tantum circa beneficia, animarum curam habentia Clericis bonorum dominium denegassent. Id quod bene agnovit, & ad propositum nostrum accommodate promulgavit, de S. Mat. Ecclesia optime meritus S. Carolus in Concil. Mediol. 1. tit. 63. *Episcopi, Abbates, præpositi, Parochi, ac ceteri omnes, cujuscunque dignitatis, & gradus, Ecclesias, etiam eorum administrationi commissas, ac quæcunque beneficia Ecclesiastica, etiam simplicia, quomodocumque etiam commendata, beneficia obtinentes, omni diligentia cognoscere studeant, quibus oneribus eorum Ecclesiæ, & beneficia bonorum Ecclesiasticorum natura, vel ex illorum, quæ obtinent, propria institutione, ex conditione apostolicis litteris in provisione dictorum beneficiorum eis præsumpta, vel alia quacunque ejus generis ratione subjaceant, illisque integre satisfaciant . . . . quod si facere omiserint, sed eos fructus sibi vindicare vel ad alios transferre ausi fuerint, vel in quem non debent usum, impenderint, se ex sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum sententia Sacrilegii reos esse intelligant: & eorum necessaria restitutione teneri, neque ulla omnino, etiam immemorabili, consuetudine excusari*. Hæc ibid. ecce, loquitur hic Sanctissimus Præsul de omnibus beneficiis generatim, seu curam animarum habeant, seu non habeant: loquitur item, quod omnes, indiscriminatim, Clerici, si fructus beneficiales non in eos, in quos debent, impenderint usus, sacrilegium, & restitutionis onus incurrant, & hoc ex SS. Canonibus, ac, quod facit ad propositum, ex SS. Patrum sententia. Falsum ergo est, quod SS. Patres tantum locuti sint de beneficiis, quibus vi fundationis animarum cura annexa est. Porro Ad. in ead. respons. *ad expressam Fundatorum intentionem* recurrant, ut superflua in debitos usus expendantur, plane supervacaneum est; dictum enim, & probatum est, quod Fundatores *non dederunt Prælatis* (& sic etiam reliquis beneficiariis) *propter se, sed propter pauperes; & ideo non dederunt eis, sed pauperibus. Prælatis autem dantur tanquam pauperum dispensatoribus*. Verba sunt S. Thom. cit. in Epist. 2. ad Cor. cap. 12. l. 5. Quæ cum sint universaliter prolata, restringi non debent *ad expressam Fudatorum intentionem*, ut superflua expendantur in usus debitos; hæc enim, si non expressa, certe tacita Fundatorum intentio ipso facto præsumitur.

CXVIII. Ad tertiam respons. quid dicam nescio: Nos Juniores *nunquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? periculose præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia prætereiuit*, S. Bernard. Ep. 174. SS. Patres Dei, & Ecclesiæ Ministros vocant *Dispensatores, Administratores, Procuratores, Oeconomos*, & (si male Patrimonium Christi impenderint) *Fures, Raptores, Sacrilegos*. Surgimus nos Juniores, & ut Clericos indiscriminatim dominos salutemus, jam SS. Patres tanquam doctiores, & devotiores corrigimus, *piæ exaggerationis*, vel *Ascetici Zeli* incusamus. Olim quidem definiebat Concilium Constantinopolit. quartum, Oecumenicum Octavum Canon. 1. quod *ut rectam, regiamque divinæ justitiæ viam sine erroris offensa teneamus, Sanctorum Patrum Decreta, velut inextinctæ quædam, semperque lucentes faces, sequenda sunt*. Nos vero Juniores SS. Patrum Decreta dura nimis, vel hyperbolica judicantes eadem eludimus variis responsionibus, *quæ Spiritus sancti non habent condimentum*, utpote cum in Scripturis divinis, traditione Apostolica, vel Patrum fundatæ non sint: sed in solis duntaxat hominum opinionibus, quæ quo magis diversæ sunt, eo magis pulchræ, firmæque putantur. Et quid mirum? volumus nempe *plures Magistri fieri* Jacob. 3. super quod August. in Prolog. *retractat.* inquit: *Magistros autem plures tunc fieri existimo, cum diversa, atque inter se adversa sentiunt. Cum vero idipsum dicunt omnes, & verum dicunt, ab unius veri Magisterio recedunt. Offendunt autem, non cum illi multa dicunt, sed cum addunt sua: sic quippe incidunt ex multiloquio etiam in falsiloquium*. Ecce! SS. Patres nolebant fieri

fieri plures Magistri, quia circa fidem, & mores non diversa, nec inter se adversa sentiebant, sed unum Evangelium, unum Volumen, unum *Verbum*, quod in principio erat apud Deum, spectabant. Nos diversa, atque inter se adversa sentimus, & ideo plures Magistri fieri volumus, jam Patribus doctiores, & devotiores, præsumentes eosdem corrigere, asserendo, quod, ubi loquebantur, quod justitia postulabat, per piam exaggerationem, asceticum zelum, & hyperbolice locuti fuerint. Sane timeo, ut de nobis, jam ex nobis sapientibus, doctrinas varias, peregrinas, novas, *&c.* contra SS. Patrum Decreta sectantibus, verbo, ne de nobis laxioribus conscientiarum moderatoribus dicatur, quod Dominus de Pseudoprophetis ait, Ezechiel. 13. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur Spiritum suum, & nihil vident. — Vident vana, & divinant mendacium, dicentes: ait Dominus, cum Dominus non miserit eos, & perseveraverunt confirmare Sermonem. Nunquid non visionem cassam vidistis, & divinationem mendacem locuti estis? & dicitis, ait Dominus; cum ego non sim locutus.*

CXIX. Sed ut efficaciter hanc Ad. arbitrariam responsionem evertamus, hic modice adhuc immorandum est. Dicunt ergo Adversarii, quod SS. Patres, dum severius contra Clericorum dominium agunt, *exaggerative, & hyperbolice* loquantur: bene est. Sed jam sic arguo: vel omnes SS. Patres ita loquuntur, vel aliqui tantum, v. g. S. Petrus Damianus, S. Bernardus, S. Raymundus, S. Antoninus? *&c.* Si secundum ergo stat, quod alii plurimi SS. Patres, sive ante, sive post divisionem bonorum, qui non usque adeo terminis emphaticis secundum apparentiam contra dominium Clericorum aperte scripserunt, ut videre est c. num. 28. & seqq. bene locuti fuerint: iterum stat, quod alii plurimi SS. Patres sive ante, sive post divisionem bonorum (qui secundum apparentiam mitioribus terminis, in re tamen dominium Clericorum eliminarunt) præsentent totam *Antiquitatem*: denuo stat, quod Adversantes Doctores præsentent respective *Juventutem*; debent enim enutriri, & educari lacte, intelligo, doctrina Antiquorum. Jam sic: ubi sibi adversantur tota *Antiquitas*, & *Juventus* in quæstione gravissima morum, & veritas quæstionis pro alterutra parte stare debet, immerito veritas attribuitur Juventuti contra totam Antiquitatem: sed in præsenti quæstione gravissima morum adversantur sibi tota Antiquitas, & Juventus, & ista quidem in parvo duntaxat *respective* numero; ergo, *&c.* Min. quoad 1. part. esse debet, & est Ad. fatentium quod sua sententia sit contra communem Antiquorum. Quoad 2. part. h. e. de parvo respective numero etiam Juniorum eandem sententiam tuentium, ex alibi dictis constat. Maj. probat. ex Gelasio 1. Epist. 5. ad Honorum Dalmat. Episc. ubi ait: *Ubi est, quod scriptum est: terminos Patrum tuorum non transgredieris; & interroga Patres tuos, & annunciabunt tibi; & Seniores tuos, & dicent tibi? Quid ergo tendimus ultra definita Majorum, aut cur nobis non sufficit, si quod ignorantes discere cupiamus, qualiter ab Orthodoxis Patribus, & Senioribus singula quoque, vel vitanda præcepta sunt, vel aptanda Catholicæ veritati; cur non his probantur esse Decreta? nunquid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firma stabilitate consistere, si ea, quæ ab illis constituta sunt, subruamus?* quid multis? *Prima salus est, rectæ fides regulam custodire, & a Constitutis Patrum nullatenus deviare*, inquit post Gelasium Ormisdas Papa: deviandum autem necessario est a Constitutis Patrum, si in præsenti gravissima quæstione morum subscriberetur Juventuti contra totam Antiquitatem.

CXX. Hactenus loquebar pro secundo memb. enthymematis supra facti, seu si Adversarii velint, quod tantum aliqui SS. Patres, *exaggerative*, *hyperbolice*, &c. non omnes, ita locuti sint. Quod si vero Adversarii respondeant, quod omnes SS. Patres in præsenti *exaggerative*, &c. loquantur (quod omnino secundum ipsos respondendum videtur, cum omnes SS. Patres quoad substantiam pariformiter loquantur) tunc demum justissime liceret excandescere, eo quod juniores jam eo usque sibi sapere videantur, ut totam Antiquitatem, si non expressi erroris, saltem exaggerativæ, & hyperbolicæ locutionis arguere non erubescant. Si unus, si duo, si pauci duntaxat ex SS. Patribus sententiam nostram defensarent, tolerabilis forsan Ad. responsio evaderet: at vero dum omnes, quotquot demum de hac gravissima quæstione mentionem fecerunt, in idem omnino quoad substantiam, utut subinde sub diversis terminis, conspirarunt, plane inTole-

tolerabile est afferere, quod omnes exaggerative, & hyperbolice loquantur: illi nempe, *qui nec quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt*, ut ait Tertullianus lib. *de praescription.* cap. 6. At numquid SS. Patres in praesenti ideo exaggerative, & hyperbolice loquuntur, quia ipsorum doctrina dura videtur, & pungit? ita, sed notetur, quod Spiritus sanctus *Eccles.* 12. inculcet: *Verba sapientium sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quae per magistrorum Consilium data sunt a Pastore uno. His amplius, fili mi, ne requiras*. Unde inde interprete S. Hieronymo: *Si cujus igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo sapientis. Verba quippe sapientium ut stimuli: quae quoniam ad conversionem provocant delinquentem, & firma sunt, & a concilio Sanctorum data & ab uno Pastore, & solida radice fundata sunt. Nec auctoritate unius sed Consilio, atque consensu Magistrorum omnium proferuntur*. Ab uno Pastore: *Quia licet plurimi doceant, tamen doctrinae Auctor est Dominus. Exceptis his nihil facias, nihil tibi vindices, Majorum sequere vestigia, ab eorum auctoritate non discrepes*. Constringo: loquuntur *omnes* SS. Patres; bene, loquuntur *exaggerative*, &c. iterum bene: quia hoc & ipsorum, utpote sapientium, conditioni, & materiae, seu quaestionis necessitati congruit: quid igitur his amplius requiramus, nisi ut affirmemus, Clericos ex mente SS. Patrum, & quidem omnium, bonorum Ecclesiae non esse Dominos ad testandum incapaces, & si secus fecerint, restitutioni obnoxios.

CXXI. Quod pro fundamento astruunt Adversarii in fine argumenti, scilicet quod divites ab aliquibus SS. Patribus *latrocinii rei* audiant, cum superflua pauperibus non largiantur, ex quo loquendi modo videntur Patres uti pia & hyperbolica exaggeratione, hoc, inquam, fundamentum, plane non facit ad rem; nam neque hic SS. Patres exaggerative, vel hyperbolice sed secundum veritatem, & justitiam loquuntur. Quando enim SS. Patres asseruerunt, quod divites furti, vel latrocinii sint rei, qui pauperibus superflua non largiuntur, non intellexerunt pauperes quoscunque, sed illos, quos extrema urget necessitas, qui utique in illo lamentabili rerum articulo jus strictum habent in superflua divitum, cum aliunde ibi communia intelligantur omnia: & in hoc extremae necessitatis casu constitutis pauperibus (si non succurrant divites, qui prae ceteris possunt, & tenentur) dicere, quod furti, vel latrocinii crimen incurrant, non est exaggerative, vel hyperbolice loqui; id enim justitia postulat. Hoc tamen non obstante ex nullo Sanctorum Patrum ne vestigium quidem deprehendere est, quod ullus voluerit asserere, divites non remanere de se, & esse superfluorum Dominos, & stricte proprietarios, vel superflua divitum, esse Dei, & Christi: esse vota fidelium, pretium peccatorum vel Patrimonium pauperum. At vero nullus omnino Sanctorum Patrum est, qui de quaestione hac gravissima sermonem fecit, & non asseruerit, superflua beneficiorum esse Dei, & Christi, Patrimonium pauperum, &c. atque adeo in neutro casu exaggerative, & hyperbolice locuti sunt, nisi forsan secundum datam doctrinam mox praeced. num. circa medium: Ex his itaque stat, quid sentiendum sit de SS. Patribus, quid de ipsis immerito attributa distinctione, quod scilicet *exaggerative*, *hyperbolice*, &c. loquantur, qui quidem termini, ut verum fatear, prima mihi fuerunt ratio, & motivum, ut sententiam Ad. quam tradere jam constitueram, tanquam errori, & bonis moribus obnoxiam revocarem.

CXXII. Argumentum 2. Non potest afferri ratio consentanea, cur de beneficiorum fructibus secus, ac de quotidianis distributionibus judicetur: atqui certe distributiones ipsas in Clericorum dominio esse, perspicue demonstratur in cap. unic. *de Cler. non resid.* in 6. Quo loci dum negat Bonifacius distributiones iis acquiri, qui minus ea servaverint, quae ibi ipse praecipit, haud obscure nos docet in eos, qui a praescripta forma non recesserint, ipsorum dominium transferri. *Qui vero*, inquit, *aliter de distributionibus*, &c. *rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas*. Atque hinc dum Pontifex redituum horum dominio privat illos, qui sacris non intersunt, hoc ipso certe statuit, ac pro comperto habet, ad illos eorundem fructuum dominium pertinuisse: cum ita compertum sit, ut nulla dici possit privatio, quam habitus non antecedat. Nec dicant Rigoristae 1. licere quidem argumentum subinde a contrario sensu sumere, quando scilicet non sequitur aliquod absurdum;

dum; quando autem absurdum sequitur, ut fit in præsenti, non licet sic a contrario sensu argumentari. Nam contra est, quod nullum tale absurdum exinde sequens possit ostendi. Nec dicant 2. Pontificis mentem duntaxat fuisse in eo, ut Clericus sibi præscripta observans eam solum distributionum partem acquirat, quæ sibi ad victum necessaria sit. Nam contra est, quod verba *Cap.* utpote generaliter prolata, etiam generaliter accipienda sint, & ideo etiam vim universalem habere debeant, & certe cum ibi Bonifacius & de integra distributione, & de parte distributionis mentionem faciat, in determinatione etiam idem servasset, ac de parte expressim locutus esset, nisi id, quod ibi ipse tradit, generaliter accipi voluisset, cum dicit: *Qui vero aliter de distributionibus quicquam receperit, rerum sic perceptarum dominium non acquirat:* Intelligendo non acquiri dominium nec pro parte, nec in totum; en Achilles Adversæ partis, cui innitens Marsil. de Eccles. redit. orig. & jur. part. 3. cap. 26. suam sententiam nedum *probabilem*, sed omnino *verissimam* baptizat.

CXXIII. Respond. 1. si Adversarii in hoc cap. tantam efficaciam ponunt, quæro, cur non attendant etiam ad innumera alia cap. a nobis sæpius jam recensita, quæ extra omnem dubitationem Clericis plenum, & absolutum dominium auferunt? videant proinde, quam potiori jure argumentum hoc principale innumeris retorsionibus eludere possimus: ita si Canones pro nobis stantes, ac luce meridiana clariores explicare satagant, denuo videant, quam facili negotio ab ipsis assignati cap. genuinum sensum astruamus. In forma igitur Transmissa Maj. posset negari *Minor*, ac asseri, quod Clerici nec sint pleni, & perfecti Domini distributionum, nempe quantum ad superflua, quas v. gr. ex cantu in choro percipiunt; certe enim & hæ ipsæ distributiones aliam naturam non sortiuntur a reliquis bonis Ecclesiasticis, quæ Clericis vi sui tituli, seu beneficii obveniunt. Et præterea, ut diximus, ubi Sancti Patres, & Canones, verbo, ubi lex, non distinguunt, nec nos sine fundamento distinguere debemus: at vere constat, quod lex, ubi Clericis dominium bonorum Ecclesiasticorum adimit, non distinguat inter reliquos reditus beneficiales, & distributiones quotidianas, nec has excipiat, ergo nec nos distinguere, vel excipere debemus. Et quod ista non arbitrarie tantum asseverem, demonstro ex cap. *quia nos*, *de test.* Ubi Alexander III. omnia indiscriminatim bona Ecclesiastica complectitur, negatque ex illis Clericos posse testari; dixit enim: *De his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt; nullum de jure possunt facere testamentum*, & nunquid distributiones quotidianas Clerici accipiunt *consideratione Ecclesiæ:* Nempe consideratione officii alicujus Ecclesiastici, & operæ spiritualis. Quando ergo Bonifacius d. l. videtur a sensu contrario definire, quod Clerici præscripta observantes, & debite ministrantes *lucrentur stipendia, & faciant fructus suos*, respondeo breviter cum Panormitano sic loquente: *Clericus recipiendo fructus sui beneficii, dicitur illos facere suos quoad hoc, ut sibi provideat primo: de superfluis impendat in usus pios; non autem ut de ipsis possit testari, vel pro libito voluntatis facere.* Per quod solvitur breviter, & vere tota hæc famosa objectio.

CXXIV. Ex his etiam fit manifestum, quod, etsi in præsenti liceret argumentum a sensu contrario inducere, (quod ceteroquin in jure dicitur fortissimum) Adversariis parum admodum patrocinetur definitio Bonifacii; nam dare possemus, quod Clerici debite ministrantes faciant fructus suos, sed NB. modo statim dicto ad mentem Panormitani. Interim tamen cum Adversarii *Rigoristis* (sic enim audire debent, qui unicam veritatem, Dei honorem, Ecclesiæ bonum, animarumque salutem sectantur) respondeant, ideo in præsenti bene induci argumentum a sensu contrario, quia exinde nullum ostendi possit absurdum, hinc & istud melius ventilandum nunc est. Dici ergo potest, tunc præfatam arguendi methodum habere vires, & efficaciam, quando assumitur ad probandum id, cujus contrarium in Jure non exprimitur, si vero contrarium in jure exprimatur, infirmum est argumentum: atqui contrarium (seu quod Clerici debite ministrantes, *&c.* faciant fructus *suos* quoad plenum, & absolutum dominium in ordine præcipue ad superflua) in Jure clare, & iterato exprimitur, prout compertum fit ex sæpe dictis, secundum quæ, & per Jura bona Ecclesiastica, utpote sacra saltem quartæ speciei sunt solius Dei, & Christi quoad verum, & proprium dominium:

Papa vero immediatus Dispensator, Administrator, *&c.* est; reliqui autem beneficiarii inferiores sunt Dispensatores, Administratores, Procuratores, & Oeconomi, *&c.* mediati. Et iterum secundum Jura jam allegata palam est quod donata, & relicta legitime a suis Dominis, transeant in plenum, & absolutum dominium eorum, quibus donantur, aut relinquuntur. Atqui omnia bona Ecclesiastica sunt legitime donata, aut relicta Deo, vel Christo: vel ejus unico Principali intuitu, & nomine Ecclesiis, vel Ministris ejus tanquam ejus Vicariis, procuratoribus, dispensatoribus, *&c.* mediatis, vel immediatis, quod idem est, ergo & bona sunt Dei, & Christi quoad verum, & proprium dominium, & quod amplius est, etiam ante quæsitam possessionem, & hoc secundum jus divinum, & naturale, atque adeo, quo hæc dicta collimant, in præsenti non licet inducere argumentum a sensu contrario, dum contrarium in utroque jure divino nempe, & naturali exprimitur. Jura positiva hic denuo repetere supervacaneum judico, cum ea satis in præcedentibus recensuerim.

CXXV. Porro absurdum sequi ex inductione argumenti a sensu contrario, exinde ostendi posset, nam labes Simoniaca certe in omnium sententia magnum absurdum est; sed huic labi favent Adversarii, dum a sensu contrario inducunt, quod Clerici faciant distributiones, & fructus *suos* quoad verum, & proprium dominium, ex eo, quod ministrent in officio Ecclesiastico; ex sensu contrario ergo sequitur absurdum. Maj. patet. Min. prob. si exinde Clerici faciunt stipendia, vel fructus *suos* quoad verum, & proprium dominium, h. e. quantum ad superflua; tunc ista stipendia, seu fructus sunt vera, & proprie dicta merces laboribus debita: sed hoc ipso incurritur labes Simoniaca: ergo, *&c.* Maj. patet in reliquis stipendiariis, seu fructuariis temporalibus, qui stipendia, seu fructus faciunt proprie *suos*, quia illa stipendia habent proprie rationem rigorosæ mercedis, adeoque si etiam stipendiarii spirituales, nempe Clerici, faciunt stipendia proprie *sua*, tunc illa stipendia habent rationem veræ, & propriæ mercedis: Ex hoc prob. *Min.* ex S. Thom. 2. 2. quæst. 100. artic. 2. in Conclus. ubi habet. *Pro spiritualium administratione aliquid dare, vel accipere tanquam mercedis pretium, simoniacum, atque illicitum est*. Atque hinc & Ecclesia, quæ mercedem illam tribueret, Simoniæ crimen incurreret: & ne incurrat, in sustentationem Clericorum, non vero in propriam, & strictam mercedem laboribus debitam licet stipendia, & fructus dare, & accipere, suosque facere. Nam *accipere aliqua ad sustentationem eorum, qui Sacramenta Christi ministrant, non est peccatum: non enim sumitur tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis* (ut ait Augustinus:) *qui præsunt Presbyteri, accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Deo*. Sanctus Thom. ibidem in corp. quo loco notandum est, quod, dum dicitur *pro spiritualium administratione* aliquid dare, vel accipere, tanquam mercedis pretium esse simoniacum, hic tanto majus Simoniæ crimen admittatur ob majorem irreverentiam; per hoc tamen non excluditur, quominus non sit etiam simoniacum, aliquid dare, vel accipere tanquam *mercedis pretium* ob aliorum spiritualium, quæ non sunt ita sacra, frequentationem: nam etiam hic irreverentia, licet respective non ita magna redundat in spiritualium Auctorem, nempe Deum. Stat igitur, quod ex eo, quod Adversarii a sensu contrario argumentum inducant, Simoniæ labis periculum incurri videatur.

CXXVI. Ex dictis jam constat, responsionem 2. supra ad hoc arg. numer. 122. factam tenere, scilicet mentem Pontificis tantum fuisse, ut Clericus debite ministrans faciat suos, h. e. ut sibi provideat primo quoad necessaria. Nec satisfaciunt Ad. ibidem respondendo, verba Pontificis, utpote generaliter prolata, generaliter quoque esse accipienda, ita quidem, ut quemadmodum, si Clericus non præstiterit a SS. Canonibus præscripta, nec in partem, nec in totum, distributionum dominium acquirat; sic a contrario, si eadem præstiterit, & in partem & in totum, dominium acquirat. Nam contra est, quod licet verba generaliter prolata, generaliter quoque accipienda sint in sensu negativo, h. e. si Clericus non præstiterit præscripta, *non faciat* fructus suos, nec in partem, nec in totum; privatur enim tunc fructibus in pœnam, quæ nulla esset, si adhuc saltem in partem faceret fructus suos. Ex hoc tamen non licet inducere argumentum a sensu contrario, ad effectum probandi id, cujus contrarium in Jure aperte exprimitur; at vero ut

ut faciat fructus suos in totum, aperte in Jure contrarium exprimitur l. l. sæpius c. c. quibus visum est, quod beneficiarii in effectu sint solum Oeconomi, dispensatores bonorum, ad erogandum pauperibus superflua, desumpto tamen sibi ante omnia, quod statum suum decet: adeoque cum oporteat jura juribus concordare, dicendum necessario est, quod Pontifex d. cap. voluerit sua verba generaliter prolata, generaliter quoque accipi in sensu negativo, non tamen in sensu positivo cum præjudicio juris divini, naturalis, & positivi. Dixi autem supra numer. 113. transmissa *majori*, quæ erat, quod nempe non possit afferri ratio consentanea, cur de beneficiorum fructibus secus, ac de quotidianis distributionibus judicetur: nam distributiones, hoc ipso quod *quotidianæ* sint, ordinarie non censentur tam copiosæ, ut ad superfluitatem ascendant; & in hoc sensu bene dicit Pontifex, quod Clerici si præscripta præstiterint, distributionum dominium acquirant. Si autem adeo copiosæ essent, ut etiam ad superfluitatem ascenderent: tunc procedit responsio Panormitani eodem numer. 123. in fine allata.

CXXVII. Argumentum 3. deductum ex auctoritate Concilii Tridentini. De jure naturæ Clericis debentur distributiones; si altari deoite ministrant, quia nemo suis stipendiis militat: ergo quemadmodum per d. Concilium Clerici, si sibi incumbente officio personaliter non fungantur, amittunt quotidianas distributiones, ita si fungantur earum plenum, & absolutum dominium acquirunt. Prima pars Cons. patet ex Sess. 22. cap. 3. *de Reform.* ubi habetur: *Qui eas obtinent, si personaliter competens sibi servitium juxta formam ab Episcopis præscribendam quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant.* Ex hoc prob. 2. pars. *Amittere* idem est, ac privari dominio; ergo dum beneficiarii privantur dominio; & servitium suum ut præmittitur, non impleverint, a contrario si impleverint, acquirent plenum, absolutum dominium. Idem confirmatur primo ex Sess. 24. cap. 12. *de reformat.* ubi statuitur 1. Ne faciat fructus suos Canonicus, vel beneficiarius curam animarum, vel dignitatem habens, non faciens fidei professionem intra duos menses a die adeptæ possessionis. Statuitur secundo, ut qui Canonicatum, vel dignitatem habet, si abfuerit ultra tres menses in anno, prima vice privetur dimidia parte fructuum: secunda vice omnibus fructibus, quos illo anno lucratus fuit: ubi pro eodem usurpatur *lucrari*, & *facere suos*. Confirmatur secundo. Si Concilium Trident. denegaret Clericis plenum, & absolutum dominium, tunc maxime Sess. 25. cap. 1. *de Reformat.* ubi prohibet Clericis, *ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt consanguineis donent*, &c. Atqui ibid. nihil in favorem contrariæ sententiæ statuitur; quia, licet Concilium prohibeat Clericis, ne taliter bona Ecclesiæ impendant, tamen si taliter impenderint, nihil omnino decernit de facienda restitutione, quod certe facere debuisset, si agnovisset tale onus annexum bonis Ecclesiæ; & hinc cum de restitutione nihil decernat, supponit in Cleric's de se plenum dominium: sicut enim quod de uno dicitur, de alio negari videtur, sic etiam *quod de uno negatur, consequens intellectum patet, quia de quibusdam conceditur*. Inquit Gregorius relat. cap. *qualis* 25. d. Negatur autem, seu prohibetur, ne Clerici res Ecclesiæ doneut, *&c.* conceditur ergo aliud, seu quod de se possent donare *&c.*.

CXXVIII. Hoc argumentum pluris ab Ad. æstimari solet, quam mereatur: Respond. igitur 1. & dico, quod etsi Clerici, etiam secundum Tridentinum, dum officio suo competenter non funguntur, jure priventur distributionibus, ex quo tamen non licet argumentum a contrario sensu inducere in ordine ad probandum plenum & absolutum dominium, ut visum numer. præc. Respond. 2. neg. 2. part. Cons. Cum sermo sit de pleno, & absoluto dominio, quod est potestas disponendi de re aliqua inimpedibiliter, & pro libito, Clerici autem cum non possint de bonis suis pro libito disponere, ex sat dictis, hinc dicendum est, quod nec Concilium ibid. intellexerit de dominio perfecto, & absoluto, sed potius de facultate quadam, quæ speciem, & similitudinem dominii habet; Ecclesiastici namque habent aliquam facultatem in reditus beneficiorum, ut de iis disponant; & quidem inimpedibiliter, sed NB. ad determinatos tantum usus, nempe ut sibi primo quoad omnia necessaria provideant: deinde Ecclesias ornent, vel pauperes alant. Atque hinc sequitur, quod speciem quamdam dominii in dictos reditus habeant, adeoque dominium aliquod

quod imperfectum, & restrictum ab ipsa lege divina, & naturali, ac SS. Canonibus, quin & ab ipsamet bonorum Ecclesiasticorum natura, quæ converti non possunt in usus profanos.

CXXIX. Quod vero hæc nostra Concilii explicatio de dominio *imperfecto*, & *restricto* non sit contra, sed secundum mentem ejusdem Concilii, ostendo ex ipsissimo loco ab Ad. allegato. Dicit enim, quod si Clerici modo ibid. dicto officium suum non impleverint, dominium, *&c.* NB. *quoquo modo* non acquirant, h. e. quomodocunque *dominium* sumatur, sive plane, & perfecte, sive improprie, & restricte; secus enim nisi hæc esset legitima interpretatio, Concilium supervacanee hunc terminum *quoquo modo* addidisset, ut considerantı patet. Accedit, quod idem Concilium, statum Ecclesiasticum ad SS. Canones unice intendens reformare, non voluerit unquam aliud dominium Clericis attribuere, quam SS. Canones concesserant, ipsaque bonorum Ecclesiasticorum natura requirit: at vero SS. Canones imperfectum duntaxat, & restrictum concessere dominium, & hoc solum etiam naturæ dictorum bonorum convenit; nam quemadmodum SS. Canones agnoverunt res Ecclesiæ esse sub vero, & proprio dominio Dei, vel Christi, & ideo tantum sub dominio improprio, & restricto (quod idem est, ac *administratio*, *dispensatio*: &c.) Clericorum, ita pariter Tridentinum Sess. 25. cap. 1. *de Reform.* nulla facta distinctione inter portionem Clericorum usui destinatam, & eam, quæ superest eorum honestæ sustentationi, generatim asserit, quod res Ecclesiasticæ *Dei sunt*, & ideo prohibet, ne consanguineis donentur: si itaque agnovit, quod res Ecclesiasticæ Dei sint quoad verum, & proprium dominium, hoc ipso etiam agnovit, quod eædem res sint tantum sub improprio, & restricto dominio Clericorum. Ex his proinde jam patet, quomodo, vel qualiter Clerici fiant domini distributionum, si competens servitium personaliter impleverint. Iterum patet, probat. 2. part. arg. falsam esse, ubi dicitur, quod *amittere* sit idem ac privari dominio, adeoque e contra videatur inferri, quod Clerici sua implendo non amittant distributionem, sed acquirant dominium: hoc, inquam, non tenet, potest enim quis rem amittere, cujus dominium non habuit, ut patet, si gemmam v. g. inveniam, & iterum perdam, adeoque potest quis privari re absque eo, quod privetur dominio, quia non est privatio, quam non antecedat habitus. Ex hoc proinde bene infertur, quod etiam Clerici sua facientes acquirant distributionem (& hoc a fortiori de aliis reditibus) quin acquirant dominium saltem plenum, & perfectum.

CXXX. Ad Confirmat. 1. eadem est, quæ hactenus, responsio. Atque hinc ex cap. l. plus non innuitur, quam quod Clerici non profitentes vel non residentes præfixo tempore *non faciant fructus suos*, NB. quos alias de jure lucrati fuissent. Non vero decernitur, quod Concilium mutaverit (uti nec mutare potuit) *naturam* bonorum Ecclesiasticorum, nec onus reale ipsis annexum abstulerit, Clericosque plenos, & absolutos *dominos* effecerit; alias si juri antiquo derogare, & novum statuere voluisset, debuisset id exprimere: quia correctio jurium est odiosa, & non afferenda, nisi exprimatur. Deinde Ad. male supponunt Concilii mentem unquam fuisse, ut Clerici residentes, *&c.* faciant fructus *suos* plene: & absolute, præsertim cum id nullibi exprimat, sed mens Concilii fuit, non residentes, *&c.* punire, ut nempe non faciant fructus *suos*, quos alias de jure antiquo lucrati fuissent, h. e *cum*, & *sub* onere antiquitus annexo, impendenti omnia ad cultum Dei, & causas pias, quas inter, uti & cultum Dei hoc quoque est, ut ministri necessaria ad suam sustentationem applicent: cum faciant officium spirituale, propter quod datur beneficium.

CXXXI. Ad Confirmat. 2. cap. Maj. & 1. memb. Min. ad secundum fateor, Concilium ibid. nec unum, nec alterum, h. e. nec restitutionem faciendam, nec non faciendum expressis terminis definire; tacite tamen indubitanter eruitur restitutionis faciendæ necessitas, si bona Ecclesiæ male impendantur, v. g. donando consanguineis. Et hoc ex sequentibus motivis. *Primo*, quia, ut dictum Concilium ibid. voluit insistere SS. Canonibus. Porro ex SS. Canonibus plurimi non tantum expresse Clerici dominium adimunt, sed etiam expresse restitutionis onus imponunt; atque hinc abunde id ipsum expressit Concilium loc. cit. dum exprimit, quod volunt SS. Canones. *Secundo*, exceptio firmat regulam in oppositum, quod tenet, ergo dum

per

per Concilium cap. l. prohibetur Clericis, ne de rebus Ecclesiasticis donationes faciant inter consanguineos, plus ipsis prohibetur, quam ex sola lege caritatis, vel misericordiæ: ergo prohibetur ex lege justitiæ. Con. prob. ex lege caritatis, vel misericordiæ nulli unquam dubium erat, quin prohibitum esset Clericis, ne superflua donarent cognatis, vel familiaribus, nisi paupertatis intuitu; ergo dum Concilium hic noviter id prohibet, dicendum est, quod ex alia lege, nempe justitiæ prohibeat; quia quemadmodum qui de uno dicit, etiam de alio dicere videtur, maxime si hoc est consequens illi; ita qui de uno prohibet, etiam de alio prohibere videtur, si & hoc est consequens priori; est autem maxime consequens, ut beneficiariis ex lege justitiæ sit prohibitum, ne res Ecclesiasticas consanguineis donent, cum ex lege caritatis, vel misericordiæ id laicis sit prohibitum, ne superflua consanguineis donent cum præjudicio pauperum: apertum ergo est, quod Clericis d. l. plus debeat esse prohibitum, quam laicis, quibus id Concilium non vetuit. Ex his patet, quomodo allata verba ex cap. *qualis* 2. §. d. sint intelligenda, nempe ibi quod de uno dicitur, de alio negari videtur, si hoc non est consequens illi, non item secus: & sic e contra. *Tertia* denique ex c. l. eruitur, onus restitutionis Clericis incumbere, quia Concilium dicit signanter, *ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt*, seu quia Dei sunt, quod frustra, vel gratis aditum præsumi non debet: esset autem plane gratis aditum, si Clerici male res Ecclesiasticas impendentes nullo absoluto onere tenerentur, ut per se videtur clarum. Et certe si feudatarius, & emphyteuta, qui verum habent dominium utile, vel fideicommissarius, qui etiam est dominus proprietatis, vel Maritus, si male alienaverit fundum dotalem, licet sit ejus dominus, si inquam isti omnes tenentur ad restitutionem, si male de re possessa quocunque demum titulo, seu dominii, seu proprietatis, seu utilitatis, disposuerint absque eo, quod aliqua expressa addatur exceptio, an non multo magis id de Concilio præsumendum, ubi expressam facit exceptionem, *quæ Dei sunt?* Secus enim de feudo, emphyteusi, fideicommisso, vel fundo dotali per Jura melius erit prospectum, quam de bonis Ecclesiæ: quod non dixero, bene tamen illud, scilicet, quod Concilium c. l. non tantum dominio bonorum Ecclesiæ Clericos non gaudere, sed omnino restitutioni obnoxios esse, si hoc sibi usurpent, agnoverit.

CXXXII. Argumentum 4. Bona Ecclesiastica, quæ primis quatuor sæculis ab unico duntaxat Episcopo gubernabantur, ineunte quinto sæculo divisa sunt in quatuor partes; quarum una deputabatur ut propria Episcopo: altera ministris inferioribus, tertia Basilicarum fabricis, & quarta demum pauperum sustentationi. Jam sic; aut hæc divisio bonorum in quatuor partes fuit plane inutilis, & sine effectu; aut per eam translatum fuit dominium in Clericos, adeo ut essent proprietarii omnium redituum, etiam honestam sustentationem excedentium: ergo per eam divisionem Clerici facti sunt veri domini. 1. pars antec. prob. Si Clerici non fuissent facti veri domini per eam divisionem, maxime, quia *natura* bonorum non fuisset immutata; atqui fuit sufficienter immutata ad effectum acquirendi dominium; ergo, *&c.* Min. probat. natura bonorum fuit immutata quoad hoc, ut quæ ante divisionem dicebantur *communia*, post divisionem non amplius dicerentur *communia*, sed *particularia* ver. gr. Episcopi, Clericorum, *&c.* sed hæc mutatio est sufficiens ad acquirendum dominium: sicut hoc patet in hæreditate, quæ ante sui divisionem est communis respectu legitimorum hæredum: post divisionem autem secundum unam sui partem transit in plenum dominium unius hæredis particularis, secundum aliam partem in alterius dominium; ergo quemadmodum hæc mutatio hæreditatis, antea *communis*, sufficit ad transferendum plenum dominium, ita in priori casu sufficiet: secus, ut dictum, hæc divisio auctoritate Ecclesiæ facta, erit inutilis, & sine effectu. Sicut inutilis esset, & sine effectu divisio hereditatis, si nullus hæredum fieret verus, & proprius dominus partis sibi assignatæ.

CXXXII. Hoc totum argumentum efficaciter jam est resolutum per ea, quæ dixi num. 53. & seqq. ex quibus pauca repeto: nego igitur ant. cum sua prob. Stat enim Ecclesiam per divisionem in quatuor partes nec *voluisse*, nec *potuisse* immutare *naturam* eorundem bonorum. Ante, & post divisionem enim bona illa dicuntur, & sunt *res Dei*, Patrimonium Christi, vota fidelium, *&c.* ergo per divisionem Clericis jus novum in illa bona acquiri non

po-

potuit, cum per divisionem præfatæ prærogativæ bonorum Ecclesiæ abstrahi non potuerint. Mutatio vero, quam obtendunt Ad. commentitia est, utpote nulla aut Conciliorum, aut Patrum auctoritate roborata. Quin immo Concilia, Patres, Canonistæ, & primæ notæ Theologi plane eodem modo loquuntur (ut satis visum est c. l.) de bonis Ecclesiasticis quæ excedunt honestam Clericorum sustentationem, post eorum divisionem, & erectionem in particulares titulos, quo modo locuti fuerant ante divisionem, h. e. æque aperte asseruerunt, Clericis non competere proprietatem, ac antequam illa bona in quatuor partes dividerentur. Iterum dicere, quod Ecclesiæ, oblationes fidelium in certas partes dividentis, mens, & intentio fuerit, partes Clericis assignatas transferre cum pleno dominio, & proprietate, hoc inquam, dicere, est arbitrarium, immo idem, ac dicere, Ecclesiam in divisione bonorum peccare. *Arbitrarium* dixi; quia de intentione, de qua absolute nullo monumento constat; in re tanti momenti præsumi non debet, atque hinc ista intentio potius fingitur, quam revera sit: at vero in his, quæ fidem, & mores spectant, non licet quidquam periculose fingere, & ideo *nihil de cordibus*, *nihil extra præceptum Domini*, *& Sanctorum Patrum* (*quod absit*) *constituere*, *docere*, *vel jubere præsumamus*. Ut præcipit Concilium Lemovicens. 2. ann. 1634. Dixi etiam, quod hoc idem sit, ac Ecclesiam in divisione *peccare*; certe enim peccat, qui gravem injuriam infert legatario, & leganti; stante autem prædicta intentione Ecclesia inferret gravem injuriam legatario, nempe Deo, & leganti, nempe piis fundatoribus, *qui non dederunt divitias suas Prælatis propter se*, *sed propter pauperes*, secundum sæpius laudata verba Sancti Thomæ: principaliter ergo dederunt Deo: *Prælatis autem tanquam pauperum dispensatoribus*.

CXXXIV. Ulterior probatio arg. pro facta mutatione bonorum per divisionem, seu quod bona exinde fuissent mutata, quia per divisionem de *communibus* transierunt ad *particularia*, hæc inquam, probatio nimium probat, & vel ideo nihil: ex ea enim sequitur, quod Clerici per divisionem fiunt facti pleni domini etiam bonorum immobilium, cum & ista per divisionem de *communibus* transierint *ad particularia*: sequelam autem nec Ad. admittunt. Ceterum omnino verum est, quod bona Ecclesiæ per divisionem de communibus transierint ad particularia suo modo, sed tamen semper cum, & sub onere sibi antecedenter annexo, quod erat, & hodie adhuc est; ut superflua in causas pias erogentur. Quapropter & paritas de hæreditate ab Ad. allata sententiam nostram potius confirmat, ut jam supra dictum: vel enim ea hæreditas ponitur onerata obligationibus, vel ponitur harum expers? si secundum, stat omnino, quod hæredes fiant pleni domini partis per divisionem sibi assignatæ; sed hoc exinde est, quia quilibet habebat jus rigorosum ad eandem partem vel de jure naturæ, si sit ab intestato, vel per ultimam voluntatem testantis. At vero Clerici ubi unquam habuerunt jus rigorosum ad partem sibi assignatam in ordine ad superflua, si jus naturæ, & ultimæ voluntates testantium, nempe Fundatorum reclament? Quodsi vero hæreditas illa ponatur onerata debitis, quis dicat, quod hæredes illi per divisionem fiant pleni, & absoluti domini partis assignatæ, ita ut de ea disponere possint ad omnes usus ex arbitrio voluntatis, & hoc sine læsione justitiæ commutativæ creditorum? pariformiter ergo cum hæreditas Christi semper sit onerata debitis respectu piarum causarum, tanquam creditorum: Clerici nunquam evadent pleni domini partis sibi assignatæ, quotquot demum fiant divisiones. Quod ultimo denique in eod. arg. attexitur, manet solutum ex alibi dictis, scilicet hanc bonorum divisionem auctoritate Ecclesiæ factam non esse inutilem, & sine effectu; facta enim est divisio, ut extinguerentur rixæ, dissidia, lites, *&c.* quæ inter Episcopos, Capitula, fabricæ præpositos, & eleemosynarios ante bonorum partitionem excitabantur: non vero ut Clerici liberarentur onere, quo prius tenebantur, superflua nempe expendendi in pios usus.

CXXXV. Argumentum 5. Si Clericis dominium negatur, & restitutionis onus imponitur, dum bonis Ecclesiasticis abutuntur, profecto Ecclesia negligentiæ nomine (si ita loqui fas est) accusanda foret, quæ debitam restitutionem non diligentissime exequeretur, cum id a nemine propemodum præstari videamus. Atque hinc mirum sane est, quod nullibi cautum sit jure Pontificio, posse Clericos ad restitutionem compelli: & mirum eo magis

magis est, quod, cum Sacrosf. Tridentina Synodus ea omnia accuratissime persecuta sit, quæ ad peccatorum coercitionem, atque Ecclesiæ reformationem necessaria esse animadvertit, hac tamen de re nihil caverit. Cur autem id non caverit ratio *primo* esse potuit: quia quemadmodum qui eleemosynam erogat, verum dominium rei donatæ in pauperem transfert, absque eo, quod pauperem restitutioni obnoxium velit, si ex eleemosyna superflue, & voluptuose vivat: sic etiam qui beneficium instituit, in Clerici dominium transfert illius reditus annuos, optans quidem, ut illos in usus pios insumat, non tamen obligans ad restitutionem, si dilapidaverit. Ratio *secundo* esse potuit; quia sicut omnes divites tenentur ex superfluis facere eleemosynam: non tamen tenentur ad restitutionem non faciendo eam, quamvis interea in eo mortaliter peccent; idem dicendum est de Clericis. Ratio *tertio* esse potuit, esto, quod pii Fundatores faciendo fundationes, & instituendo beneficia, ut Clerici ea acceptando se Deo obligare voluerint, tamen obligatio, quæ soli Deo fit, non habet onus restitutionis, licet se obligans non implendo, vel non exequendo debitum mortaliter peccet, ergo a pari, *&c.* verbo (& potuit esse ratio *quarto*) Concilium vidit, & prævidit, quod non pauci diversarum dignitatum Eccl. ministri pro lautiori victu, pretiosiori vestitu, supellectili plane splendida, *&c.* Ecclesiasticis bonis abutantur, si proinde hi Clerici restitutioni subjacent, & tacet Concilium, immo tacet Ecclesia, plane Concilio; immo Ecclesiæ (sit dicto venia) peccata, & quidem tam perniciosa imputabuntur, qui enim tacet, cum posset, & deberet reclamare, consentire videtur.

CXXXVI. Respond. ad arg. nobis quidem hactenus in mentem non venisse, ut Ecclesiam vel a longe negligentiæ incusaremus, quasi vero debitam restitutionem non diligentissime exequeretur; certe hodie eadem Ecclesia est (quia eadem sponsa ejusdem sponsi) quæ fuit præcedentibus sæculis, at vero certum est, quod Ecclesia præcedentibus sæculis diligentissime restitutionem executa fuerit, ergo & hodie exequitur; illis autem sæculis exequebatur per legitima Concilia, SS. Patres, & Canones: hæc autem omnia & hodie robur habere debere, est compertum. Ceterum ab Ad. hoc unum quæro, an existiment, stante nostra sententia, Ecclesiam negligentiæ accusandam esse, eo quod non urgeat *In communi*, vel non urgeat *in particulari* restitutionem faciendam? Si primum, stat, quod actu, & sæpius dixi, Ecclesiam omnino, & de se efficaciter urgere restitutionem, dum per tot SS. Canones, & Concil. Clericorum dominium enervat. Si secundum dicatur, seu quod ab inde negligentiæ nota imminere videatur Ecclesiæ, eo quod non urget *in particulari* restitutionem faciendam, fateor, id omnino subinde contingere: at multa per patientiam tolerantur, quæ non tolerarentur, si deducerentur in judicium exigente justitia: nunquid enim Ecclesia hinc inde dolenter tolerat peccata contra jus naturæ ut evitentur adhuc majora incommoda, & graviora peccata? dum non compellit, licet absolute posset, ut *communes* domus clauderentur. Quid mirum igitur, si etiam in præsenti restitutionem subinde in particulari casu non urgeat? quin immo si in quolibet particulari restitutionem urgere vellet, sane si non semper, certe frequenter subiret periculum non levium incommodorum, vel sibi, vel alii imminentium, quod constat exinde, quia difficulter admodum in foro exteriori discerni potest, etiam per accuratissimos judices, an Clerici suis hæredibus vel tanquam pauperibus bona Ecclesiastica inter vivos, vel mortis causa donaverint, vel an facultates, quas reliquerunt, ex reditibus Ecclesiasticis, aut ex Patrimonio, vel industria, aut aliqua simili ratione comparaverint. Ecclesiæ proinde sufficit, quod Clerici in foro interno possint, & debeant scire, se ad restitutionem esse compulsos, ex jure divino, naturali, & positivo, si reditus Ecclesiasticos aliter, quam in pios usus expenderint. Unum proinde admiror, quod Marsilius, qui sibi nimirum de sua sententia blanditur part. 3. cap. 16. *de red. Eccl. orig. & jur.* audeat asseverare, nullibi jure Pontificio cautum esse, nec etiam per Concilium Trident. quod Clerici possint, & debeant compelli ad restitutionem; contrarium namque abunde ostendimus, & quoad Concilium Trid. n. 131.

CXXXVII. Ratio 1. quæ in contrarium adducitur desumpta paritate ex largitione eleemosynæ non facit ad rem; admitto namque, quod per largitionem eleemosynæ verum rei donatæ dominium transferatur in pauperem; hoc enim est de natura eleemosynæ; unde quomodocunque eam

pauper insumat, ex mente largientis eleemosynam, non remanebit restitutioni obnoxius: finis enim eleemosynæ est subventio egentiæ alterius, qui stat, sive pauper superflue, & voluptuose abutatur eleemosyna, sive non. At vero de fundatoribus beneficiorum, præsertim præcedentibus sæculis, non tantum non est dubium (& si esset, evinceretur dubium per SS. Ecclesiæ Canones, & præcedentium sæculorum praxin) sed omnino pro comperto habetur, eosdem bona sua Ecclesiæ largitos fuisse eo fine, & intentione, ut Ecclesiæ, vel pauperibus restitutionem facerent, si bona Ecclesiæ in vanos, & profanos usus erogarent; & hoc exinde vel maxime, quod per abusum bonorum Ecclesiæ semper, & immediate contraveniatur fini principali Fundatorum, qui fuit, & hodie adhuc est promotio cultus divini: qui per abusum similem non tantum non promovetur, ut patet, sed longe magis diminuitur, si beneficia erigantur sub ea intentione, quam Ad. prætendunt, quam si beneficia omnino non erigerentur: ostendo; si enim beneficia erigantur cum plena translatione dominii in annuos reditus absque restitutionis onere, si dilapidentur, sane periculum proximum est, ne cupiditas augeatur, voluntas ad quærenda, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, semper prona magis depravetur, scandala Laicorum multiplicentur, verbo, periculum proximum est, ne hac ratione a Clericis peccata magna, & multa committantur: his autem stantibus nemo non videt, cultum divinum vehementer diminutum iri, quis enim Deo rite serviet, quem peccatorum rea tenet conscientia? qui cum lucere deberet coram hominibus, vivit in ipsorum scandalum? qui cum arcere deberet vitia cupiditatis, magis dilatat habenas laxitatis. Stat ergo hoc modo, beneficia melius non erigi, quam erigi.

CXXXVIII. Ratio 2. in contrarium in arg. allata pariter non probat intentum; tametsi enim divites superflua possidentes sub gravi peccato teneantur eleemosynas facere: tamen si non fecerint, nullibi habetur, expressum, quod ad restitutionem obligentur, eo quod in omni jure *superfluorum* veri & proprii Domini fuerint. At vero contrarium quoad Clericos habetur abunde expressum, & quidem in omni jure: ut patet ex dictis. Ratio 3. ibid. allata falsa omnino est, seu quod obligatio soli Deo facta non habet annexum restitutionis onus; si enim quis voveat, vel juret, se aliquid Deo daturum, si non dederit, restitutioni subjacebit: quidni ergo, & in præsenti eadem obligatio adesse censeatur? accedit, quod si quis locis sacris aliquid promittat, & non impleat, sacrilegii crimine notetur, cap. *sunt, qui oper*, & cap. *sacrilegium*, 17. quæst. 4. sacrilegium autem in puncto furti manifeste restitutionis obligationem inducit.

CXXXIX. Ad rationem 4. omnino fatendum est, concilium vidisse & prævidisse multorum excessus circa bona Ecclesiastica: exinde tamen minime sequitur, quod peccata, aut restitutionis omissio imputanda sint vel Concilio, vel toti Ecclesiæ, quasi vero & hæc, & illud tacerent, dum possent, & deberent reclamare, & restitutionem urgere; mens Concilii namque quoad hoc abunde patet ex num. 131. Quoad totam Ecclesiam vero constat ex continuo hinc inde dictis. Ceterum Adversarios monitos cupio in ordine ad hanc rationem 4., ne nos iniquos nimis judices proclament, quasi vero statim Prælatum, *&c.* dum largiores videtur facere expensas vel ad mensam, vel ad vestitum, aut supellectilem, reprehenderemus, gravique peccato, & restitutioni obnoxium communiter judicaremus. Enim vero neque nos latet, quod quemadmodum non eodem prorsus jure omnes laicos censere oportet, sed pro personarum qualitate alium alio splendidius vivere, vestiri, *&c.* decet, ita pariter pro qualitate personarum Ecclesiasticarum & victum, & vestitum, *&c.* variari conveniat. Atque hinc utique Cardinalis v. g. sive in ordine ad mensam, sive vestitum, vel familiarium numerum, aut ædium apparatum, ceteraque ornamenta plus respective insumere poterit absque peccati, vel restitutionis statim incurrendæ periculo (& sic respective descendendo gradatim ad reliquos Clericos inferiores) *sumptuosus* namque *status*, *sumptuosas requirit expensas*, ut inquit Joann. Gerson in suo Triper. de præcept. decal. cap. 10. unde & Sanct. Thom. quodl. 10. argum. 14. ait ex August. *Hæc ita peragenda sunt, ut ne dum ea fiunt, quæ ad auctoritatem conservandam spectant, in superbiam degeneretur; & ne dum nimium servatur humilitas, regentis frangatur auctoritas.* Memoranda etiam opportune hic occurrit doctrina ejusdem S. Augustini lib. 3. c. 22. *Doctrin. Christian.* cap. 3. quomodo pro di-

diversitate loci, temporis, personarum, *&c.* alimenta sumi oporteat: dicit enim: *Quod igitur locis, & temporibus & personis conveniat, diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendantur. Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum olus ardescat: & sanius quisque maluerit more Domini pisce vesci, quam lenticula more Esau, nepotis Abrahæ, aut hordeo more jumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestiæ, quia vilioribus alantur escis. Nam in omnibus ejusmodi rebus, non ex earum rerum natura, quibus utimur, sed ex causa utendi, & modo appetendi, vel probandum est vel improbandum, quod facimus.* c. *quisquis*, 41. d. Ex quibus omnibus notent Ad. quod neque nos cum Sanct. August. & Sanct. Thom. statim reprehendamus Clericum, tanquam luxui deditum, furem, sacrilegum, *&c.* si quando videatur sumptuosiores expensas facere attentis nempe circumstantiis, temporis, loci, gradus, &c. at vero si his seclusis proventus Ecclesiæ dissipent vel ad mensam, vestitum, supellectilem, &c. non est, quod nos noviter ipsos tanquam fures, sacrilegos, restitutioni obnoxios, &c. damnemus: id enim clamant SS. Patres, Canones, Concilia, & novissime Tridentinum Sess. 25. c. 1. *de Reform.*

CXL. Argumentum *6.* Si beneficiarii non essent perfecti Domini bonorum etiam superfluorum, hoc ipso omnes contractus, & donationes, quibus eadem ad pias causas non applicantur, deberent rescindi, & haberi pro invalidis: sed; hoc est inauditum, & contra praxin. Immo constat, *Ecclesiam nunquam declarasse* dispositiones factas ad non pias causas invalidas esse, quod tamen declarare debuisset, si in similibus quid mali, injustive interveniret, cum interea id præstet accurate in minoribus verbi gratia circa absentes ab officio, aut residentiam, vel horas recitare omittentes. Ex quo confirmatur arg. 1. Si contractus, vel donationes ex bonis Ecclesiæ factæ rescindi deberent, & essent invalidæ, ergo & contrahentes, & donatarii obligarentur ad restitutionem: sed hoc iterum est inauditum, & contra praxin, ergo. Confirm. 2. experientia compertum habetur, quod etiam divites, qui succedunt Clericis vel via Testamentaria, vel ab intestato, ad restitutionem non soleant compelli, quod omnino fieri oporteret a Judicibus Ecclesiasticis, cum id a Judicibus forensibus videamus observari, qui non raro donationes, vel testamenta, etiam ad causas pias (juste, vel injuste) solent irritare, prætendendo, quod donator, vel testator non habuerit potestatem donandi, vel testandi: dicendum ergo est, quod Judices Ecclesiastici in Clericis verum dominium agnoscant ad effectum *valide* donandi, vel testandi. Confirmatur 3. si ergo donatarii, contrahentes, vel hæredes tenerentur ad restitutionem, deberet posse assignari, cui facienda esset restitutio: at non potest assignari, ergo &c.

CXLI. Respond. ad argum. & dico, universaliter, seu secundum se loquendo, tenere *majorem*; certum namque est, quod debitor contrahens, vel donans in fraudem creditorum, invalide contrahat, vel donet; contrahit enim, vel donat ex non suo: hoc autem est invalide contrahere, vel donare, sæpius autem hactenus probavimus, beneficiarios esse *debitores* pauperum, & piorum operum: ipsosque pauperes, & pia opera *creditores* esse illorum. Et hoc an sit inauditum, & contra praxin nostris temporibus, esto problema: hoc scio, non fuisse inauditum, nec contra praxin præcedentibus sæculis. Dum ergo dicitur, contractus, vel donationes ad causas non pias debere rescindi, & haberi pro invalidis, respond. sufficienter rescindi, per ipsum Clericum in usus profanos dicta bona conferentem, dum vel ipse Creditoribus, hoc est piis causis, si bona propria possideat, restitutionem facere tenetur: vel si ipse propriis careat, dum donatarius, vel contrahens, si scivit Clericorum ea bona in fraudem Creditorum alienante esse restituendo, tenetur restituere. Quod dicitur, Ecclesiam debere declarare, dispositiones factas ad non pias causas esse invalidas, respond. Ecclesiam id satis declarasse per antiquos sacros Canones, dum eosdem nedum non correxit, sed multo magis per cap. *Session.* Tridentini confirmavit, gravissime prohibendo, & damnando expensionem bonorum Ecclesiæ in usus profanos, quæ sane prohibitio, & damnatio quemlibet conscientiosum, & obedientem Ecclesiæ filium absterrere deberet a similibus contractibus, vel donationibus, quæ de se, & universaliter loquendo sunt in fraudem Creditorum. Sed cur hæc exceptio additur?

CXLII. Respon. ulterius, & simul ad Confirmat. 1. *quoad contrahentes:* vel accipiens aliquid a beneficiario titulo, vel *causa onerosa*, verbi gratia, ex contractu emptionis, permutationis, &c. tantumdem vicissim dando, quantum accipitur, scit eundem beneficiarium esse solvendo ex suis bonis? Si secundum, tenebitur contrahens restituere; mala fide enim contrahit cum gravi præjudicio Creditorum: nemini autem mala fides, seu fraus patrocinari debet. Si vero ignoret, beneficiarium non esse, non tenebitur ad restitutionem; quia quantum ad se, non agit injuste; dicit enim S. Thom. 2. 2. q. 59. artic. 2. O *Si aliquis faciat aliquid, quod injustum, non intendens* injustum *facere (puta, cum hoc facit per ignorantiam, non existimens se* injustum *facere) tunc non facit injustum per se, & formaliter loquendo, sed solum per accidens, & quasi materialiter, faciens id, quod est injustum: unde & talis operatio non denominatur justificatio. Quoad donatarios* vero sic discurro: Vel accipiens aliquid a beneficiario ex donatione, vel alia *causa lucrativa* iterum scit, donatorem esse solvendo, & supposito, quod sit, vel scit secundo, quod donator ex aliis sit soluturus Creditoribus, vel denique tertio scit, donatorem non esse solvendo? in tertio casu stat, donatarium teneri ad restitutionem, ob rationem paulo ante datam, scilicet, quia mala fide accipit, quæ parit injustam acceptionem per se & formaliter. In secundo casu denuo stat, donatarium restitutioni esse obnoxium, etiamsi forte accipiendo malam fidem non habuisset, existimans nempe, donatorem ex aliis restituturum, dummodo in eventu experiatur, quod non restituat, quia ut accipiens ex causa lucrativa restitutioni maneat obnoxius, sufficit, quod Creditor reipsa fraudetur, sive deinde accipiens pro tempore acceptionis malam, sive bonam fidem habuerit: in hoc secundo casu autem apertum est, Creditores, nempe pauperes, & pia opera fraudari. In primo autem casu admitto donatarium non teneri ad restitutionem; quia cum donator habeat, unde solvat Creditoribus, nullam injuriam, vel fraudem committere dicitur: & hoc proprie locum habere in beneficiario possidente Patrimonialia, vel quasi: iste enim, cum aliquid de suis reditibus donat, non dicitur proprie bona Ecclesiastica donare, hoc ipso, quod facili negotio refundere possit ex suis, quæ donavit.

CXLIII. Sed quid, si beneficiarius solum habet reditus beneficii, an tunc accipiens ex donatione, vel causa lucrativa tenetur ad restitutionem? ad hoc videtur responderi posse; si beneficiarius parcius, & frugalius vivendo, velit expensas, ceteroquin necessarias diminuere, vel alias pro acquirendis bonis, quibus subveniat Creditoribus, specialius allaborare, quod tunc dicto modo accipiens ex reditibus beneficii non teneatur restituere, sed solum monere beneficiarium, ut mox dicta præstet. Sed quoad hoc contrarium judico, esse verum: *Episcoporum* namque *res* (idem est de aliis beneficiariis) *Ecclesiæ non dubitantur esse*, cap. *similiter* 16. quæst. 1. & ideo reditus, vel bona beneficialia videntur esse specialiter hypothecata pro Ecclesiis & pauperibus, adeo ut illæ, & isti semel pro semper quantum ad bona Ecclesiastica qua talia, ceteris omnibus præferri debeant, & non sine injuria postponi possint. De mente Sanctorum Patrum quoad præsens, dubium plane nullum est, ut in præcedentibus visum est; loquuntur enim universaliter de bonis Ecclesiasticis qua talibus: dico, *qua talibus*; quia dum beneficiarius non habet bona propria Patrimonialia, vel quasi, quibus compensare possit, quæ per donationes de bonis Ecclesiasticis expendit, stat universaliter, & ex fine primario, & natura bonorum, illa esse deputata ad cultum divinum, & pias causas; quod autem, & quamdiu manet deputatum ad cultum divinum, & pias causas converti non potest in profanos usus, & si convertatur, invalide fiet, juxta cit. Regul. Jur. 51. *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum*. Et in hoc casu donatarios ad restitutionem obligari post plures SS. Patres c. c. bene agnovit S. Carolus, qui ubi in primo Concilio Mediolan. tit. 63. asseruit, beneficiarios dilapidatores bonorum ad restitutionem teneri, de accipientibus quocunque titulo, adeoque etiam donationis, sic loquitur: *Noverint etiam ii, ad quos scientes hujusmodi fructus, vel aliquod ex eis commodum pervenerit, se eadem restitutionis lege teneri.*

CXLIV. Quantum ad Confirmat. 2. responsio patet ex num. 136. unum tamen adverto, quod paritas non bene deducatur a Judicibus sæcularibus ad Ecclesiasticos; illi enim facili negotio possunt discernere quænam bona fuerint, vel non fuerint donatoris, vel testantis, adeoque an fuerit in le-

legitima poſſeſſione donandi, vel teſtandi. Quinimmo utinam! non etiam ſubinde contingeret, quod abſque juſta cauſa donationes, vel teſtamenta ad cauſas pias quoque irritarent, neſcio, quibus decipulis juridicis innixi: dabunt tamen & hi filii hujus ſæculi ſuarum injuſtitiarum rationem, ubi ſuam cauſam dicere tenebuntur coram ſupremo Judice. Jam vero in ordine ad Judices Eccleſiaſticos hæc ratio quoad facilem diſcretionem bonorum, & propter alia imminentia incommoda non ſubſiſtit, ut viſum cit. num. & ideo non eſt dicendum, quod hi Clericis verum dominium agnoſcant ad effectum valide donandi, vel teſtandi.

CXLV. Ad Confirmat. 3. Reſpond. indubitatum eſſe, quod ſive donatarius, ſive mala fide contrahens, ſive hæres in bonis Eccleſiaſticis, ſuæ obligationi ſit facturus ſatis, ſi bona quocunque demum titulo accepta, reſtituat ipſi beneficiario, aut Eccleſiæ, cui beneficiarius ſervit, vel ſervivit: aut ſi neutrum commode fieri poſſit, ſi illa bona convertat in pia opera, & quidem primo intuitu illius Eccleſiæ, vel elargiatur pauperibus, & quidem primo conſanguineis beneficiarii, ſuppoſito, quod ſint pauperes: vel hoc deficiente aliis quibuſcunque pauperibus, primo tamen parochianis, vel inhabitantibus locum, ubi eſt beneficium, ex quo bona accepit, qui reſtituere intendit; hoc tamen ultimum judico ſecundum pietatem potius eſſe verum, quam ſecundum ſtrictam obligationem: quia cum bona reſtituenda ſint *Eccleſiaſtica*, adeoque piæ Matris Eccleſiæ: hæc autem *omnes* mundi fideles filios ſuos reputat, & æquali amore amplectitur, ideo etiam bene ſtat, bona illa reſtitui poſſe quibuſcunque veris pauperibus. Ceterum ratio horum omnium eſt; quia is, qui tenetur reſtituere, ſufficitur in locum beneficiarii; ſuffectus autem communicat in onere, & commodo cum illo, cui ſufficitur; atqui beneficiarius expendendo bona Eccleſiaſtica dictis modis ſuæ obligationi ſatisfeciſſet, ergo & ille, qui reſtituit hoc modo, ſatisfaciat. Stat ergo, poſſe aſſignari, cui facienda ſit reſtitutio.

CXLVI. Argumentum ſeptimum ex S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 7. deſumptum: *Propriorum bonorum verum dominium habent* Epiſcopi, & quilibet beneficiarii: ſed facta diviſione bonorum Eccleſiaſticorum in quatuor partes, quælibet pars diviſa, & uni, ac alteri aſſignata, induit naturam *propriorum bonorum* ex mente S. Thom. Ergo Epiſcopi, & quilibet beneficiarii portionis ſibi aſſignatæ habent verum dominium, *Maj.* eſt S. Thom. in corp. & verſa, *Min.* pariter eſt ejuſdem ibid. ubi ait: „ De his autem, „ quæ ſunt ſpecialiter ſui uſui deputata, vi„ detur eſſe eadem ratio, quæ eſt de pro„ priis bonis; Ergo, *&c.* Confirmat. ex eodem ibid. exceptio firmat in oppoſitum: ergo cum S. Thom. aperte excipiat, Epiſcopum teneri ad reſtitutionem, ſi portionem miniſtris, pauperibus, &c. debitam prodigat, dicendum eſt ex oppoſito, quod etiamſi ſuam portionem dilapidet, ſolum mortaliter peccet, non vero teneatur ad reſtitutionem, adeoque portionis ſuæ verum habeat dominium. Dicit autem cit. loc. „ Si ergo diſtincta ſint bona, quæ debent „ in uſum Epiſcopi cedere ab his, quæ „ ſunt pauperibus eroganda, vel etiam in „ uſum miniſtrorum, aut in cultum divi„ num expendenda, non eſt dubium, quin „ contra fidem diſpenſationis agit, & mor„ taliter peccat, & ad reſtitutionem tene„ tur. De his autem, quæ ſunt ſpecialiter „ ſuo uſui deputata, videtur eſſe eadem ra„ tio, quæ eſt de propriis bonis; ut ſcilicet „ propter immoderatum affectum, & uſum „ peccet quidem, ſi immoderate ſibi reti„ neat, & aliis non ſubveniat, ſicut re„ quirit debitum caritatis. „ Ergo, &c.

CXLVII. Reſpond. jam 1. ad argum. (quod ſatis præoccupavi num. 50. & ſeqq.) adeoque ſuperabundanter, conc. Maj. neg. Min. ad probat. Danda eſt genuina explicatio S. Thom. dicit ergo, quod eadem videatur eſſe ratio de portione aſſignata, ac de propriis bonis, hoc eſt quemadmodum ex propriis bonis poteſt ſibi providere quoad omnia neceſſaria citra periculum lædendi juſtitiam, ita pariter ex portione aſſignata poteſt ſibi providere quoad omnia neceſſaria, & ad eundem finem diſponere ex arbitrio voluntatis etiam ſine periculo lædendi juſtitiam, vel aliam virtutem, ſi moderate faciat; talis autem proviſio, vel diſpoſitio eſt ſpecies quædam dominii, ſeu dominium imperfectum: minime autem colligitur ex S. Thom. quod voluerit in omnibus plane eandem eſſe rationem quoad portionem aſſignatam, & bona propria; ſeu quantum ad integram, & plenam adminiſtrationem; certe enim S. Thomas portionem cuilibet aſſignatam computavit inter bona Eccleſiaſtica: dicit autem ex S. Auguſtin. ad Bonifacium Epiſt. 50. quod beneficiarii *bonorum Eccleſiaſticorum ſunt diſpen-*

ſpenſatores, *vel procuratores*, adeoque non pleni, & abſoluti Domini, ergo manifeſtum eſt, quod S. Thomas non voluerit, eandem omnino rationem eſſe quoad portionem aſſiguatam, & bona propria, ex quibus plane liberum eſt beneficiariis diſponere, vel erogando in conſanguineos, vel alios uſus profanos; quod tamen liberum non eſſe beneficiariis ex portione ſibi aſſignata, bene docet (ante Concilium Trid. Seſſ. 25. cap. 1. *de Reform.*) ipſemet S. Doctor. ibid. in Reſponſ. ad primum: Ubi ait; „ Et ideo, ſi de eo, quod uſui Epiſcopi, vel alicujus Clerici eſt deputatum, „ velit aliquis ſibi detrahere, & conſanguineis, vel aliis dare, non peccat dummodo illud faciat moderate, id eſt, ut non „ indigeant, non autem ut ditiores inde „ fiant. „ Ecce! ex mente S. Thom. Epiſcopo & Clericis liberum eſt tantum ex portione ſibi aſſignata dare conſanguineis, vel aliis, *titulo*, *& intuitu paupertatis*, cum tamen ex bonis propriis, extra omne dubium, liberum ſit, date cuicunque, & ex quocunque titulo: ergo manifeſtum eſt, quod S. Thom. non voluerit alio modo, quam a nobis aſſignato, eandem eſſe rationem inter ea, *quæ ſunt ſpecialiter ſuo* (hoc eſt Epiſcopi) *uſui deputata*, *& de propriis bonis*.

CXLVIII. Reſpond. ad idem argum. 2. & quæro: vel Adverſarii ſupponunt, *in beneficiis*, *in quibus invenitur facta diviſio*, id, quod eſt deputatum uſui Clerici, eſſe deputatum quoad totam omnino ſubſtantiam, vel ſecundum eam partem, quæ eſt neceſſaria honeſtæ ſuſtentationi? Si ſecundum (quod tamen Adverſarii non niſi inconſequenter admitterent) Clericus non poſſet aliter de illa parte diſponere, verbi gratia conſanguineis, vel aliis dando, niſi per hoc, quod ſibi detraheret, ut aliis donaret, ſed NB. *ut non indigeant*, *non autem*, *ut ditiores inde fiant*: ex S. Thom. cit. loc. at vero de bonis propriis, ut dixi, poteſt donare cuicunque: & ex titulo quocunque: ergo iterum eſt diſparitas, & ſtat noſtra omnino vera S. Thomæ interpretatio. Si ergo Ad. primum dicant, ſeu quod id, quod eſt deputatum uſui Epiſcopi, vel Clerici, eſſe deputatum quoad totam omnino ſubſtantiam, oſtendo, maximum inde ſequi poſſe abſurdum, & vel ideo Sancti Thomæ Viro æque Sanctiſſimo ac Doctiſſimo non imputabile. Compertum namque habemus, quod in pluribus provinciis, pars a Capitulari menſa ſeparata quinquaginta, centum, immo adhuc plurium millium ſummam excedat: quis autem ſecura mente, coram Deo, & Chriſto aſſeveret, poſſe hunc talem beneficiarium de tanta quantitate diſponere, æque ac de bonis propriis? ponamus ergo, quod hic talis munus ſuum Epiſcopale per plures annos, verbi gratia viginti vel triginta, gerat; ponamus ulterius (optantes ut non comprobet experientia, quod ponimus) quod ſingulis annis medietatem, vel ultra, hujus ſummæ, inter conſanguineos, familiares, vel in alios uſus profanos dilapidet, teſtor jam, quemcunque vel modice urget conſcientia, an non videat, quantum cultus divinus diminuatur, quantum piæ cauſæ patiantur, quantum pauperes inedia torqueantur? verbo, an non videat hoc ingens abſurdum cum juſtiſſimo piæ Matris Eccleſiæ planctu & lacrymis? quæ merito exclamare poteſt: *Si ſic mihi futurum erat*, *quod neceſſe fuit concipere?* (Geneſ. 25.) enutrire; exaltare? honorare talem filium prodigum? concipit autem, enutrit, exaltat, honorat, ſtante Ad. ſententia, quæ indulget Clerico de parte ſuo uſui deputata æque diſponere, ac de bonis propriis. Et hoc de S. Thoma, viro tanto præſumatur? præſertim poſt ſanctam Synodum Tridentinam, quam maxime Doctrinæ Sancti Thomæ inhærentem? quæ Seſſ. 25. *de Reformat.* cap. 1. decernit: „ Quapropter „ exemplo Patrum noſtrorum in Concilio „ Carthaginenſi, non ſolum jubet, ut Epiſcopi modeſta ſuppellectili, & menſa, ac „ frugali victu contenti ſint, verum etiam „ in reliquo vitæ genere, ac tota domo „ caveant, ne quid appareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque „ non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præſeferat. „ Obſecro, quomodo ſtabit modeſta ſupellex, frugalis victus, ſimplicitas, Dei zelus, vanitatum contemptus, &c. ubi adeſt poteſtas diſponendi, ad quoſcunque uſus, de tanta proventuum ſumma? Sed, *&c. &c.*

CXLIX. Ad confirmat. ex eodem S. Thom. adductam Reſpond. neg. Conſ. & dico, mentem Sancti Thomæ non fuiſſe, his inferre ex uno oppoſito aſſertivo alterum oppoſitum negativum, v. gr. ſi Epiſcopus portionem Clericis, fabricæ, aut pauperibus ſpecialiter deputatam, ſibi uſurpat, *obligandum fore* ad reſtitutionem: ergo ex oppoſito, dum Epiſcopus portionem ſuo uſui ſpe-

ſpecialiter deputatam, in uſus etiam profanos uſurpat, *non obligandum fore* ad reſtitutionem, hæc, inquam, mens S. Thom. non fuit, ſed dum cit. loc. videtur facere oppoſitionem, vult illam, præciſe petendam eſſe *ex modo adminiſtrationis*: ita, ut licet Epiſcopo liberum non ſit de tribus reliquis portionibus diſponere in ordine ad alios uſus, etiam pios, abſque reſtitutionis onere, liberum tamen ipſi ſit diſponere de ſibi aſſignata portione in quoſcunque uſus *pios*: vel ex eadem portione ſuis conſanguineis, vel etiam aliis ſuccurrere, *ut non indigeant*: quinimmo, ut liberum ipſi ſit, ex eadem portione obſequia ſibi, vel Eccleſiæ, aut a conſanguineis, aut ab extraneis præſtita, *moderate* compenſare; quæ omnia ſpeciem aliquam dominii, ſeu dominium imperfectum arguunt.

CL. Sed quid multis? alia mens S. Thom. eſſe non potuit; certum namque eſt, quod Sanctus Thomas a traditione SS. Canonum recedere non voluerit: iterum clarum eſt, quod SS. Canones, nec in ea, quæ honeſtæ ſuſtentationi ſuperſunt, nec in portionem Canonicam, uſibus Clericorum ſpecialiter deputatam iiſdem Clericis plenum, & abſolutum dominium admiſerint. SS. Canones enim loquuntur univerſaliter de omnibus reditibus Eccleſiaſticis, cujuſcunque generis illa ſint, dum Clericis dominium denegant. Unde quando poſt mortem Clerici jubent inquiri, quænam ſint bona Patrimonialia, illaque conſanguineis tradi præcipiunt, ut reliqua omnia, etiam ex portione uſui ipſorum ſpecialiter deputata, provenientia in jure Eccleſiæ reſerventur. Et iterum, quando Clerici decedentes relinquunt domos, vel prædia, quæ ante ſuſceptum beneficium non poſſederant, jubent inquiri, an Clerici pro tempore ſuſceptionis beneficii, bona Patrimonialia habuerint; ſi non habuiſſe inveniantur, præcipiunt Canones, domos, & prædia conferri debere Eccleſiæ, eo quod præſumptio ſit contra Clericos, quod ſcilicet illa comparaverint ex reditibus Eccleſiaſticis, adeoque etiam portione Canonica. Primum conſtat ex jam ſemel allegato Canon. *Epiſcopi* 12. quæſt. 1. ubi decernitur: „ Epiſcopi de rebus propriis, vel acquiſita, vel quidquid de proprio habent, hæredibus ſuis ſi voluerint, relinquant: quidquid vero de proviſione Eccleſiæ ſuæ fuerit, ſive de agris, ſive de fructibus, ſive de oblationibus, omnia in jure Eccleſiæ reſervare cenſuimus. „ Secundum vero patet ex Can. *placuit*: de pecul. Clericor. ubi habetur: „ Placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Epiſcopatus, vel Clericatus ſui agros, vel quæcunque prædia nomine ſuo comparant, tanquam rerum Dominicarum invaſionis crimine teneantur, niſi Eccleſiæ eadem ipſa contulerint. „ Stat ergo, per SS. Canones, portionem Canonicam, ſeu Clericorum uſui ſpecialiter deputatam, non eſſe ſub pleno Clericorum dominio: ſtat etiam, S. Thomam a mente SS. Canonum recedere noluiſſe: ſtat ergo ultimo, bonam eſſe noſtram explicationem ad cit. loc. S. Thom.

CLI. Petes, cur ſupra ad initium num. 148. dixerim, *in beneficiis, in quibus invenitur facta diviſio*? Reſpond. id exinde eſſe, quia etiam hodie, atque adeo omnino poſt diviſionem bonorum, invenire eſt plures Epiſcopatus, vel Abbatias, aut Prioratus, in quibus portio Baſilicarum fabricæ, vel ſaltem pauperum ſuſtentationi deputata, adhuc immixta eſt annuis reditibus: in hoc caſu (ſuppreſſis ſtatim præcedentibus) manifeſtum eſt, quod beneficiarii non acquirant plenum dominium ſuæ portionis, ex annuis reditibus provenientis, ſed ad ſummum, quod acquirant dominium reſtrictum, adeoque imperfectum, nempe *cum* & *ſub* onere ex ſuperfluis alendi pauperes, vel reparandi Eccleſias; ſi ita, profecto ex S. Thom. non licet argumentari univerſaliter, uti nimis fidenter ſibi blandiuntur Ad. quod Clericis æque liberum ſit diſponere de ſua portione Canonica, vel annuis reditibus, ac ipſis liberum eſt diſponere de bonis propriis. Quod vero ſint tales Epiſcopatus, &c. in quibus nihil ſpecialiter ex annuis reditibus, præterquam quod teſtetur ipſamet experientia, aperte fatetur Sanctus Thomas, qui gratis ibidem non addidit illa verba: *Si vero non ſunt prædicta bona diſtincta, eorum diſtributio fidei ejus committitur*. A primo ad ultimum ſtat per hæc modo dicta, & ſpecialiter c. c. num. 50. & ſeqq. S. Thom. alias undequaque de Sancta Matre Eccleſia optime meritum, neque in præſenti eidem materiam planctus voluiſſe ſubminiſtrare.

CLII. Argumentum 8. Poteſtas condendi teſtamentum arguit perfectiſſimum dominium: ſed in beneficiariis datur poteſtas condendi teſtamentum ergo & perfectiſſimum

mum dominium. Maj. patet. Min. prob. Hæc potestas non repugnat 1. in Clericis ratione status Ecclesiastici, quia ex eo, quod ad majorem dignitatem, & gradum præ sæcularibus assumantur, non debent fieri deterioris conditionis, quam sæculares, cum istis competat facultas testandi de suis bonis ad quoscunque fines, vel usus. Non repugnat 2. naturæ bonorum Ecclesiasticorum; quia quod semel repugnat, semper repugnat; adeoque si semel repugnat naturæ dictorum bonorum, posse testamentarie disponi, nunquam poterunt in usus profanos converti: at vero etiam a nobis concessum fuit, num. 149. in fin. posse ea bona in uno alterove casu in usus profanos converti. Confirmat. vel est tantum dubium, quod in Clericis non detur potestas condendi testamentum vel certum: ergo in vanum, & temerarie de hac quæstione gravissima disputatur a Theologis, & Canonistis, etiam piissimis & doctissimis: quia contra certitudinem nec pugnat probabilioritas. Si vero dubium est, an detur talis potestas in Clericis, jam sic: in dubio nemo spoliandus est jure suo: & in pari causa melior est conditio possidentis secundum notam juris Regulam, ergo, cum ex una parte dubium sit, an detur talis potestas, vel non, ex alia vero parte constet, beneficiarios in variis Orbis Christiani partibus testamenta condere, videtur consequenter, possessionem stare pro Clericis contra dubium, adeoque contra legem, si quæ extaret de non testando; quia sicut dum quis dubitat de prædio vel agro, sitne suus, necne, potest autem pro dubio vincendo allegare titulum continuatæ possessionis, est in possessione libertatis contra legem de restituendo: sic etiam dum Clerici dubitant, possintne testari, necne, possunt tamen allegare titulum possessionis de testando, stabit possessio pro libertate: eo quod ab actu ad potentiam, seu ab actuali possessione testandi bona sit argumentatio ad posse testari. Et sic in beneficiariis datur potestas testandi, & valebunt testamenta in gratiam consanguineorum, vel aliorum ex bonis Ecclesiasticis facta.

CLIII. Hoc argumentum denuo præoccupavi nostro argum. principali 5. cui conformiter Respond. c. Maj. dist. Min. in Clericis datur potestas testandi ex Patrimonialibus, vel quasi: c. ex bonis Ecclesiasticis, n. Min. *&c.* dicitur enim Can. 40. Apostol. *Ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus, sicut voluerit, & quibus voluerit, relinquere: ne sub occasione Ecclesiasticarum rerum intercidant res Episcopi; justum enim est apud Deum pariter homines, simul ne Ecclesia, per ignorationem rerum Episcopi, damni aliquid sustineat: simul ne Episcopus, aut cognati ejus, prætextu Ecclesiæ oblædantur*, cap. *fini manifest.* 12. q. 1. Quantum ad bona Ecclesiastica autem dicit S. Hieronymus, in Ezech. c. 46. Quod *Sacerdotes ipsis quoque filiis suis, quibus paterna debetur hæreditas, nihil debent derelinquere, nisi quid sibi a parentibus derelictum est; ergo qui ditior est Sacerdos, quam dum venit ad Sacerdotium, quidquid plus habuerit, non filiis debet dare, sed pauperibus, & sanctis Fratribus, & domesticis Fidei, qui vincunt merita laborum, ut reddat ea, quæ Domini sunt, Domino suo.* Unde & S. Gregor. Mag. lib. 9. Epist. 14. prohibet filio mortui in Episcopo Patris, ne vel illius vestes sumat: *quia* (inquit) *sacris Canonum legibus nescitur esse definitum, ut in his, quæ Antistes Episcopatus tempore acquisiverit, non alius, nisi sola succedat Ecclesia.* Ex quo utroque loco aperte colligitur, in Clericis non esse potestatem testandi, quia sola debet succedere Ecclesia, ut quæ Domini sunt, Domino reddantur. Sed nunquid Ad. forsan ad suam, sibi satis familiarem responsionem recurrent, dicendo, hæc vim habuisse ante divisionem bonorum? at præterquam quod hoc falsum sit quoad Sanctum Gregorium, cum sederit circa ann. 590. ostendo, potestatem testandi in Clericis longe post divisionem bonorum denegatam fuisse a Concilio Lateranensi tertio sub Alexandro III. qui sedit ad annum 1159. decernitur autem in d. Concil. „ Ecclesiastici quidam Clerici, „ cum ab Ecclesiis suis multa bona perceperint, bona per Ecclesias acquisita in „ alios usus præsumunt transferre. Hoc „ igitur quia & antiquis Canonibus constat inhibitum, nos etiam nihilominus „ inhibemus. Indemnitati itaque Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere „ c. eum in officiis, de testament. Ecce! Concilium dicit, *sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint*, nempe per testamentum a se factum, bona illa penes Ecclesiam debere permanere. Stat ergo in Clericis dictam po-

potestatem testandi non esse: unde frivolam omnino, & Ecclesiæ *indemnitati* maxime contrariam Ad. responsionem, qua dicunt, uti & nuperrime a nonnullis audire debui, Clericorum testamenta ex bonis Ecclesiæ ad profanas causas valida quidem esse, sed non licita.

CLIV. Jam ad prob. Min. argum. qua dicitur, quod exinde Clerici essent deterioris conditionis, quam sæculares, cum illi, non item illi, possint libere testari. Ad hoc, inquam, Respond. falsum esse, quod Clerici exinde fiant deterioris conditionis, si enim Clerici tantum possunt, quantum Laici, & sespective quid ultra, quis prudenter arguet, Clericos ad majorem dignitatem præ fecularibus promotos, fieri deterioris conditionis, quam Laicos? atqui possunt tantum, quia ex sæpius cit. cap. *Episcopi* 12. q. 1. conceditur, ut *Episcopi de rebus propriis*, *vel acquisitis*, *vel quidquid de proprio habent*, *heredibus suis si voluerint*, *derelinquant*. Dixi, & *respective quid ultra*; si enim Laici ex bonis suæ curæ, vel fidei creditis nec possunt eleemosynas facere, nec obsequia sibi ab aliis præstita compensare, & hoc tamen possunt Clerici, non obstante, quod bona Ecclesiastica, seu *res Ecclesiæ non sunt ut propriæ*, *sed ut Dominicæ*, *& a Domino commendatæ*, *tractandæ*, & Clericis commissæ per modum depositi Deo consecrati, & pauperibus alendis deputati, salva ipsorum honesta sustentatione. Quod autem Clerici possint *respective quid ultra* prætes jam dicta, comprobamus ex Alexandro III. selat. in cap. *ad hæc* de testam. ubi habetur: *Clerici de mobilibus*, *quæ per Ecclesiam sunt adepti*, *de jure testari non possunt*. *Viventes tamen*, *& sui compotes*, *moderate valent aliqua de bonis ipsis*, *non ratione testamenti*, *sed eleemosynæ intuitu erogare in ægritudine constituti*. Ex quibus stat, Clericos nedum non esse deterioris, sed omnino melioris conditionis præ Laicis, eo quod etiam superiori dignitatis gradu possint tantum, & sespective plus, quam possint Laici.

CLV. Quoad alterum Min. probatæ membrum, seu quod dicto modo testari non sepugnet naturæ bonorum Ecclesiæ, credo falsitatem abunde patere ex allegat. nostro argum. principali quinto. Sed tamen cum hic, quod abundat, minime nocere possit, Respond. negando, quod id non repugnet naturæ bonorum Ecclesiæ. Præscindendo igitur, quod eadem bona per divisionem non fuerint immutata; & iterum, quod id quod semel Deo dicatum est, non debeat converti in usus humanos, hoc unicum, & respective novum formo argumentum. Potestas testandi præsertim ad profana est potestas humana: hæc autem potestas se non potest extendere nisi ad ea, quæ huic potestati possunt esse subjecta: atqui bona Ecclesiastica non sunt subjecta proprie potestati humanæ qua tali: quæ Min. prob. bona Ecclesiastica sequuntur naturam, & conditionem illius, ad quod ordinantur, seu quod ex sua institutione respiciunt: ordinantur autem, & ex institutione sua respiciunt Clericatum, seu Sacerdotium; Clericatus autem, vel Sacerdotium non subjiciuntur potestati humanæ qua tali, ergo nec bona Ecclesiastica subjiciuntur potestati humanæ qua tali, adeoque nec potestati condendi testamentum; consequenter & ipsorum naturæ repugnat, posse subjici testamentariæ dispositioni. Quod vero bona Ecclesiastica ex sua institutione, nempe Fundatorum mente, Clericatum, vel Sacerdotium respiciant, & non personas, quibus donantur, penes Sacros Canones, etiam leges civiles agnoverunt, & agnoscunt; ut patet ex Constitutione Justiniani Imperatoris apud Cardinal. Baronium Annal. tom. 7. ann. 528. ubi habetur: *Quæcunque post ordinationem ex quacunque causa extra præfatas personas*, (hoc est parentes, avunculos, fratres, &c. jure hæreditariæ successionis) *ad ipsos* (Episcopos, vel Clericos) *pervenerunt*, *ea jubemus ad Sanctissimam Ecclesiam*, *cujus Episcopatum tenuerunt*, *pertinere*, *& ab ea vindicari*, *& evinci*, *nulla alia persona potestatem habente ex eo proprium aliquid auferre lucrum*; *quis enim dubitaverit*, *eos qui ipsis res relinquent*, *aut reliquerint*, *etsi in aliam personam transferunt*, *aut transtulerunt*, *non potius* (NB.) *ipsum Sacerdotium contemplatos*, *quam ejus personam*: *& cogitantes*, *quia non solum ab ipsis relicta pie insumant*, *sed suas ipsorum res adjicient*, *id fecisse?* . . . . . *Nam cum quidam summa in Deum spe*, *& ut animæ eorum salvæ fiant*, *ad Sanctissimas accusrant Ecclesias*, *& eis omnes suas facultates offerant*, *& derelinquant*, *ut in pauperes*, *& egentes*, *& ad alios usus pios consumantur*; *indecens est*, *Episcopos in suum illas auferre lucrum*, *aut in propriam sobolem*, *aut cognatos impendere*. Quæ quidem dicta

dicta Imperatoris non haberent vim in personas Ecclesiasticas, nisi tantum essent declaratoria SS. Canonum, & juris antiqui. Stat proinde bona Ecclesiastica ex se respicere Sacerdotium potius, quam personas: unde stat & modo factum argumentum, ex quo naturæ bonorum Ecclesiasticorum semper repugnat, quod subjaceant testamentariæ dispositioni. Quod vero Ad. nobis objiciant ibid. quasi nos ipsimet admittere videamur, posse bona Ecclesiastica subinde ad profanos usus converti, verbi gratia, in compensationem obsequiorum, &c. hoc, inquam, nos non urget: præterquam enim quod hæc compensatio non possit esse nisi *moderata*, cap. *ad hæc*; de testament. patet, quod *compensare obsequia* Ecclesiæ, vel Clerico præstita, non sit proprie quid profanum, sed potius ad cultum divinum ordinetur, cum hac ratione etiam alii fideles magis excitentur ad præstanda sua obsequia Ecclesiæ, vel ejus ministris.

CLVI. Ad confirmat. qua disputant Ad. an sit certum, vel tantum dubium, an detur potestas testandi: &c. in Clericis: Respond. mihi quidem certum esse, talem potestatem non competiisse beneficiariis, præcedentibus seculis: idque constat ex Canone 49. Apostolico, ex 24. Antiocheni Concilii, ex 49. tertii Carthaginensis, ex Gregorio Magno, lib. 9. Epist. 14. quapropter & illis temporibus aut nulla omnino, aut rara admodum condi solebant testamenta. Dico *nulla omnino* quantum ex bonis Ecclesiæ; hæc enim bona probe norant pientiores illi beneficiarii ad eum fontem reverti oportere, a quo dimanarant, nempe ad Ecclesiam: norant præterea, bona illa, hostias quasdam esse, precibus votisque fidelium Deo consecratas, ac proinde minime in profanos usus insumendas. Notant denique se talium honorum Oeconomos duntaxat esse, & depositarios, consequenter nec se posse de illis arbitrarie disponere, cum non possent plus juris in alios transferre, quam se possidere videbant; at vero videbant morte depositarii jus omne tolli ad sibi commissum depositum. Dixi deinde, *rara admodum condi solebant testamenta*, quia vel nulli, vel pauci admodum retinebant bona Patrimonialia, ex quibus ipsis quidem liberum erat pro libito testari, cap. *sint manifestæ* 12. quæst. 1. atque adeo post mortem illorum, omnia ab ipsis relicta, tam mobilia, quam immobilia, in Ecclesiæ jure reservari consueverant. Ex his dubium, si quod esse possit, an detur potestas in Clericis testandi, oriri posset ex consuetudine (nobis corruptela) introducta trecentis fere abhinc annis, qua Clerici cœperunt testari, saltem aliqui, de reditibus Ecclesiasticis: exinde tamen prout fusius de hac consuetudine disserui (nostro arg. 5. principali) clarum existimo, hoc dubium posse, & debere vinci; tum quia, esto lex de non testando ex bonis Ecclesiasticis esset tantum juris positivi (& non divini, & naturalis) contra eam tamen non debet adstrui jus novum, quia correctio, ut dixi, & odiosa, & non adstruenda, nisi exprimatur: nullibi autem exprimitur: tum quia, esto Ecclesia toleret hanc consuetudinem, minime tamen approbat, sed permittit, ad evitanda, ut iterum c. l. dixi, longe majora incommoda in discernendis bonis, quæ proventibus Ecclesiasticis, vel ex industria, aut hæreditate, vel alio quocunque titulo comparantur: tum quia Ecclesia morientium Clericorum conscientiæ relinquit, prudenter præsumens, eos non velle aliter de suis bonis ordinari, quam ipsamet ordinaret, si ab intestato succederet, secundum consuetudinem Ecclesiæ antiquæ. Tum denique, quia Ecclesia rationabiliter judicare potest, quod Clerici, si quid reliquerint propinquis, vel aliis, id reliquerint vel intuitu paupertatis, vel obsequia præstita compensandi gratia: quod fieri potest secundum Decretum Alexandri III. in capit. *relatum*, de testament. ubi habetur: „ Licet mobilia per Ecclesiam „ acquisita, de jure in alios pro morien„ tis arbitrio, transferri non possint, con„ suetudinis tamen non est improbandæ, „ ut de his pauperibus, & Religiosis locis „ & his, qui viventi servierunt, sive sint „ consanguinei, sive alii, aliqua juxta ser„ vitii meritum, conferantur.

CLVII. Ex his stat, an dubium sit, an vero certum, quod in Clericis non detur potestas ad testandum ex arbitrio voluntatis, quinimmo si dubium esset, dum Ad. argumentantur: in dubio nemo est spoliandus jure suo; & in pari causa melior est conditio possidentis, ego infero: igitur si creditores, h. e. piæ causæ, hodie dum sunt in possessione, in qua fuerunt antiquitus, contra Clericos, multo minus sunt spoliandæ jure suo, & harum est melior conditio in ordine ad continuandam possessionem:

sionem: atqui piæ causæ etiam post divisionem per SS. Patres, Concilia, Pontif. & Canones, sunt in possessione contra libertatem Clericorum. Falsum ergo est, quod Clerici possint allegare titulum possessionis pro testando, unde nec paritas in confirmat. allata facit ad rem (de eo scilicet, qui dubitat de jure agri, & potest assignare titulum continuæ possessionis) prout vel obirer tincto Theologo ad oculum patet. Atque his concludo tandem & hoc arg. Ad. cum dicto, quod censuram, ego ex meipso, contra doctores contrariantes piissimos, & doctissimos (dum hodiedum disputant, seu an certum sit, quod in Clericis non detur potestas ad testandum, seu dubium tantum sit) ferre nec velim, nec valeam: id tamen ægre mihi non ferant, si dicam, quod asseruit Navarrus, scilicet non raro evenire, *alios sequi, sicut oves, vel ut aves, quæ unam volantem alia omnes sequuntur:* Re nempe non sufficienter, & ex intrinsecis suis principiis examinata & ponderata. Idque exinde maxime provenire existimo, quod apud Ad. auctoritas unius Doctoris sententiæ morali securitatem plerumque conciliare possit, unde frequenter sane evenit, quod etiam in sententiis summi momenti, velut in limine subsistant, absque eo, quod ad interiora penetrent, contenti, quod iste, vel ille sic dicant: allegando v. g. ipsius auctoritatem cum transcriptione rationum. Et hoc an sit secundum æquitatem, non dijudicabo hic amplius, cum id alibi pluribus discusserim.

CLVIII. Argumentum 9. Si obligatio erogandi superflua ex reditibus Ecclesiasticis in pauperes: & iterum incapacitas testandi ex iisdem bonis descendit ex jure divino & naturali; tunc illa obligatio, vel incapacitas non potest tolli per ullam dispensationem, ullumque indultum Summi Pontificis: atqui incapacitas testandi de bonis superfluis etiam ad profanas causas fuit sublata per Constitutionem Pauli V. quam edidit 8. Aprilis ann. 1606. cujus initium: *in eminenti*; & iterum per aliam Constitutionem prius editam a Julio III. quæ incipit, *Cupientes, ut alma Urbs nostra*, & denuo per aliam Constitutionem Pii V. sub initio *Romani Pontificis*, ubi decernitur, quod bona, vel supellex, relicta a Clerico decedente (si hujus annui reditus, vel proventus non excedant triginta ducatorum summam) numeranda non veniant inter Clericorum spolia, quæ Ecclesiæ conferre debent. Si ergo hæc conferri non debeot, manifestum est, quod Pontifex agnoverit, de jure divino, vel naturali non esse conferenda; secus enim contrarium declarare non posset cum ipse non sit supra, sed infra utrumque jus, divinum, & naturale scilicet.

CLIX. Respond. ad hoc argum. nobis fixum, firmumque esse, ex jure divino & naturali superflua redituum Ecclesiasticorum deberi pauperibus, vel piis causis, ex eodemque utroque jure resultare incapacitatem testandi ad profana. Quapropter dum c. c. Sanctissimi Pontifices (ex Ad. judicio) videntur contrarium sentire, antequam ad singulas Constitutiones respondeamus, nonnulla præmittenda, vel etiam ex dictis repetenda sunt. Et quidem primo suppono, ut certum, Summum Pontificem debere vel maxime attendere ad res Ecclesiasticas, a quibus profectæ sint, & oblatæ: ex quibus causis, & in quos denique usus ex afferentium sententia, & voluntate, ad Episcoporum pedes, qui succedunt Apostolis delatæ, prout ad hoc optime attendit Aquisgranens. Concilium, dum cap. 116. dixit: „ Res Ecclesiæ, sicut a „ SS. Patribus traditur, & in superioribus „ Capitulis continetur, vota sunt fidelium, „ pretia peccatorum, & Patrimonia pau„ perum: fideles namque fidei ardore, & „ Christi amore succensi, ob animarum „ suarum remedium, & cœlestis patriæ de„ siderium, suis propriis facultatibus san„ ctam locupletecerunt Ecclesiam, ut his „ & milites Christi alerentur, & Eccle„ siæ exornarentur, pauperes recrearen„ tur, & captivi pro temporum oppor„ tunitate redimerentur „. Quod idem sensit Urbanus Papa in Epist. unic. cap. 2. dicens: „ Res Ecclesiæ fidelium oblatio„ nes appellantur, quia Domino offerun„ tur; non ergo debent in alios usus quam „ Ecclesiasticos, & prædictorum Christia„ norum fratrum indigentiam converti; „ quia vota sunt fidelium, & pretia pec„ catorum, atque ad prædictum opus ex„ plendum traditæ; si quis autem, quod „ absit, secus egerit, videat, ne damna„ tionem Ananiæ, & Saphiræ percipiat, „ & reus sacrilegii efficiatur, sicut illi ef„ fecti sunt, qui pretia prædictarum rerum „ fraudati sunt „. Ex his.

CLX. *Secundo* suppono, omnia bona

Ecclesiæ esse bona donata Deo, quæ ideo græce nuncupantur δῶρα, hoc est dona. quæ dantur etiam non indigenti, uti certe sicuti Deus bonorum nostrorum non eget, sic nec donorum. Dum vero Deus hæc dona sua redonat ministris Ecclesiæ, quia jam conferuntur tanquam respective indigentibus, non δῶρα, sed δόματα secundum Scripturam, & Apostolicam Constitutionem vocari solent. Id, quod advertit S. Maximus Dionysii Areopagitæ Scholiastes in quæstionibus, & responsionibus ad Thalassium. Sic Paulus *in Epist. ad Philipp.* cap. 4. usurpat hoc verbum inquiens: *& Thessalonicam semel, & bis mihi in usum misistis; non quia quæro datum*. In græco δόμα; quo verbo, & loquendi modo S. Scriptura subtiliter significat *mercedem* ministrorum suorum, qui si his, quæ necessaria sunt ad honestum victum & vestitum, contenti non vivant, sed plura, & superflua, vel sui, vel suorum consanguineorum, & aliorum gratia congerant. & usurpent, immediate quæri possunt & debent, quo nomine vocanda sint, quæ necessitati quoad victum & vestitum sunt superflua? δῶρα enim, hoc est dona non sunt, utpote quæ etiam dari consueverunt non indigentibus; Deus autem dona sua, per fideles suos sibi oblata non dat ministris Ecclesiæ tanquam non indigentibus, sed potius, quia in cibum & vestitum, dat ut indigentibus. Nec dat ut δόματα, hoc est data ut indigentibus; ut enim supponitur, sunt superflua; superfluis autem nemo *indiget*, sed necessariis; ergo ista nec donat ut *indigentibus*, nec ut *non indigentibus:* restat ergo, quo totum hoc suppositum collimat, quod donet ista, *ut aliena*, adeoque ex justitia distribuenda illis, quibus debentur, hoc est pauperibus, & causis piis.

CLXI. Tertio suppono, quod dum Sacta Scriptura, SS. Patres, & cum Conciliis Pontifices, Clericos *Oeconomos*, & *Dispensatores* vocant, id non metaphorice, vel lato modo, sed omnino secundum exigentiam rei dictum velint; nomina enim ad significandas res imposita sunt, secundum illud commune Magni Basilii effatum: *Ergo cum carnem audio, carnem intelligo; cum schapham, scapham*. Jam vero si Clerici vere, & stricte Oeconomi, & Dispensatores sunt, Domini non sunt. Quapropter & Constitutio Apostolica *lib. 2. c.* 24. præcipit: „ Vos Episcopos oportet, „ non magnas impensas facere: neque do„ nis Dei tanquam propriis uti, ut Oeco„ nomos, sive dispensatores Dei decet „. Deinde subjungit: „ Sumat ergo Episcopus „ alimenti, quantum sufficiat, in indu„ mentum, quantum necessitati, & hone„ stati conveniat „. Item cap. 35. „ dabis, „ *inquit*, Sacerdoti, quæ ei debentur, „ primitias areæ, torcularis, & oblata pro „ peccatis; tibi enim convenit, ut largia„ ris, illi vero tanquam Oeconomo, & „ Ministratori rerum Ecclesiasticarum, ut „ dispenset: cave tamen, ne Episcopum „ ad rationes voces, neque dispensationem „ ejus observes, quomodo, aut quibus, „ aut ubi, utrum bene, an secus: habet „ enim Ratiocinatorem Deum, qui hanc „ illi Oeconomiam, sive dispensationem „ in manus tradidit „. Bene notetur, in rebus profanis Ratiocinatores esse possunt, in rebus Ecclesiasticis Ratiocinatorem Deus agit, secundum illud: *Quis putas, est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram*. Quod idem conformiter ad d. Constit. Apostol. probe agnovit Clemens Roman. lib. 2. cap. 24. dum ait: „ Quæ secundum mandatum „ Dei tribuuntur, decimas dico, & primi„ tias insumat Episcopus, ut homo Dei „ causa, & quæ ratione pauperum sponte „ offeruntur, distribuat decenter in pupil„ los, in viduas, in afflictos & calamito„ sos, in hospites egentes, tanquam qui „ habet Deum harum rerum Ratiocinato„ rem, quarum Oeconomiam, id est pro„ curationem ei commiserit. In paritate „ ergo Episcopi cum justitia omnibus in„ digentibus, & vos utimini bonis Domi„ ni, sed non abutimini: edite ex eis, „ sed ne soli ea devoretis, quin potius „ communicate cum egentibus, & declinate „ offensionem Dei „.

CLXII. Jam his suppositis tria stant, nempe primo, Summ. Pontif. specialiter attendere ad bona Ecclesiastica, a quibus causis, & cui donentur. Secundo esse donata Deo, & a Deo donari Clericis nec tanquam indigentibus, sed ut aliena, adeoque ut aliis distribuenda. Tertio, Summos Pontifices esse eorundem bonorum Oeconomos, & Dispensatores immediatos: reliquos autem Clericos esse Oeconomos, & Dispensatores mediatos, ut alibi dicebam. Jam ex his ut certum deducitur, Summum Pontificem non posse dare facultatem beneficiatiis impendendi bona Ecclesia-

clesiastica in quoscunque usus profanos sive inter vivos, sive mortis causa. Licet enim Papa non adstringatur lege positiva, contra legem divinam tamen nihil ordinare potest; si ergo secundum *Supposit.* 1. bona Ecclesiastica sunt donata Deo, & si secundum *Supposit.* 2. a Deo Clericis donantur ut aliena; & si denique ipsemet Papa *Oeconomus* tantum est, secundum *Supposit.* 3. quo jure facit aliis facultatem bona Ecclesiastica dictis modis impendendi (cum ipsemet caret eadem potestate, utpote soli, & perfecto Domino, non item Oeconomo conveniente) & hoc quidem contra legem divinam? Deinde Ad. ipsimet fatentur. Clericos mortaliter peccare, si notabiliter dilapident bona Ecclesiastica sive inter vivos, sive mortis causa; jam quæro, vel ergo sic dilapidantes peccant adhuc etiam stante dispensatione Pontificia, vel non peccant. Secundum dicere non debent, quia ubi stat eadem ratio, ex qua per Ad. Clerici male insumentes bona, seclusa dispensatione Pontificia, mortaliter peccabant, sed etiam stat, quod mortaliter peccent supposita dispensatione; ratio autem erat, quia Clerici sic dilapidando agebant contra caritatem in materia gravi, vel contra Religionem, &c. & hæc ratio stat, etiam supposita dispensatione; manet ergo verum primum membrum quæstionis factæ, jam sic. Papa non potest dare facultatem ad peccandum: & quia Papa vel maxima debet arcere peccata, non potest esse causa, vel occasio proxima, ut peccata magis multiplicentur; at vero si Papa potest dare potestatem generalem disponendi inter vivos, vel mortis causa, ad quoscunque usus *profanos*, manifestum est, quod det facultatem ad peccandum, & sit causa, vel occasio proxima, ut peccata multiplicentur; hoc ipso enim, quod tali bonorum expensioni annexum sit mortale peccatum, & Clerici potestatem expendendi de se non habeant, cum primum acquirant per dispensationem, hinc est, quod hac ratione Papa daret facultatem ad peccandum. Quod vero exinde peccata multiplicentur, ex eo est, quod plurimi, vigore dispensationis, bona Ecclesiastica profusuri sint sive inter vivos, sive mortis causa; & hoc præsertim stimulante carne, & sanguine.

CLXIII. Nunc Respond. in particulari ad allegatas Constitutiones Extravagantes (quæ non sunt clausæ in Corpore Juris) dico, per præfatas Constitutiones omnino concedi Clericis in Urbe, & illius districtu infra decem milliaria consistentibus, ut de suis bonis, & proventibus ad quoscunque usus, sive donatione inter vivos, sive mortis causa, seu testamento libere disponere valeant; at vero hoc in neutra Constitutione (de verbo ad verbum in Bullar. Cherubini a me perlecta) inveni, nec alius inveniet, quod Pontifices ibidem date voluerint, aut potuerint generalem facultatem disponendi, vel testandi ad quoscunque usus, etiam NB. *profanos*, cum ergo hoc non exprimitur, præsumi non debet, sed contrarium, scilicet, quod non possint beneficiarii per easdem Bullas promiscue disponere, vel testari ad usus *profanos*, licet possint ad usus *pios*. Et hoc esse veritati consentaneum, ostendo, quandocunque Pontifex concedit privilegium, vel facultatem aliquam sub terminis generalibus, & hæc facultas in uno non potest exerceri nisi cum delicto, & violatione juris divini, & naturalis; in alio vero potest exerceri solum contraveniendo juri communi positivo, quod est effectus privilegii, tunc debet privilegium, & facultas præsumi pro posteriori parte, & nonnisi temere præsumitur pro priori; atqui quantum ad allegatas Constitutiones, potest facultas in eis concessa in uno exerceri sine delicto, & violatione juris divini & naturalis, ac solum contraveniendo juri communi positivo de non testando etiam ad causas pias, seclusa dispensatione; non item potest exerceri sine delicto, &c. in altero; ergo præsumi debet pro priori. Maj. clara est: neque enim hic locum habet Regul. Jur. *Odia restringi*, *& favores convenit ampliari*; tunc namque in dubio Constitutio Pontificis posset ampliari per viam favorum, ut liceret promiscue testari ad *profanos* quoque usus, si hæc ipsa ampliatio non induceret delictum, & læsionem utriusque juris prætacti. Min. quoad 2. part. negotium non habet per mox dicta numero præced. & exinde, quia disponere, vel testari ad *profanos* usus repugnat legi naturali, comprehensæ in septimo Decalogi præcepto, contra proin agere non caret delicto, nec violatione legis divinæ, & naturalis. Prob. ergo eadem Min. quoad 1. part. facultas concessa in c. c. Constitutionibus effectum suum sortiri potest in testamentis ad pias causas, & hoc sine delicto, vel læsione juris utriusque citati, ergo pro hac

hac una tantum facultate præsumi debet. Ant. prob. testari in usus pios humanæ tantum legi adversatur: contra humanam legem autem Pontifex dispensare potest pro utroque foro, seu ad hoc, ut contra legem positivam ex dispensatione agens, valide & licite, ac sine peccato, etiam veniali, si injusta ex causa dispensetur, ponat illud, ad quod dispensatio dirigitur. Quod vero *sedes beati Petri Apostoli jus habet resolvendi* cap. cuncta per Mund. 9. quæst. 3. seu in omni lege positiva dispensandi, per se patet, cum sedes beati Petri non sit subjecta, seu infra, sed sit supra legem humanam. Ex quibus omnibus denique consequitur, Constitutiones allegatas modo explicatum effectum habere, & non alium.

CLXIV. Quod si Adversarii acquiescere nolint, prætendentes, d. d. Constitutionibus insertam esse plenam facultatem disponendi *donatione inter vivos, vel mortis causa, seu testamento, Legato, & Fedeicommisso, quam alia quavis dispositione inter vivos, seu ultima voluntate in favorem consanguineorum, & affinium suorum* &c. &c. Quæ omnia videntur non posse componi cum nostra responsione; disponere enim *in favorem* consanguineorum, & disponere *intuitu paupertatis, vel pietatis*, ut nos volumus per *τὸ ad pios causas*, non sunt conjungibilia, dicendum ergo est, Pontifices voluisse dare universalem facultatem disponendi, vel testandi ad quoscunque usus, etiam *profanos*, quod si, inquam, Ad. hoc prætendant, Respond. ulterius, & dico, quod si hæc fuisset mens c. c. Pontif. (quod quidem in æternum mihi non persuadebitur) ut, beneficiariis facerent potestatem disponendi, & testandi ad quoscunque usus, etiam *profanos*, hoc ipso, quod hæc potestas tantum fuisset pro Urbe, ejusque districtu 10. milliarium, etiam temporali dominio Summi Pontificis subjecto, non deberet extendi ad reliquas Orbis partes, unde quoad istas deberent in suo vigore permanere statuta SS. Canonum, novissime Concil. Trid. gravissime, & universim prohibentis, ne res Ecclesiasticæ, quæ Dei sunt, consanguineis donentur, nisi titulo paupertatis. Quinimmo si Pontifices voluissent per suas Constitutiones jus novum inducere contra tam apertum jus antiquum, debuissent illas ad universam Ecclesiam, & totum Clerum dirigere, tum quia non apparet, cur Clerus Romanus deberet esse melioris conditionis, quam reliquus per Orbem status Ecclesiasticus: tum quia sic Pontifices plura per Orbem Clericorum peccata impedivissent, cum sciverint, etiam alibi de bonis Ecclesiastisis fieri dispositiones, & testamenta *profana*: quapropter si ex Constitutiones etiam ad ista loca fuissent directæ, isti quoque Clerici potuissent valide, licite, ac sine peccato (ut somniant Adversarii) dicto modo disponere, vel testari.

CLXV. Sed necdum satis. Demus Adversariis, quod Pontifices per sæpe dictas Constitut. Clero Romano, vel Sedi Apostolicæ propinquo facultatem fecerint disponendi, vel testandi de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, in consanguineos, extraneos, vel alias personas, aut loca quæcunque, demus, inquam, exinde tamen plus non sequitur, quam quod Pontifices voluerint Constitutiones suas vim, & robur habere, quoad forum exterius, non item quoad interius: & ideo voluerunt potius *declarare*, quod in aliquibus particularibus casibus, vel locis, jus divinum & naturale non obliget pro foro exteriori (licet obliget pro foro interiori) quam *dispensare* in utroque jure, quod est supra potestatem Pontificis, cum & ipse subjectus existat utrique juri. Et hoc a nobis non arbitrarie astrui, exinde claret, quod pro tempore emanatarum dictarum Constitutionum ingentia oriri solebant incommoda, cum perturbatione boni, & pacis communis, dum nempe Ministri Camerarii Clericos ægrotantes nimium molestabant inquirendo, annotando, &c. omnia ipsorum bona undequaque demum, ac sub quibuscunque titulis conquisita, & hoc quidem antequam Clerici morerentur, ne ipsis decedentibus consanguinei, hæredes, domestici, vel quicunque alii bona Clericorum decedentium auferrent, absconderent, vel alio prætextu licito vel illicito sibi usurparent, cum præjudicio spoliorum, quæ post mortem Clericorum Cameræ Apostolicæ debebantur. Et hoc ita esse, aperte colligitur ex ipsi bullis, in quarum priori nempe *in emine o ti* §. 5. habetur: *Districtius inhibentes modernis, & pro tempore existentibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, & dictæ Cameræ generalibus, Thesaurario, Commissario, necnon præsidentibus*, &c. *ne* . . . . *molestare, perturbare, inquietare, & se in hæreditatibus, & quovis modo immiscere, aut illa petere, seu sibi, aut Cameræ præfatæ vindicare, seu de illis inventarium* con-

conficere audeant, *seu præsumant*. Visis ergo illis molestiis, & incommoditatibus Pontifices quoad forum externum volebant succurrere nihil tamen immutando (uti nec immutare poterant) quoad forum internum, sed hoc relinquendo cuilibet beneficiario in particulari quoad conscientiam, ut vel sanus adhuc, vel ægrotus, sibi rite præsens de bonis Ecclesiasticis disponeret secundum obligationem ex utroque jure, ac Sanctorum Patrum, & Canonum statutis descendentem. Unde his stantibus, ut dixi, Pontifices potius voluerunt declarare, quod jus naturale & divinum non obligent quoad forum exterius, non vero voluerunt proprie dispensare, quod, ut sæpe dictum, facere non potuissent. Hic autem novi, esse auctores, qui se expediunt per viam brevissimam, dicentes, ejusmodi Constitutiones non esse clausas in Corpore Juris, & ideo non habere usque adeo vim legis, sed potius *cujusdam Commissionis*, pro qua non requiritur, non solet adhiberi tanta discussio, vel tanta deliberatio, quæ ad condendam legem est necessaria: hæc enim debet esse *honesta*, *justa*, *possibilis*, *secundum naturam*, *secundum consuetudinem patriæ*, *loco*, *temporibus conveniens*, *necessaria*, *manifesta quoque* c. Erit autem lex 4. d. Doctoribus autem quoad easdem Summorum Pontificum Constitutiones ita judicantibus nullo modo assentior, utpote sciens, quod illi etiam super hoc puncto, *matura deliberatione* procedant, & non habeant intentionem nisi sanctissimam. Censeo proinde ultimato, spectando juris veritatem, tantam illis inesse, ut in virtute harum Constitutionum, seu privilegiorum valeant, & liceant dispositiones inter vivos, & mortis causa *ad pia*, non valeant vero nec liceant *ad profana*.

CLXVI. Quæres, an beneficiarii, quibus fortuna de abundantissimo Patrimonio, & ad omnes necessitates plane sufficienti providit, adhuc possint congruam sustentationem sumere de bonis Ecclesiasticis? si enim negamus vere *durus est hic sermo*, *& quis potest eum audire?* Joann. 6. Si autem asserimus videtur esse contra nostra principia: quod amplius probatur. Secundum nostra principia, omnia, quæ honestæ sustentationi sunt superflua, erogari debent in pauperes, & pias causas; sed in thesi, quod beneficiarius possideat Patrimonialia ad omnes necessarios usus sufficientia, jam omnia bona reliqua Ecclesiastica dicentur, & erunt *honestæ sustentationi superflua*, ergo eroganda in pauperes, & pias causas. Res clarior fiat in exemplo: Clericus prædives promovetur ad sublimem dignitatem Ecclesiasticam: habet singulis annis ex bonis Patrimonialibus decem millia ducatorum v. gr. qui attentis omnibus plane sufficiunt, & superabundant ad statui competentem sustentationem: habet iterum vi beneficii, seu intuitu Ecclesiæ tot millia ducatorum; quid jam de istis: ergone erunt superflua, & vel ideo indiscriminatim in causas pias eroganda? sed videtur reclamare jus divinum (per quod confirmatur contra nos argumentum *primo*) nam 1. ad Corinth. 9. *Dominus ordinavit iis*, *qui Evangelium annuntiant*, *de Evangelio vivere*. Et hoc quidem justissime: *Quoniam qui in sacrario operantur*, *quæ de sacrario sunt*, *edunt: & qui Altari deserviunt*, *cum Altari participant*. Videtur item reclamare jus naturale, quia *quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam*, *& de fructu ejus non edit? quis pascit gregem*, *& de lacte gregis non manducat?* Et notari oportet, quod in his Sacræ Scripturæ textibus non distinguatur inter militem, vel Pastorem spiritualem, divitem, vel pauperem, seu an Patrimonium habeat, vel non habeat; ergo nec nos distinguere debemus. Confirmatur *secundo*, reclamat constans, & ad hæc usque tempora Ecclesiæ praxis continuata, tum quia Clericis etiam prædivitibus decimas, oblationes, distributiones quotidianas concedit: tum quia semper permisit, & hodiedum permittit, ut Clerici de bonis patrimonialibus plene & libere disponant sive inter vivos, sive mortis causa, seu testamento: supponit ergo, Clericos habuisse jus rigorosum vivendi de bonis Ecclesiasticis, non obstantibus Patrimonialibus. Confirmatur *tertio*, quia videtur reclamare ratio naturalis propter ingentia incommoda ex opposita sententia facile deducibilia; quis enim, cui majus, & ad honeste vivendum sufficiens est Patrimonium, Ecclesiæ operam locabit? si suos labores non fore compensandos præsciat, per hoc, quod possit honeste ex reditibus Ecclesiæ vivere, patrimonio parcere in gratiam quorumcunque. Certe exinde Ecclesia non majus emolumentum, sed potius detrimentum sentiret, cum frequenter contingat, quod etiam pinguioris fortunæ Clerici, subinde melioribus quoque qualitatibus pro præstandis Ecclesiæ obse-

obsequiis sint præditi, isti enim jure reponent: longe sit, ut hoc, vel illud beneficium, præsertim administrationem habens, suscipiamus, cum propter nostros labores non habeamus, quod mercedem expectemus. Vero (& confirmatur quarto) videntur reclamare scholastici hodie, si non omnes, sane plurimi, adeoque faciunt sententiam hodie communem: contra communem vero æque periculosum est ire, ac contra torrentem: ergo &c. Et hæc sunt potissima fundamenta, vi quorum Clerici prædivites parcere possunt Patrimonialibus, & vivere de bonis Ecclesiasticis.

CLXVII. Jam ad hanc quæstionem negative respondent Dec. in cap. *Episcopus* num. *6. de Præbend.* Hadrian. in 4. tit. *de Restitut.* quæst. 32. Palud. *ibid.* dist. 34. q. 3. Major in 4. quæst. 21. in fin. Sylvest. in summ. verb. *Simonia* q. 16. docentes, quod Clerici, quibus ad honestam sustentationem satis est Patrimonii, vesci non possint ex Ecclesiæ reditibus; judicant namque, quod, an aliquid sit licitum vel illicitum, ad Ecclesiæ Canones, Patrumque scripta confugere oporteat, tanquam ad lydium lapidem, ad quem reducendi sunt mores Christianorum, & vel maxime Clericorum. Inquit autem S. Hieronymus ad Damasum Pap. *Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem, bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium judicium sibi manducant & bibunt.* Refert. 1. quæst. 2. c. *Clericos*, & 16. quæst. 1. c. *fin.* verba S. Patris clara admodum videntur: sed contra respondent plures, dicuntque primo apud Prosp. Fagn. c. *si quis sane de peculio Clericor.* textum S. Hieronymi non esse intelligendum de præcepto, sed de consilio. Sed contra hanc responsionem videtur esse, quod quicunque contra merum consilium, seu *exhortationem*, ut ajunt, agit, nunquam reus *sacrilegii* evadat; de ratione consilii enim est, posse illud implere, vel non implere, sine peccati reatu. Jam vero sacrilegium committi non potest sine peccato, ut patet: unde cum per Sanctum Hieronymum Clericus Patrimonium possidens, & bona Ecclesiæ usurpans sacrilegii condemnetur, videtur merum consilium esse non posse, sed omnino præceptum. Præterea durum videtur dici illum judicium sibi manducare, & bibere, qui merum consilium non implet: at vero per S. Hieronymum judicium manducat & bibit, qui habitis sufficientibus bonis Patrimonialibus reditus Ecclesiasticos sibi appropriat.

CLXVIII. Dicunt alii secundo (missis aliis responsionibus, quas nec ipse Fagnanus approbat) verbo Canonis præalleg. sumi debere de eo, qui de Patrimonio avare thesaurizat, & bona Ecclesiæ expendit. Sed contra videtur esse, quod illud, de quo S. Hieronymus nunquam dubitavit, nec quæstionem fieri voluit, de illo, inquam, textus exponi non possit: at vero, quod Clericus avare de Patrimonio thesaurizans, & bona Ecclesiæ expendens, sacrilegium committat, nunquam dubitavit, immo contrarium pluribus locis, etiam a nobis allatis, clare asseruit, ergo hæc responsio efficacia caret, uti & illa (apud Fagnanum *solutio sexta*) ubi dicunt, tantum loqui de illis Clericis, qui cum habeant bona propria, accipiunt bona Ecclesiæ, & *in malos usus* convertunt, de hoc enim nemini vere coram Deo sentienti dubium esse potest, quin talis Clericus mortaliter saltem peccet, ergo dum S. Hieronymus manifeste plus affirmat, videtur ita intelligi non posse.

CLXIX. Dicunt alii tertio, textum loqui de quarta pauperibus debita, seu de iis Clericis, qui non solum sibi deputatam portionem usurpant, sed de iis, qui insuper quartam pauperibus debitam, sibi appropriant. Sed contra videtur esse, quod nec apex pro hac solutione in c. text. sit repetibilis; loquitur enim S. Hieronymus indefinite, ac proinde secundum bonas summulas *æquivalenter* universaliter, non attendendo specialiter *ad quartam pauperibus debitam:* & hoc verum esse ad mentem S. Patris, ex eo colligitur, quod, sive habeant Clerici, sive non habeant bona Patrimonialia, quibus sustententur, nunquam possint sine peccato, restitutionis onere, ac sacrilegii crimine quartam pauperibus debitam sibi appropriare: adeoque dum specialiter opponit Clericos (quibus sufficientia bona Patrimonialia ad honestam vitæ sustentationem suppetunt) illis Clericis, quibus hæc non suppetunt, & quidem indefinite, dicendo hos posse *de Ecclesiæ stipendiis sustentari*, non item illos, asserendum est, quod hæc responsio, quæ torta nimis videtur, hic locum non habeat.

Neque

Neque enim roboratur per illa Canonis verba, *si quod pauperum est, accipiunt*, quod vero Sanctus Pater hic specialiter loqueretur de portione pauperibus debita; nam hic per allegata verba plus non vult, quam quod omnes Ecclesiastici reditus ad jura pauperum spectent, ita quidem, quod nec Clericis ad illos jus competat, nisi intuitu paupertatis, hoc est, si aliunde honeste sustentari nequeant.

CLXX. Dicunt alii quarto, Canonem intelligendum esse, cum extrema necessitas pauperum hoc requirit, in qua quisque pro facultate sua tenetur etiam sua communicare, secundum Sanctum Thomam 2. 2. quæst. 185. artic. 7. Ubi dicit, ad prædictam auctoritatem Sancti Hieronymi, *quod non omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis, in quo pro redemptione Captivorum, & aliis necessitatibus pauperum, etiam vasa cultui divino dicata distrahuntur, ut Ambrosius dicit*, cap. aurum, 12. quæst. 2. *& in tali necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere, dummodo haberet Patrimonialia bona, de quibus vivere posset*. Sed contra videtur esse, quod pro tempore extremæ necessitatis æque Laici jure naturæ obligentur sua communicare pauperibus secundum propriam facultatem, ac obligentur Clerici, ergo ubi par est obligatio, par quoque esset culpa, si obligationi non fieret satis: consequenter quemadmodum Laici negligentes sua communicare in extrema necessitate constitutis, non incurrunt crimen sacrilegii; ita nec Clerici incurrerent; at vero dicit Hieronymus, quod Clerici accipientes, quod pauperum est, hoc est, non succurrentes in extrema necessitate (secundum Ad.) *Sacrilegium committunt*: & insuper, *judicium sibi manducant, & bibunt*. Quod de Clericis saltem quoad primum non est verum, ergo nec responsio allata videtur esse vera. Quoad Sanctum Thomam dicitur, eundem loc. cit. non pertractasse ex professo quæstionem, *an Clerici sufficiente Patrimonio provisi vivere possint de bonis Ecclesiæ: ut Patrimonio parcant*, sed aliam scilicet: *Utrum Episcopi mortaliter peccent, si bona Ecclesiastica, quæ procurant, pauperibus non largiantur*. Et conformiter huic quæstioni, sibi fecit objectionem ex Sancto Hieronymo, ac in hac concluserat: *Ergo multo magis Episcopi mortaliter peccant, si ea, quæ eis superfluunt de bonis Ecclesiasticis, pauperibus non largiantur*. Jam si mature ipsius responsio ponderetur; bene sequitur, *quod non omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis*, &c. Et in hoc peccaret Clericus, & quidem ex duplici capite, contra caritatem nempe, & justitiam, si non largiretur pauperibus bona Ecclesiæ, sive dein Patrimonialia haberet, sive non haberet. Præterea perbene dicitur, quod S. Thomas loc. cit. locutus fuerit de speciali debito, quod Clericis in articulo necessitatis incumbit, unde responsio Sancti Doctoris ad objectionem habet hunc sensum: „Clerici nunquam possunt, si bona Patrimonialia ad congruam sustentationem necessaria, sufficientia possideant, bona Ecclesiæ in sibi necessarias expensas impendere: & in primis quidem, si populum gravis urgeat necessitas.

CLXXI. Dicunt denique alii quinto, hunc Canonem, & huic alios similes, intelligi debere secundum statum primitivæ Ecclesiæ, quando exiles erant reditus, & distribuebantur ex facultatibus Ecclesiæ, prout cuique opus erat: at vero (dicunt) post bonorum divisionem in quatuor partes, & erectionem beneficiorum in titulos, major Clericis accessit potestas quoad bona Ecclesiæ, ita, ut licet antea, ubi suppetebant bona Patrimonialia, ex bonis Ecclesiæ sustentari non potuissent, modo vero facta divisione bonorum, & erectione beneficiorum possint sustentari ex dictis bonis. Sed contra videtur esse totum nostrum argumentum primum principale, num. 53. & seqq. factum, ubi sufficientissime visum est, naturam bonorum Ecclesiasticorum plane per divisionem non fuisse mutatam, adeoque illa bona prout præcisa a suo toto, & in partes divisa, manebant quantum ad rationem dominii ut ante, unde quemadmodum Episcopus ea tantum conditione bona Ecclesiæ in suos usus necessarios convertere poterat ante divisionem bonorum, & erectionem beneficiorum in titulos, ita & hodie tantum bonis Ecclesiæ frui potest, præsupponito, quod Patrimonio careat; nullibi enim ostenditur, hac in parte, Episcopo jus novum esse acquisitum: immo contrarium videtur verius, conformiter ad mentem Concil. Trident. Sess. 25. de Reformat. cap. 1. Quod vero hic dicitur de Episcopo, dicendum quoque est per conformitatem de quocunque beneficiario, cum hodie penes hunc

etiam sit omnium rerum sui beneficii summa, sicut in primitiva Ecclesia erat penes solum Episcopum tota bonorum summa, quæ hodie in partes divisa est.

CLXXII. Prætetea post Sanctum Hieronymum pro parte negativa quæstionis supra factæ, seu quod Clerici, quibus ad honestam sustentationem Patrimonialia sufficiunt, vivere non possint de bonis Ecclesiæ, allegari solet auctoritas Sancti Augustini. Dicit autem Sanctus Pater in Epist. 50. ad Bonifacium Comitem: „ Si privatim possidemus, quod nobis sufficiat, „ non illa nostra sunt, sed pauperum: „ quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus, 12. quæst. 1. Can. *fin.* „ Eadem mens est Sancti Prosperi *de vita contemplativa* Lib. 2. cap. 9. ut infert, 1. quæst. 2. cap. *Pastor* (alii melius volunt Auctorem librorum *de vita contemplat.* esse Julianum Pomerium) sed quidquid sit de hoc, dicitur autem interea loc. citir. quod bona Ecclesiæ iis, *quibus sua sufficiunt*, non debeant erogari, quando nihil aliud sit *habentibus dare*, *quam perdere*. Bona nempe Ecclesiæ, quia sunt vota fidelium, *pretia peccatorum*, *Patrimonia pauperum*, habent se per modum eleemosynæ, quinimmo sunt vera eleemosyna spiritualis: jam quemadmodum quibus sua sufficiunt, nec sunt veri pauperes, nec jus habent ad eleemosynam, immo istis dare, aliud non est, quam perdere: ita Clerici, quibus sua sufficiunt, nec pauperes sunt, nec indigent, adeoque nec jus habent ad bona Ecclesiæ in suos usus convertenda. Dicitur item ibidem, quod beneficiarii, aliunde habentes, unde honeste sustententur, si nihilominus bona Ecclesiæ in suos usus expendant, gravi peccato se contaminent; ait enim: *Nec illi*, *qui sua possidentes*, *dari sibi aliquid inde volunt*, *sine grandi peccato suo*, *unde pauper victurus erat accipiunt*, quod sane non ad viam consilii, ut nonnulli volunt, sed omnino ad viam præcepti pertinere dicendum est: transgressio quippe non inducit peccatum, præsertim *grande*, sed omissionem majoris perfectionis. Nec sufficit dicere, quod Canon illos tantum peccati grandis censura feriat, qui abundantes bonis Patrimonialibus, ex avaritia, & cupiditate magis ampliandi eadem bona Patrimonialia sese introdebant in congregationem Clericorum; contra enim dicitur, quod, ut supra visum num. 168. de hac detestabili avaritia nulli dubium esse possit, quin sit grande peccatum, ergo dum Canon aliquid statuit, vel prius Jure naturæ statutum declarat, de eo intelligi oportet, de quo dubium esse potest. Dubium autem esse potest, an Clerici, quibus sua sufficiunt, & tamen adhuc ultra reditus Ecclesiæ in suas expensas impendunt, *grandi peccato* se devinciant. Præterea verba legis generaliter prolata, generalem quoque obligandi vim obtinent, proferuntur autem d. l. verba legis generaliter per illam: *Nec illi*, *qui sua possidentes*, &c. Non particularizando, an sua possidentes, adhuc reditus Ecclesiæ percipiant titulo avaritiæ, vel alio quocumque. Accedit, quod si Clerici Congregationibus Ecclesiasticis incorporati, dum Patrimonialia possident, & nihilominus de bonis Ecclesiæ vivunt, gravis peccati se reos faciunt, non sit ratio sufficiens, cur non & illi, qui similibus Congregationibus non sunt incorporati, dum abundantes Patrimonialibus, adhuc Ecclesiæ proventibus sustentantur, ob paritatem rationis, gravis peccati rei evadant, verbo, non legitur, bona Ecclesiæ esse, *Patrimonium divitum*, bene vero *pauperum*. Insuper dicitur ibidem, quod Sacerdotes *peccata populi mei comedunt*, Ose. 4. hoc est, *facultates* populi mei comedunt, quas offert pro pretio, & redemptione peccatorum: at bene notari oportet, quod hoc secundum Auctorem Canonis non intelligatur de Sacerdotibus, quibus sua (Patrimonialia) sufficiunt; dicit enim: „ Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt: ita possessores non alimenta, „ quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt „. Stat ergo auctoritas Canonis, concordat subsequens eadem caus. & quæst.

CLXXII. Hactenus ex auctoritate SS. Patrum pro negativa parte quæstionis factæ, primario processum est: nunc posset ex professo adhuc unus alterve in eandem tem allegari. Canone igitur quadragesimo primo ex *Apostolicis* habetur, posse Episcopum, adeoque & reliquos Clericos tantum de proventibus Ecclesiæ sibi sumere, quantum necesse est ad sui sustentationem, supposita tamen conditione, quod aliunde non habeant, dicitur autem: *Ex his autem*, *quibus Episcopus indiget* (si tamen indiget) *ad suas necessitates*, *& peregrinorum*

suorum fratrum usus, *& ipse percipiat*, *ut nihil omnino ei possit deesse*. *Lex enim Domini præcipit*, *uti qui altario deserviunt*, *pascantur de ipso*, cap. *Ex his* &c. *præcipimus*, 12. quæst. 1. Et Canone quadragesimo quinto dicitur: *In ejus* (Episcopi) *sit potestate*, *omnia administrare*, *& iis*, *qui egent*, *per Presbyteros & Diaconos subministrare*, *cum omni timore*, *& omni Religione*: *& etiam*, si tamen indigeat, *in necessarium suum usum accipere*, *& fratrum*, *qui hospitio excipiuntur*, *ita ut ipse nullo modo egeat*, ex quibus clarum est, quod, si *non indigeat* (uti revera non indiget, cui Patrimonialia sufficiunt) non possit ad suas necessitates ex bonis Ecclesiæ percipere, cum, ut ajunt, exceptio firmet regulam. Eodem plane modo loquitur Concilium Antiochenum can. 25. tribuitque Episcopo, & Clerico facultatem participandi de bonis Ecclesiæ *quibus indiget* (*si tamen indiget*) *tam in suis*, *quam in fratrum*, *qui ab eo suscipiuntur*, *necessariis usibus profuturis*. Ex quo, & præcedentibus Canonibus stat, Clericis usus bonorum Ecclesiæ *sub conditione* adscribi, *si nempe indigeant*: cessante ergo conditione, quæ revera cessare videtur, dum aliunde honestæ sustentationi necessaria ex Patrimonialibus habent, cessat & id, cui adjungitur conditio, quod nempe ex bonis Ecclesiæ vivere valeant. Hactenus ex SS. Canonibus. Nunc videndum, quid, & quomodo responderi posset ad confirmationes supra n. 166. factas. Igitur.

CLXXIV. Ad Confirmat. primam respondendum videtur, negando, quod reclamet jus divinum, vel naturale, cum jus divinum clamet, *quod superest*, *date eleemosynam*, Luc. 11. & iterum clamet jus naturale: Quod *jure naturæ æquum est*, *neminem cum alterius detrimento*, *& injuria fieri locupletiorem*, quæ est regula naturæ, & juris 206. ex una parte autem habens Patrimonialia, & vivens de bonis Ecclesiasticis, possidet superflua, ergo de jure divino donanda sunt pauperibus: ex alio capite vero hic talis fit locupletior cum detrimento, & injuria alterius, nempe piarum causarum, & pauperum, quorum Patrimonium, ut dives, sacrilege dicitur invadere. Primum bene observabant, secundum vero declinabant primitivæ Ecclesiæ Ministri, vel alii etiam, qui si Patrimonialibus abundabant, postea in sortem Domini vocati omnia relinquebant, ut Matthæus, & Paulus; aut pauperibus distribuebant, ut Zachæus; aut Ecclesiæ rebus adjungebant, sicut illi, qui *Act.* 4. prædia sua vendentes, ponebant pretia ante pedes Apostolorum. Hodie vero sunt (& utinam non sint) qui nec sua relinquunt, nec pauperibus distribuunt, nec nec Ecclesiæ adjungunt, sed in domibus parentum residentes, intellige præcipue, Patrimonialia possidentes, facultatibus tamen Ecclesiasticis pasci desiderant, & pascuntur; sed utinam & satientur, cum apparuit gloria Domini.

CLXXV. Ad textus in eadem Confirmat. allatos responderi potest, Sanctum Apostolum, qui volebat omnes fieri, sicut seipsum 1. Cor. 7. principaliter locutum fuisse de illis, qui vel sua omnia reliquerunt, ut ipse: vel pauperibus distribuerunt, ut Zachæus: vel Ecclesiæ adjunxerunt, ut alii discipuli Domini, de his Dominus ordinavit, *de Evangelio vivere*, vel de sacrario edere, vel cum Altari participare; quia istis specialiter competit jus percipiendi, & expendendi reditus Ecclesiasticos in usus necessarios. Ceterum verum quidem est, quod Apostolus ibidem non distinguat inter Clericum divitem, vel pauperem, quia neutrum exprimit: at etiam hoc verum, quod Apostolus bene noverit, bona Ecclesiæ ex natura sua non esse Patrimonia divitum, sed pauperum, qui nempe vel revera sunt tales, eo quod vel sua antecedenter dimiserint, vel inter pauperes distribuerint, vel Ecclesiæ adjunxerint: vel si pro tempore, quo recipiunt reditus Ecclesiasticos, adhuc Patrimonialia haberent, tunc saltem uno ex dictis modo dimitterent, ac se respective in paupertatis conditione constituerent, ut de jure *Patrimonium pauperum* reciperent. Et in hac explicatione Apostolus omnino tribuit jus Clericis, seu divitibus, seu pauperibus percipiendi reditus Ecclesiasticos, ita ut si recipiant, deque iis vivant, jam bona Patrimonialia dicantur superflua, & vel ideo uno ex dictis modo eroganda, prout exacte in primitiva Ecclesia fuit observatum. Sed tamen ad tollendam anxietatem concedi potest, Clericos retento Patrimonio posse percipere reditus Ecclesiasticos, hoc modo: *Clericus habens stipendium sufficiens* (verba sunt Alexandri de Hales) *vel reditum*, *unde possit aliter*, *quam decimis sustentari sufficienter*, *secundum statum personæ*, *potest recipere decimas ut Procurator*

in necessitates pauperum, vel utilitates Ecclesiæ expendendas, non autem in proprios usus convertendas, vel in malos usus distrahendas, immo si in usus proprios convertat, committit sacrilegium; si in usus malos impendat, incurrit judicium.

CLXXVI. Dubitatur, quomodo ista cohæreant? dictum fuit paulo ante, quod in primitiva Ecclesia beneficiarii vel sua reliquerint, vel inter pauperes distribuerint, vel Ecclesiæ adjunxerint, cum tamen aperte habeatur cap. *Episcopi* c. *manifesta* c. *sint manifestæ* 12. q. 1. Quod *Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant*. Falsum igitur videtur esse, quod omnia bona Patrimonialia dictis tribus modis reliquerint. Iterum ex alia parte stat, quod bona etiam intuitu Ecclesiæ provenientia receperint: adeoque & hæc pars falsa est. Ad hoc dubium dicitur, utrumque verum esse, hoc tamen addito, ex nullo Canone constare, quod retentis Patrimonialibus adhuc receperint, & in suos usus converterint bona Ecclesiastica; noverant namque, alterutra esse superflua: & vel ideo prius, aut Patrimonialia dictis modis dimittebant, aut deinde Ecclesiastica, retentis Patrimonialibus, de quibus etiam omni jure sive inter vivos, sive mortis causa secundum proprium arbitrium poterant disponere: aut si retentis Patrimonialibus adhuc recipiebant bona Ecclesiastica, recipiebant illa ut procuratores *in necessitates pauperum, vel utilitates Ecclesiæ expendendas*. Quid multis? primitivæ Ecclesiæ beneficiarii, utpote in divino servitio longe ferventiores, & quoad bona Ecclesiæ accuratiores, quam hodie nonnunquam videre est, optime agnoverant, quod *ex natura bonorum Ecclesiasticorum deducitur, Clericum ex Patrimonio divitem, non posse ex reditibus Ecclesiasticis vivere*. Verba sunt Hadriani Papæ VI. in Commentar. in libr. 4. sententiarum.

CLXXVII. Ad 2. Confirmat. num. 166. propositam, seu quod in contrarium pugnet constans Ecclesiæ praxis, responderi potest, id falsum esse, si attendatur ad sæcula præcedentia: & forsan id neque teneretur, si considerentur hæc ultima duo circiter sæcula; quæri enim potest, quot hodie promoveantur ad beneficia Ecclesiastica, qui pauca admodum, vel nulla habent, aut retinent bona Patrimonialia? certe horum sunt plurimi, dum e contra, qui retentis bonis Patrimonialibus adhuc suscipiunt beneficia, cum eorundem reditibus, sunt respective paucissimi: dici ergo non potest, quod hi paucissimi faciant *constantem, & continuatam Ecclesiæ praxim*. Præterea si constans esset, & continuata Ecclesiæ praxis, quod beneficiarii retentis Patrimonialibus vivant de reditibus suis, ad quid ergo Ecclesia tam accurate, & bene requirit pro ordinatione titulum, adeo ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur, c. *Sanctorum* 79. d. *cum* nempe *non deceat eos, qui divino Ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare*, ut loquitur Concilium Trident. Sess. 21. de Reform. cap. 2. certe finis hujus decreti apud sane multos deberet cessare, si Clericis *ex continuata praxi Ecclesiæ* & Patrimonialia, & Ecclesiastica bona, ex quibus sustentarentur, possidere concessum esset. Nam Ecclesia satis assecurata esset, quominus beneficiarii mendicarent, aut *sordidum aliquem quæstum* exercerent, per hoc, quod deficientibus bonis Ecclesiasticis adhuc suppeterent quæ ad honestam sustentationem sufficerent, adeoque dum Ecclesia Clericos ad ordinationem admittit, antiquis Sacris Canonibus innitens prudenter præsumit, Clericos vel sua reliquisse, vel inter pauperes distributuros modis dictis, & ideo titulum tam exacte requirit.

CLXXVIII. Fatendum interim tamen etiam est, quod si Ecclesia *prædivites* quoque Clericos divino ministerio adscribat, quos bona Patrimonialia non compellit dimittere, nec decimas, oblationes, vel distributiones quotidianas denegat, nec prohibet, quo minus de bonis Patrimonialibus ad arbitrium voluntatis disponant sive inter vivos, sive mortis causa, quod scilicet hæc omnia gravibus ex causis prudenter faciat. *Primo* quidem, quia secus semetipsam multorum ministerio privaret, & quidem frequenter talium, qui merito longe aptissimi censentur ad præstanda obsequia spiritualia, eo quod, sicut divites respectu pauperum habuerunt plura media (nempe bona Patrimonialia) quibus se diutius, & commodius, missis scilicet pluribus aliis curis, quibus pauperes distinentur, potuerunt perficere, & idoneos Ecclesiæ Ministros reddere, adeoque & perfecisse, & se qualificasse merito (moraliter loquendo) judicantur. Quod si autem deinde Ecclesia eosdem compelleret ad dimittenda Patrimonialia, isti merito absterre-

ferentur, ne Ecclesiasticæ militiæ nomen darent: cum haberent aliunde, unde honeste, & commodius viverent. *Secundo* Ecclesia hoc ipso, quod, dum Clericos divites ad beneficia admittit, non compellat Patrimonialia dimittere, prudenter præsumit, quod iidem Clerici longe certius sint subventuri pauperum indigentiæ, vel aliis piis usibus, vel ex suis, vel ex beneficialibus bonis, quo minus alterutris indigent. *Tertio*, Ecclesia prudenter supponit, ministros suos, bene nosse suam obligationem ex antiquis Sacr. Canonibus, secundum quos illicitum est, immo & sacrilegum retinere Patrimonialia, & his parcendo de bonis Ecclesiæ vivere, c. *ex his*, c. *Episcopus*, & c. fin. q. 2. & fin. 16. quæst. 1.

CLXXIX. Ad 3. Confirmat. ibid. allatam, seu quod reclamet ratio naturalis propter ingentia incommoda, quæ timenda viderentur ex sententia (ut ajunt, rigida) responderi potest, incommoda timenda fore, si Ecclesia Clericos divites compelleret ad Patrimonialia relinquenda, dum iis beneficiorum Ecclesiasticorum titulum confert, non item secus secundum doctrinam mox præcedenti num. traditam. De cetero si Clerici ex Patrimonio divites, de bonis Ecclesiasticis vivant; argumentum inverti posset, ac asseri, aperta, & longe maxima Ecclesiæ sequi incommoda, inde enim dicendum videtur, diminui cultum divinum: inde Laicos justam querelarum, immo & scandalorum causam nancisci, cum videant Clericos aliunde divites, adhuc reditus Ecclesiasticos in suas expensas convertere, quibus tamen pauperum indigentiæ forent sublevandæ, & Ecclesiæ reparandæ, ut forsan in hos tales Clericos jure optimo intendi posset illud apud Basilium Magnum in cap. 3. Isaiæ Prophetæ: *Rapina pauperis in domibus vestris. Quæ enim collata sunt resocillandis pauperibus, & sublevandæ eorum inopiæ, si in domibus penes vos retinuerimus, utique inopes suis spoliamus bonis. Cur vos injuria afficitis populum meum, & faciem pauperum confunditis?*

CLXXX. Præterea: incommodum sat magnum, deplorandumque est, quod Ecclesia in suis Ministris (nempe de quibus agimus) subinde experiri debeat, illos ipsos, qui aliorum corda ab amore terrenorum avertere, & ad cœlestia convertere deberent, magis terrenis affici, & immisceri, pluris suas commoditates, vel parentum, nepotum, consanguineorum, &c. splendorem facere, quam Ecclesiam. Hi nempe sunt, quos ad vivum depingit Ezech. 34. cap. *Stipendia accipiunt, & non militant, edunt fructum vineæ, & non plantant, lac comedunt, & gregem non pascunt*, inquit S. Thomas in Epistola 1. ad Corinthios cap. 9. l. 1. quia *pascebant semetipsos*, Pascunt tamen semetipsos, dum ex Evangelio non regnum Dei, animarum salutem, & bonum Ecclesiæ, ad imitationem Christi Domini, & Apostolorum, sed temporalia quærunt, quod nefas est fieri: *Neque enim ideo debemus evangelizare*, ut bene monet S. P. Augustinus *de Serm. Dom. in Mont.* lib. 2. cap. 16. *Ut manducemus; sed ideo manducare, ut evangelizemus; nam si propterea Evangelizamus, ut manducemus, vilius habemus Evangelium, quam cibum*. Et rationem infra subdit: *Quia quæcunque res propter aliud aliquid quæritur, sine dubio inferior est, quam id, propter quod quæritur: & ideo illud primum est, propter quod istam rem quæris, non ista res, quam propter aliud quæris. Quapropter si Evangelium & regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, & posterius Evangelium, id est, regnum Dei . . . hoc est ergo primum quærere cibum, & deinde regnum Dei id est, hoc priore loco ponere, illud posteriore. Si autem ideo quæramus cibum, ut habeamus regnum Dei, facimus, quod dictum est: Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia apponentur vobis*. Ex qua aurea doctrina Clerici ex Patrimonio divites perspicere possunt, an evangelizent, h. e. an beneficii sui munia obeant, ut manducent, h. e. ut reditus Ecclesiasticos in suos usus convertant: an vero manducent, ut evangelizent; si secundum, bene faciunt, sed noverint, se jam habere, unde manducent, nempe ex Patrimonio. Si primum approbare durum est, quod non approbat, immo potius & juste deplorat Ecclesia.

CLXXXI. Ad 4. Confirmat. seu quod hodie reclament Scholastici pene omnes, paucis responderi potest ex Dionysio Carthusiano *de vit. Canonicor.* cap. 24. ubi ait: *Securius, ac salubrius creditur, aut paretur dictis Sanctorum, per quos locutus est Spiritus Dei, quam Scholasticorum quorundam, qui suo magis, quam expedit, credunt, & nituntur ingenio, auctoritatemque Sanctorum ad [illegible] retorquentes opinionem*. Atque hæc [illegible] fundamenta, quæ utrin-

utrinque pro parte affirmativa, vel negativa quæstionis supra num. 166. factæ, afferri possunt, ex quibus, qui in partem negativam inclinaverint, ac in praxi tenuerint, nedum tuto, sed admodum perfecte operabitur. Interim tamen post longam plane, & meo exiguo judicio maturam deliberationem ad propositam c. l. quæstionem.

CLXXXII. Respondeo 1. & dico, Clerici, quibus sufficiens ad suam sustentationem Patrimonium suppetit, possunt nihilominus tuta conscientia uti Ecclesiasticorum beneficiorum oblationibus, aliisve stipendiis ad necessarium victum, honestumque vestitum. Moveor ad hanc responsionem primo, quia ex una parte textus S. Scripturæ ita clarus videtur, ut rationabilem explicationem, vel interpretationem non admittat: ex alia vero parte Canones in contrarium allegari soliti, licet prima fronte convincentes videantur, commodam tamen expositionem patiuntur: qui de cetero præcipuum negative opinandi præbent fundamentum: quin & pro parte affirmativa suppetunt Canones, unde ne Canones Canonibus opponantur, oportet omnino adhibere explicationem. Jam quantum ad S. Scripturæ textum, licet c. l. jam retulerim, lubet tamen hic peramplius recensere, dicit ergo Apostolus 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? nunquid secundum hominem hæc dico? an & lex hoc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi* (Deut. 5.) *non alligabit os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos ubique hoc dicit? nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos . . . nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: & qui Altari deserviunt, cum Altari participant? ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Probavit itaque Apostolus c. l. seipsum, ac Barnabam exigere potuisse a Corinthiis necessaria ad victum, honestumque vestitum, quamvis ex manuum suarum labore, qui Patrimonii loco ipsis erat, haberent, unde viverent.

CLXXXIII. Moveor ad eandem responsionem secundo, quia constans, & perpetua Ecclesiæ praxis, & disciplina cum errore, salutisque periculo conjuncta esse non potest; atqui constans, & perpetua Ecclesiæ praxis permittit, Clericos, Patrimonium habentes, Ecclesiasticos reditus nihilominus juste percipere ad congruam, honestamque sustentationem: ita tamen, ut quod ex illis residuum esset, Ecclesiæ post eorum mortem servaretur, ergo, &c. Maj. patet. Min. prob. Ecclesia in primis nullo Canone compellit Clericos, Patrimonium possidentes, ad idem deferendum, vel inter pauperes distribuendum; quia quod fecit Paulus, Matthæus, &c. de quibus num. 174. hoc perfectionis erat, non absolutæ necessitatis, secundum illud, *si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus.* Matth. 19. Neque etiam Ecclesia ullo Canone Clericos Patrimonium possidentes, compellit, ut portionem bonorum Ecclesiasticorum, quæ congruæ sustentationi sunt destinata, in pauperes erogent, ergo dum Ecclesia constanter permittit, quod prædicti Clerici adhuc possint reditus beneficiales, decimas, distributiones, oblationes &c. participare, dicendum est, quod id de jure, & salva conscientia possint, secus enim Ecclesia errorem, & salutis periculum, quod facile posset removere, constanter foveret, quod tenendum non est.

CLXXXIV. Moveor tertio, quod clari extant Canones, qui bona propria defuncti Episcopi aut cujusvis alterius Clerici præcipiant diligenter separari a reditibus Ecclesiasticis, ita ut bona propria defuncti hæredibus ejusdem asserventur: reditus vero beneficiales ad Ecclesiam redeant: manifestum ergo est ex una parte, quod Episcopus, vel Clericus quivis alius potuerit habere *bona propria*, nempe Patrimonialia, quæ proprio, & rigoroso dominio subsistant, cum de illis inimpedibiliter possint disponere sive inter vivos, sive mortis causa secundum arbitrium voluntatis: manifestum iterum est ex alia parte, quod ex bonis Ecclesiæ, quantum ad honestam sustentationem vivere possint, secundum dicta ex Apostolo cit. num. 182. Porro Canon. Apostol. 49. ita habet: *Sint manifestæ res propriæ Episcopi, si tamen habet proprias: & manifesta Dominica, ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus sicut voluerit, & quibus voluerit derelinquere;*

quere; *ne sub occasione Ecclesiasticorum rerum intercidant res Episcopi . Justum enim est apud Deum pariter , & homines simul, ne Ecclesia per ignorationem rerum Episcopi damni aliquid sustineat : simul ne Episcopus, aut cognati ejus prætextu Ecclesiæ obladantur* . Refert. Can. *sint manifesta* , 12. quæst. 1. Jam igitur , si Clerici Patrimonium habentes , non possent , quantum ad honestam sustentationem , de bonis Ecclesiæ vivere , tunc Canon præcitatus esset inutilis , & sine effectu , quia si ita vivere non possent , tunc aut Patrimonialia debuissent jam antecedenter demisisse, & sic quomodo possent de iis sive inter vivos , sive mortis causa libere disponere ? aut si retentis Patrimonialibus de iisdem viverent , tunc antecedenter debuissent reditus beneficiales inter pauperes , vel alias pias causas erogasse , & sic quomodo *quidquid de provisione sua Ecclesia fuerit* , *sive de agris*, *sive de fructibus* , *sive de oblationibus* , *omnia in jure Ecclesiæ* (ut decernit Concilium Agathens. Can. 48.) servarentur ?

CLXXXV. Moveor quarto , quia reditus beneficiales *stipendia* vel merces Clericorum ministerio , & laboribus debita a SS. Canonibus nuncupantur : inquit enim Innocentius III. cap. *Cum secundum* , Ext. *de prabendis* , ibid. *Cum secundum Apostolum* , *qui Altari servit* , *vivere debeat de Altari* ; *& qui ad onus eligitur* , *repelli non debeat a mercede* , *patet a simili* , *ut Clerici vivere debeant de Patrimonio Jesu Christi &c.* Infero, atqui jure vivendi de stipendiis , & mercede laboribus per se debita privari non debent Clerici , quibus aliunde sufficiens est Patrimonium , si Ecclesiæ fideliter , vigilanterque deserviunt , si enim salvo omni jure filii hujus sæculi , quibus abundantissimum , ac ad splendidissime vivendum sufficiens est Patrimonium, adhuc ministeriis , & laboribus suis debita stipendia , & mercedem recipiunt , certe de pia Matre Ecclesia præsumi non debet , quod filios lucis deterioris velit esse conditionis , quam filios hujus sæculi .

CLXXXVI. Moveor quinto : quod auctoritas S. Hieronymi cap. *Clericos* 1. q. 2. (quod retuli supra n. 167. & cui præcipue opinio contraria innititur) omissis aliis responsionibus cit. num. seqq. datis , de iis Clericis intelligi debeat , qui cum Patrimonium sufficiens habeant , Ecclesiasticis reditibus abutuntur , eosque in malos usus convertunt , ut patet ex ipsis verbis ibidem *per abusionem talium*, &c. Periculum namque non leve est , ne , qui Patrimonialia habent , iis plus æquo afficiantur , & intendant , atque se occasione augendi Patrimonii a divinis subtrahant obsequiis , jam vero ut a divinis absentes , si *bonis parentum sustentari possunt* (ibid.) omni jure æquum est, ut sic sustententur : adeoque si ut absentes , nec Ecclesiam deservientes , *si quod pauperum est* , *accipiunt* , *sacrilegium profecto committunt* , *& per abusionem talium judicium sibi manducant* , & *bibunt* ; quia secundum abunde dicta hac quæst. nullo jure fructus bonorum Ecclesiasticorum faciunt suos , h. e. neque quoad honestam sustentationem.

CLXXXVII. Moveor 6. quod nec Auctoritas S. P. Augustini Can. *fin.* 12. q. 1. nec S. Prosperi , seu potius Juliani Pomerii Can. *Pastor.* 1. q. 2. & retuli utramque num. 172. nam uterque Canon intelligi debet non de iis Clericis , qui Patrimonium possidentes , adhuc reditus beneficiales pro honesta sustentatione impendebant , sed de iis , quibus (secundum jam datam cit. num. 172. circa medium responsionem) cupiditas ingressum in Collegia , seu Congregationes , ac Societates Ecclesiasticas suadebat , non ex primario fine , ut Ecclesiæ fideliter , & vigilanter deservirent , sed ut a suscipiendis apud se pauperibus , & peregrinis immunes , Patrimonium augerent , & ex substantia pauperum interim viverent . Et quod hæc nostra utriusque Canonis expositio non sit arbitraria , patet primo ex interpretatione Innocentii IV. ad prædictas auctoritates Cap. *Episcopus* Ext. *de prabendis* ibid. *intendit Auctor Canonis prohibere* , *ne quis de Patrimonio avare thesaurizet* , *& bona Ecclesiæ expendat* ; *alias autem licet bona sua conservare hæredibus* , *& bona Ecclesiæ expendere* . Patet 2. Canon. *Pastor* 1. quæst. 2. explicari per immediate subsequentem Can. ibid. *Non est meum dicere* , *quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiunt* , *qui Ecclesiam* , *quam juvare de propriis facultatibus debuerant* , *suis expensis insuper gravant* , *propter hoc fortassis in Congregatione viventes* , *ne aliquos pauperes pascant* , *ne advenientes excipiant* , *aut ne suum censum expensis quotidianis imminuant* .

CLXXXVIII. Ex his jam fit manifestum , 1. quod principia nostra , secundum quæ disputabamus , *omnia* , *quæ honestæ*

su

sustentationi sunt superflua, eroganda esse in pauperes: sed in thesi, quod beneficiarius possideat Patrimonialia ad omnes necessarios usus sufficientia, jam omnia bona reliqua Ecclesiastica dicentur, & erunt honestæ sustentationi superflua: *ergo eroganda in pauperes, & pias causas:* Quod inquam principia nostra hic non teneant, omnia scilicet bona Ecclesiastica esse superflua concurrentibus bonis Patrimonialibus, cum ut ostensum est ex jure divino, naturali, & positivo, quantum ad necessariam sustentationem, ex bonis Ecclesiæ Clericis fideliter ministrantibus vivere sit concessum, unde quod ultra necessariam sustentationem remanet, dicimus esse superfluum, ac ex dicto triplici jure in pauperes, vel alias pias causas erogandum: & in hoc sensu procedunt nostra fundamenta superius fuse tradita. Fit 2. manifestum, quod confirmationes num. 166. pro nostra sententia positæ, non sufficienter enerventur per dicta num. 174. & seqq. ut facile nostras responsiones hic consideranti patebit: stat ergo, quod Clerici, qui ad sustentationem suam sufficiens Patrimonium possident, Ecclesiasticorum tamen beneficiorum reditibus, quantum ad victum, ac vestitum honestum, de jure uti possint. Sed tamen ad eandem quæstionem.

CLXXXIX. Respondeo 2. & dico; Clerici, qui sufficiens Patrimonium possident, urgente pauperum necessitate, reditus omnes Ecclesiasticos, sive fructus beneficiorum, decimas, distributiones, oblationes, aliasque obventiones sacras, pauperibus erogare tenentur, & ex Patrimonio suo vivere: secus grave peccatum incurrent. Fundamentum hujus est, quia urgente pauperum necessitate divino præcepto divites Laici obligantur ad superflua pauperibus eroganda, secundum illud Luc. 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Unde & Augustinus enarratione in Ps. 47. inquit: *Superflua divitum necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur*, h. e. urgente necessitate pauperum. Infero: ergo a fortiori Clerici obligantur superflua sive beneficii, sive Patrimonii, sive utriusque, pauperibus erogare, & hoc intelligo, non tantum extrema sed & gravi (& forte etiam prout vult Nat. Alex. Theol. dog. tom. 1. l. 2. cap. 5. reg. 15. Communi) urgente necessitate. Clerici namque præ Laicis audiunt *Patres pauperum*, & etiam possidere Patrimonia pauperum suæ fidei & dispensationi commissa: quam igitur indignum foret, si urgente pauperum necessitate Clerici nihilominus de bonis Ecclesiæ congruam sustentationem sibi sumere vellent, parcendo Patrimonialibus, atque his interea serviendo vanitatibus, sive in conviviis ad modum, vel ultra modum sæcularium: timerem sane, ne pauperes *apud S. Bernardum Epist.* 40. contra tales Clericos exclamarent: „ Nobis frigore, & fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plasmatio, & nos Christi sanguine redempti sumus. Nos ergo fratres vestri. Videte, quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra credit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis „. Ceterum quod dixi, Clericos obligari ad superflua sive beneficii, sive Patrimonii, sive utriusque, pauperibus eroganda, urgente necessitate, & quidem sub reatu peccati mortalis, est aperta mens S. Thomæ supra n. 170. cit. quo te remitto, & præsertim ad dicta eodem num. circa finem.

CXC. Quibus tandem concludo quæstionem hanc ponderosissimam, arbitrans, quod promissa mea fideliter adimpleverim; dixi enim me eo fusiori calamo hic esse processurum, & quidem per omnes indubitatæ veritatis fontes, quo citius non pauci hodiernæ ætatis Doctores in re tanti momenti se expediunt, & falsa principia tamquam vera tradunt litterarum alumnis, qui iis innixi successive acceptant beneficia Ecclesiastica, & faciunt, quæ non licent. Atque hinc illæ lacrymæ ex parte Sanctæ Matris Ecclesiæ ut hodie satis frequenter illud ingeminare debeat; „ filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. *Isaia* 1. idest, beneficiariis dedi bona ad honestam vitæ sustentationem abundantia: & eos exaltavi supra reliquos de sæculo homines; ipsi autem spreverunt *me, seu* dereliquerunt principia ex constitutionibus summorum Pontificum, doctrinis Sanctorum Patrum, & definitionibus Conciliorum, Sacrorumque Canonum

„ num certissima, & adhæserunt novis „ opinionibus, quos non Spiritus veritatis, „ sed cupiditas, nimia libertas, aut inge„ niorum ostentatio invenit, ac induxit, „ sub evidenti injuria quam patiuntur res „ Dei, patrimonium Christi, vota fide„ lium, & bona pauperum, ac insuper sub „ multiplicibus scandalis, quæ sumunt ho„ mines de sæculo „ sic nempe Sancta Mater Ecclesia lamentatur super adversantium opinione, quæ ingressum a paucis respective annis invenit; sicut igitur eadem lamentatio est justissima, sic pro complemento hujus gravissimæ Quæstionis unum verbum sed grave superaddere debeo: ecce: illud objectum, pro quo stant summi Pontifices, Sancti Patres, Concilia, & Canones cum universali persuasione Sanctæ Matris Ecclesiæ, est de fide credendum; sic nempe de Baptismo parvulorum nos omnes, & recte credimus, quamvis in sacris Evangeliis clarus textus non extet; igitur a contrario illud Objectum, vel opinio, pro qua nullus ex Jesu Christi Vicariis, nemo ex Sanctis Patribus, nullum Concilium, nullus Canon verbum habet, ubi insuper agitur in materia facti, ex quo per ejusdem opinionis viam præjudicia enascuntur plurima, & gravissima, illud, inquam, objectum, vel opinio ex Cathedra Divi Petri condemnari digna esse videtur; jam autem hic allegavi Summos Pontifices, Sanctos Patres, Canones, & Concilia: ubi Doctores utpote stantes pro Dominio Clericorum Sæcularium, nec unum ex his veritatis fontibus *cum rei fundamento* possunt adducere. Conclusionem proinde ex illo antecedente ipsimet inferre noverint: ætatem enim habent, quamvis quoad hanc opinionem novissimam sint omnino *de Junioribus*. Ceterum Guido a Baiiso Archidiaconus Bononiensis Conclusionem (prout supra num. 36.) jam fecit, inquiens, illam opinionem esse *hæreticam*.

QUÆSTIO V.

Quid sentire oporteat de Pluralitate Beneficiorum?

Superfluum esset de beneficiorum pluralitate disputare, si, quicunque militiæ Ecclesiasticæ nomen dederunt, fastum, superfluitatem, pompam mundanam, *&c.* in vestimentis, utensilibus, habitaculis, *&c.* vitarent, simplicique vestitu, & victu contenti viverent, futurum enim esset, ut tunc [illegible] abunde sufficeret. Verum, quia hodie non raro videre est, quod in sacris quoque Ordinibus constituti *instar militarium, ac divitum sæculi hujus abundare volunt in omnibus, & multa lauta, ac pretiosa genera alimentorum, multa mutatoria vestimentorum, supellectilem abundantem, provisionem quoque contra incerta pericula volunt habere, non mirum, quod plura satagunt beneficia procurare*. Hæc Dionysius Carthusianus *de Reformat. Canonic. Art.* 22. periculosum proinde erit de hac pluralitate beneficiorum differere, sed ego dico: periculosius est hanc pluralitatem passim sibi procurare, ac possidere; quod, Deo favente dabo per 5. §. iterum ad mentem Sanctorum Patrum, Conciliorum & Canonum. Sit igitur

An beneficiorum pluralitas inducat aliquas deformitates?

I. Canone *singula* 89. d. Sanctus Gregorius inquit: „ Singula Ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis „ singulatim committi jubemus. Sicut e„ nim in uno corpore multa membra ha„ bemus, omnia autem membra non eun„ dem actum habent, ita in Ecclesiæ cor„ pore, secundum veridicam Pauli senten„ tiam, in uno, eodemque spiritu alii con„ ferendum est hoc officium, alii com„ mittendum est illud; neque uni quan„ tumlibet exercitatæ personæ uno tempore „ duarum rerum officia committenda sunt, „ quia si totum corpus est oculus, ubi au„ ditus? Sicut enim varietas membrorum „ per diversa officia & robur corporis ser„ vat, & pulchritudinem repræsentat: ita „ varietas per diversa nihilominus officia „ distributa & fortitudinem, & venusta„ tem sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Et „ sicut indecorum est, ut in corpore hu„ mano alterum membrum alterius funga„ tur officio: ita nimirum noxium, simul„ que turpissimum, si singula rerum mini„ steria personis totidem non fuerint distri„ buta „. Jam ex aurea hac SS. Pontificis sententia ipsæ deformitates in plurium beneficiorum possessione continentur, quas tamen S. Thomas adhuc magis exprimit.

II. Cum inquit quodlib. 9. q. 7. art. 15. „ Quæ-

„ Quædam sunt actiones, quæ de se indifferentes sunt ad bonum, vel malum; inter quarum numerum quidam computant habere plures [illegible] licitum est habere plures præbendas, sicut habere plura poma. „ Sed hoc non videtur esse verum, cum hoc, quod est habere plures præbendas, plurimas in se ordinationes contineat; utpote quia non est possibile, aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est præbendatus, cum præbendæ videantur esse ordinatæ quasi quædam stipendia Deo ibidem ministrantium. Sequitur etiam diminutio cultus divini, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest; & multa alia hujusmodi; quæ de facili patent; unde non potest contineri inter indifferentes actiones, & multo minus inter eas, quæ sunt secundum se bonæ; ut dare eleemosynam, & hujusmodi „. Ex his ad §. titulum

III. Respondeo, & dico: plurium beneficiorum possessio plures in se deformitates secundum se continet; *Prima* deformitas est, quod Deus privetur cultu sibi debito: *Secunda* est quod privetur Ecclesia jure suo: *Tertia* est, quod fiat injuria aliis dignis, immo dignioribus, qui nullum omnino beneficium habent: *Quarta* est, quod pugnat contra dictamen, seu rationem naturalem, quæ docet, unum membrum corporis unum in corpore officium debere habere. *Quinta* est, quod ut sic aperiatur via ad ambitionem, & cupiditatem. *Sexta* est, quod ex hac pluralitate tepescant, vel omnino pereant litterarum studia: *Septima* est, quod in his, quæ concernunt bonos mores, ubi principium, & radix est iniqua, & principatum, ac radicatum iniquum esse oporteat, radix autem, & principium pluralitatis beneficiorum non est amor Patris, non gratia, imo nec natura: sed vitium, ut ostendam.

IV. Jam quantum ad primam deformitatem, h. e. diminutionem cultus divini, res clara est; compertum namque habetur, quod cultus divinus, ad imitationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui *cœpit facere, & docere*, Actor. 1. maxime promoveatur facto, & dicto Ministrorum Dei: dicto quidem, per divini verbi prædicationem: facto vero per executionem in se- [illegible], quod aliis Dei Minister faciendum prædicat, adeoque per exempla virtutum secundum illud; *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est*. Matth. 5. Jam ergo, quemadmodum ubi unus est *fidelis & prudens*, seu zelosus Dei Minister, cultus divinus rite promovetur, ita ubi plures sunt veri Dei Ministri, magis, & melius idem cultus promovetur: atqui stante pluralitate beneficiorum, non tantum non plures sunt veri Dei Ministri, sed respective nec unus; quomodo ergo promovebitur cultus divinus? Min. prob. aut enim singulis beneficiis, quæ possidet, rite præest, aut uni tantum, ergo respectu alterius, vel aliorum se habet, eodem modo, ac si omnino Minister Dei non esset, quomodo ergo cultus divinus per ipsum promovebitur: si vero singulis præest, non potest præesse, nisi divisim, seu divisus in semetipso, & si ita: iterum non potest esse rite aptus ad promovendum cultum divinum, quia *pluribus intentus minor est ad singula*.

V. Secunda deformitas est, quod Ecclesia privetur jure suo; habet namque Ecclesia rigorosum jus, ut dum plura extant beneficia, a pluribus quoque Ministris administrentur, dum autem unus beneficiorum pluralitatem sibi usurpat, Ecclesia Ministris sibi debitis carere debet, cum perversione Ordinis Ecclesiastici. Quapropter SS. Synodus Tridentina huic malo mederi cupiens salubriter decrevit, Sess. 24. *de Reformat.* cap. 17. inquiens. „ Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum: Sancte SS. Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi, improbæ cupiditatis affectu, seipsos, non Deum decipientes, ea quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt, Sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti Decreto, quod in quibuscunque personis quocunque titulo, etiam si Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit, ut imposterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam ejus,

„ cui

„ cui confertur, honeste sustentandum non „ sufficiat , liceat nihilominus aliud simplex sufficiens , dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem „ conferri . Hæcque non modo ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia tam sæcularia , quam regularia quæcunque , etiam commendata „ pertineant , cujuscunque tituli , ac qualitatis existant „ . Pariformiter loquitur cit. Concilium Sess. 7. *de Reformat.* cap.2. 4. 5.

VI. Tertia deformitas est , propter injurias , quas patiuntur alii digni , vel digniores , qui nullum beneficium obtinere valent ; si enim justitiam distributivam in Republica sæculari, vel militari nemo non violatam existimaret , si uni plura officia , vel administrationes committerentur , dum interea & alii æque digni , vel digniores adessent, qui possent , & vellent cum longe majori emolumento Reipublicæ , vel Militiæ officia divisa administrare : si , inquam, hic justitia distributiva lædi judicaretur, & merito , an ergo non potiori jure justitia distributiva lædi credatur , dum uni plura, alteri æque, vel magis digno nullum committitur beneficium : arguunt Prælati Ecclesiastici, & increpant sæculares Principes, Magnates, *&c.* dum ab illis circa prædicta justitiam distributivam non observari animadvertunt : necessum ergo est , ut debitum justitiæ distributivæ agnoscant quantum ad beneficia Ecclesiastica. Quarta deformitas patet : quinta mox patebit ex septima : sexta vero patet ex q. 3.

VII. Septima deformitas est , quod pluralitas beneficiorum de se non fundetur in amore Patris , non in gratia , immo nec in ipsa natura ; sed in vitio . Dico *nec in ipsa natura* ; hæc enim , teste Seneca , paucis contenta est, & exigua optat. Multo minus autem gratia hæc radix iniqua esse potest , hæc enim longe paucioribus contenta est, quam natura ; cum enim Evangelica veritas consulat paupertatem, secundum illud . *Si vis perfectus esse , vade , vende , quæ habes , & da pauperibus , & habebis thesaurum in cœlo*. Matth.19.Hinc non est verisimile , quod gratia consulat contrarium , nimirum temporalium multiplicationem , quæ in pluralitate beneficiorum aut invenitur , aut quæritur . Deinde gratia , & caritas non longe distant , esto habitu distinguantur , caritas autem cum sit ignis non tendit deorsum , sed sursum , ad centrum , Deum nempe super omnia , quomodo ergo ad terrena se dimittet , in quibus tanta inquietitudo est ? ubi autem inquietitudo , caritas Patris evacuatur ; nam *otium Sanctum quærit caritas veritatis*, teste Aug. præterea caritas Dei nonne diligit legem divinam *super millia auri , & argenti* , & *super aurum , & topazion?* Ps. 118. quomodo ergo consulet multitudinem actionum , impedientem a lege Dei scrutanda , & diligenda ? Et tandem , quod gratia non possit esse radix pluralitatis beneficiorum , vel ex eo liquet , quod non raro pluraliter beneficiati , ubi agitur de transitu ad æternitatem , multitudinem beneficiorum deserere incipiant , contenti uno, quo honeste sustententur , quod frequentius adhuc evenire solet infirmantibus pluraliter beneficiariis ; quid ergo remorsus ipsos tenent Domino pulsante ? certe enim , si gratia & amore Dei multitudinem beneficiorum possederunt ut sani , etiam ut moribundi optare possunt , ut taliter a Domino inveniantur , & *mercedem plenam* accipiant , 2. Jo: 1. gratia namque tempore ægritudinis major est , ac devotior , unde in spe retributionis magis confirmabit.

VIII. Restat ergo , quod radix pluralitatis beneficiorum sit vitium . Hoc autem vitium contingere potest ex sequentibus ferme capitibus, vel quia *primo* beneficiorum polygamia laborantes sibi persuadent, quod juste pluralitatem beneficiorum usurpent , eo quod reditus bene expendant ; vel quia *secundo* Vicarios adhibent ; vel quia *tertio* alios potentia , scientia , vel nobilitate præcedunt : sed quam isti sint tituli ad removendum vitium , dabimus per ordinem. Et quidem quantum ad illos , qui dicunt, se bene expendere reditus beneficiales, pugnat , cum beneficium detur propter officium , unde & quæ consequuntur ad beneficium , sequuntur in virtute officii præstiti: jam ubi plura sunt beneficia , oportet quod plura sint & officia ; unus autem , idemque quomodo pluribus sufficiet officiis? Atque adeo quemadmodum Advocatus respectu litigantis , Medicus respectu ægri , si neuter curam habeat , suumque officium expleat, sine læsione justitiæ commutativæ, adeoque sine vitio nihil accipere potest, esto uterque se bene expensurum adpromittat , ita nec pluraliter beneficiatus sine læsione justitiæ commutativæ , adeoque sine vitio ali-

aliquid accipere potest, nisi officia annexa adimpleat (quod tamen ut dixi, ordinarie non implebit) esto interea se bene expensutum prætendat, vel promittat.

IX. Contra secundum malum titulum, seu quantum ad Vicarium ponendum, quæro, num pluraliter beneficiati Vicarios *Mercenarios* constituant, an *Pastores?* Si Pastores; tales nimirum, qui officium suum Pastorale verbo, & facto adæquate impleant, quis ergo tunc jus uni attribuit, possidendi plura beneficia? Hæcne justitia distributiva, ut unus beneficiis abundet alter æque bonus Pastor nullum plane habeat? *Dicebat* olim *Joannes Herodi*; *non licet tibi habere uxorem Fratris tui*. Marc. 6. Hodie uni, & alteri (utinam, non multis) dici posset, non licet tibi habere Sponsam fratris tui, æque boni Pastoris, hoc nempe, vel illud beneficium, hanc vel illam Ecclesiam. Dico *æque boni Pastoris*; certe enim mihi tunc persuadere nequeo, a quo collatum sibi jus plura beneficia possidendi præsumat beneficiatus, vere non a Domino; dicit enim: *Qui habet duas tunicas, det non habenti*; Luc.3. Sed neque id habetur ex jure naturali, quin immo jus naturaliter efficaciter reclamat; nam secundum Reg. Jur. 55. *Qui sentit onus, sentire debet & commodum; ita & contra*, qui sentit commodum sentire debet & onus: atqui pluraliter beneficiatus non sentit onus respectu beneficii, cui præest per Vicarium, quo jure ergo sentire vult commodum? an ergo hodie non amplius tenet quod *qui non manducet*? seu ut loquitur Apostolus 2. Thessal. 3. *Si quis non vult operari non manducet*. Nonne hodie idem Dominus, qui 2. *ad Cor. 9.* ordinavit, ut qui spiritualia seminant, metant & carnalia? hic autem alius seminat, nempe Vicarius, alius metit, nempe beneficiatus. En, quomodo hæc talia conformia sint juri divino, & naturali. Taceo absurda, ex pluralitate beneficiorum facile deducibilia: si enim beneficiatus plura beneficia possidet, quia Pastorem æque bonum, vel se meliorem habet, qui ergo prohibet, ne Laicus, vel omnino etiam mulier plura beneficia habeat: nam & ille, & ista ubique ponere possent Vicarium tanquam Pastorem, non tantum æque bonum, sed omnino se meliorem.

X. Hactenus quantum ad hoc, quod si beneficiatus pluraliter ponat Pastorem pro Vicario, æque bonum, vel se meliorem: si vero ponat Pastorem minus bonum, verbo Mercenarium, ecce jam iterum in contrarium clamat jus naturale & divinum: naturale quidem jus ex eo quia justitia commutativa exigit, ut si usufructuarius non possit substituere Vicarium minus bonum, multo minus possit Vicarium bonum substituere merus operarius: at vero in re quilibet beneficiatus respectu beneficii, cum non sit plenarius Dominus usufructuarius, ut abunde visum q. præced. non est nisi merus operarius, ergo, &c. Jus divinum vero ex eo reclamat, quia cum Pastor minus bonus, seu Mercenarius non gregem, sed semetipsum pascat, non salutem ovium creditarum, sed proprium commodum quærat, hinc Pastor non est, sed fur, sed latro, qui furatur; & mactat, & perdit. Unde, *vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset Pastor; neque enim quæsierunt Pastores mei gregem meum, sed pascebant Pastores semetipsos, & greges meos non pascebant; Propterea*; &c. Ezech. 34. Hucusque contra illos, qui Vicarios adhibent, ut plura beneficia possideant.

XI. Jam contra illos, qui pluralitatem beneficiorum usurpant intuitu potentiæ, sapientiæ, vel nobilitatis. Quantum igitur ad titulum potentiæ, credo, hunc unice pertinere ad filios hujus sæculi, non ad ministros Dei quos oportet imitari suum divinum Magistrum, qui, uti mitis erat, & humilis corde, ita non *potentia*, sed virtutibus, & exemplis suam Sponsam informabat. Titulus *sapientiæ* pariter non facit ad rem; eo ipso enim, quod quis se sapientia instructum existimat (si tamen id sine præsumptione unquam de se existimare possit) oportet quod quærat, quæ veræ sunt sapientiæ; hæc autem non in accumulatione, sed contemptu temporalium; non in appetitu superfluorum mundi, sed in desiderio cælestium consistit. Quantum ad titulum *nobilitatis*, si dura sunt, quæ sequuntur, non illa nostra sunt, sed Dionysii Carthusiani lib. *contra pluralit. benefic.* art. 10. ait autem: *Contra illos, qui dicunt, se plura beneficia habere, quia sint nobiles, dicimus, quod si Filii Dei sunt, atque Ecclesiæ utiles, excedere mensuram suæ nobilitatis non debent, & forsitan justum est, ut de beneficiis Ecclesiasticis præ ceteris accipiant, si fieri potest absque jactura ani-*

ma-

marum, ut scilicet quilibet talis aliquod beneficium pinguius consequatur, quo se juxta exigentiam sui status sustentet. Sed si filii diaboli sunt, qua ratione de bonis Domini præ ceteris accipient? nunquid debet nobilitas filiorum diaboli honorari? similiter si inutiles sunt Ecclesiæ Dei aut pravo exemplo nocivi, non videtur justum, quod præ ceteris commodum habeant ab Ecclesia, quia Ecclesia, commodum non habet ex eis. Deus quoque in Ecclesia non vult habere, qui multum constent Ecclesiæ, & nihil prosint. Similiter, si aliquis non est contentus illis, quibus contentus esset, si Clericus non esset, & cum paterna hæreditate exhæredatus sit, superbior tamen vult esse, quam frater suus, qui hæres est, non videtur justum esse, ut Dominus ejus superbiam pascat.

§. II.

An SS. Canones, & Concilia reclament pluralitati beneficiorum?

XII. STatuto, & radicato, quod pluralitas beneficiorum in se plures contineat deformitates, de mente SS. Canonum, & Conciliorum dubitandum minime est, an pluralitati faveant, necne; pro comperto namque habetur, Concilia, & SS. Canones deformitatibus favere non posse. Retuli hac de re jam supra n. 1. Can. *singula* 89. d. hic ergo ex professo mentem SS. Canonum, & Conciliorum nonnihil penitius scrutabimur. Ad §. titul. igitur.

XIII. Respondeo, & dico 1. ex mente SS. Canonum illicitum est plura beneficia etiam diversi generis possidere: præsertim si ea beneficia residentiam postulent in diversis Ecclesiis. Quod probatur 1. ex Can. *Sanctorum* 70. d. in quo Decretum ab Urbano Papa II. in Concilio Placentino promulgatum omnem in præsenti dubitationem tollere deberet. Dicit autem Pontifex ibid. *Omnino in duabus aliquem titulari Ecclesiis non liceat, sed unusquisque, in qua titulatus est, in ea tantum Canonicus habeatur. Licet enim, Episcopi dispositione, unus diversis præesse possit Ecclesiis, Canonicus tamen præbendarius nisi unius Ecclesiæ, in quo conscriptus est, esse non debet. Si quæ tamen Capellæ sunt, quæ suis reditibus Clericos sustentare non possunt, ea cura, ac dispositio præposito majoris Ecclesiæ cui Capellæ subditæ esse videntur, immineat, & tam de possessionibus, quam de Ecclesiasticis Capellarum Officiis ipse provideat.* Quibus Pontifex aperte decernit, neminem posse esse Canonicum præbendarium duarum Ecclesiarum, sed unius tantum Ecclesiæ, sub cujus titulo ordinatus est, & merito, quia Canonicus per titulum, seu ordinationem ad certam Ecclesiam spirituale matrimonium cum eadem Ecclesia contraxit, quemadmodum ergo in matrimonio carnali, *quos Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. 19. ita in matrimonio spirituali, quos Deus conjunxit, homo non dividat: Adeoque quamvis Episcopus ex gravi necessitate, vel alia gravi ratione regimen duarum Ecclesiarum uni Presbytero committere possit, non tamen potest facere ut Canonicus sit præbendarius etiam in alia Ecclesia, ad quam primitus non fuit ordinatus. Et quod amplius est, Pontifex suum decretum non tantum tunc robur habere voluit, quando unum beneficium est sufficiens ad congruam sustentationem, sed etiam tunc, quando pluralitas ista fieri deberet in minoribus Capellis, quarum nulla seorsim sufficeret ad honestam beneficiarii sustentationem; dicit enim, quod tunc *cura & dispositio præposito majoris Ecclesiæ*, cui Capellæ subjiciuntur, incumbat, ut is quoad omnia circa prædictas Capellas provideat. Unde mens Pontificis fuit generaliter contravenire pluralitati beneficiorum, ne, si hæc toleretur in minoribus Capellis, etiam alii inducerentur hoc pernicioso exemplo, ut in beneficiis majoribus, seu quorum quodlibet de se est sufficiens ad honestam beneficiarii sustentationem, pluralitatem affectent, & retineant, non sine ingenti Ecclesiæ detrimento, & animarum præjudicio.

XIV. Idem dicendum probatur 2. cap. *quia in tantum* Ext. *de præbendis*, ubi Alexander III. in Concilio Oecumenico Lateran. 3. Can. 14. ita decernit, *quia id tantum quorundam processit ambitio, ut non duas, vel tres, sed plures Ecclesias perhibeantur habere, cum nec duabus possint debitam provisionem impendere, per fratres, & Coepiscopos nostros hoc emendari præcipimus, & de multitudine præbendarum Canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam, & evagationis inducit, certumque continet periculum animarum, eorum, qui Ecclesiis deservire valeant, indigentiam volumus sublevari.* Ex quo cap. quatuor sunt

sunt considerabilia, primo, quod pluralitatem beneficiorum induxerit *ambitio*, adeoque vitium, non amor Patris, vel Matris Ecclesiæ, de hoc autem diximus abunde præced. §. *secundo*, quod summus Pontifex agnoscat, eundem beneficiatum nec duabus Ecclesiis secundum exigentiam præesse, ergo multo minus pluribus. Quomodo igitur non expectanda erunt ingentia damna Ecclesiæ, animarumque saluti imminentia: *tertio*, quod pluralitas beneficiorum *Canonibus inimica*, mores Clericorum nimium relaxet, & mentem, quæ si in aliis, multo magis in Dei ministris, divinis, & cœlestibus affixa esse deberet, nimium distrahat, nimiaque temporalium sollicitudine implicet: hæc autem contagiosa sollicitudo quid aliud est, nisi fons & origo ambitionis, luxus, incontinentiæ, litium, scandalorum, aliorumque malorum, unde quid aliud timendum, nisi *certum periculum animarum; quarto*, quod stante pluralitate beneficiorum, pauperiores Clerici, qui non raro virtute & doctrina magis sunt præditi, & vel ideo Ecclesiæ futuri utiliores, a beneficiis arceantur; unde dicit Pontifex; *eorum, qui Ecclesiis deservire valeant, indigentiam volumus sublevari*.

XV. Idem dicendum probat. 3. ex Extravaganti *Execrabilis*, cit. *de prædendis*, ubi Joannes XXII. mala ex hac spirituali polygamia provenientia amare deplorat. Ea autem mala, seu *inconvenientia* Pontifex dicit esse, *quod videlicet interdum unus, qui unicum quamvis modicum vix Officium implere sufficeret, plurimorum sibi vindicet stipendia, quæ multis litteratis viris vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abunde sufficere æqua distributione collata: habentibus ipsa paratur vagandi materia: divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur: & dum non sunt sui in unaquaque Regione Rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis, & honori, quæ carentes defensorum auxilio, in Juribus suis, & libertatibus multiplici collabuntur: & ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat Decessorum; & (quod amarius est dolendum) animarum cura negligitur, & vitiorum sentibus fomentum periculose præbetur. Nos itaque tot malis, tantisque discriminibus occurrere cupientes*, &c. Debet autem adverti, quod Pontifex suam Constitutionem non tantum extendat ad beneficia curam animarum habentia, sed etiam, ut ibid. præmittitur, ad *plures dignitates, personatus, Officia, seu Prioratus*, ad quæ omnia revocat dispensationes qualcunque, quas improbitas importuna petentium a Romanis Pontificibus extorserat magis, quam obtinuerat, cum hoc solo discrimine, quod qui plura beneficia quæcunque possederant cum dispensatione Pontificia, possent penes beneficium curatum adhuc retinere beneficium simplex, seu sine cura. Qui vero plura beneficia possederant absque dispensatione Pontificis, nulla possent retinere beneficia, nisi unum duntaxat, & quidem, quod ultimo recepissent, quod nisi præstitissent, ipso jure omnibus essent privandi, futurique inhabiles ad quæcunque, seu cujuscunque generis alia obtinenda.

XV. Respondeo, & dico 2. ex mente Conciliorum illicitum est plura beneficia, diversi quoque generis possidere. Præterium si iterum illa beneficia residentiam in diversis Ecclesiis postulent. Prob. 1. ex Concilio generali Lateran. 3. sub Alexandro III. Can. 13. celebrato, & ita definiente: „ quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, dignitates diversas Ecclesiasticas, „ & plures Ecclesias Parochiales contra „ sacrorum Canonum instituta nituntur acquirere, ut ita cum unum Officium vix „ implere sufficiant, stipendia sibi vindicent „ plurimorum, ne id de cetero fiat, districtius inhibemus. Cum igitur Ecclesia, „ vel Ecclesiasticum ministerium committi „ debuerit, talis ad hoc persona quæratur „ quæ residere in loco, & curam ejus per „ seipsum valeat exercere: Quod si aliter „ fuerit factum, & qui receperit, quod „ contra sanctos Canones accepit; amittat; „ & qui dederit, largiendi potestate privetur „ refert. c. *quia nonnulli*, Ext. *de Clericis non residentibus*.

XVII. Idem dicendum prob. 2. iterum Concilio generali Lateran. quarto sub Innocentio III. celebrato, & Can. 19. ita statuente: „ Præsenti decreto statuimus, „ ut quicunque receperit aliquod beneficium „ habens curam animarum annexum si „ prius tale obtinebat, eo sit jure ipso „ privatus, & si forte illud retinere contenderit, alio etiam spolietur. Is quoque, ad quem prioris spectat collatio, „ illud post receptionem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum: „ & si ultra sex menses conferre distulerit, „ non solum ad alium, secundum statutum „ Lateranensis Concilii ejus collatio de-

„ vol-

„ volvatur, verum etiam tantum de suis „ cogatur proventibus in utilitatem Ecclesiae, cujus est illud beneficium, assignare, quantum a tempore vacationis ipsius „ constiterit ex eo esse perceptum. Hoc „ idem in personatibus decernimus observandum, addentes, ut in eadem Ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere praesumat, etiamsi curam non „ habeant animarum, refert. cap. *de multa* Ext. *de praebendis*. Unde huic decreto innitens Concilium Tridentinum Sess. 7. *de r. form.* cap. 4. inquit: „ Quicunque de cetero curata, aut alias incompatibilia beneficia Ecclesiastica sive „ per viam unionis ad vitam, seu commendae perpetuae, aut alio quocunque „ nomine, & titulo, contra formam sacrorum Canonum, & praesertim Constitutionis Innocentii III. quae incipit: „ de multo, recipere, aut simul retinere „ praesumpserit, beneficiis ipsis juxta ipsius „ Constitutionem ipso jure, etiam praesentis Canonis vigore, privatus existat.

XIX. Sed cum Concilium Tridentinum hac in materia maximam habeat auctoritatem, merentur & illa Concilia adduci, quae praecipue ejusdem Conc. Trident. auctoritati innituntur. Sunt autem duo Mediolanensia, quartum scilicet part. 2. & quintum p. 3. *de beneficiorum collatione*. Primo loco statuitur: „ Beneficium etiam „ simplex obtinenti quod ad vitae sustentationem satis est, si alterum simplex, „ aut Ecclesia etiam Parochialis, aliudve „ beneficium cujusvis generis conferatur: „ ubi is alterius beneficii, cujuscunque generis illud sit possessionem pacificam adeptus est: aut si per eum steterit, quo „ minus duobus mensibus, quos a die, „ quo alterum collatum est, praestituimus, „ illum adipiscatur; primum ipso jure vacare censeatur: cui vacanti provideatur; „ cum ex Tridentini Concilii sententia „ unum, & alterum item ab illo simul „ retineri nullo modo liceat „. Secundo vero loco ita habetur: „ Quod Synodi „ Tridentinae auctoritate a quarto Concilio nostro Provinciali permissum est, „ simplex beneficium habenti, alterum „ etiam ejusdem generis, quod personalis „ Residentiae munus non requirat ob honestam illius vitae sustentationem conferri id ita locum habeat, ut ne tamen eo praetextu, causare vitae honestae sustentandae, plura quam duo beneficia simplicia uni, eidemque conferri „ liceat sine concessu, permissuve Sedis „ Apostolicae.

XX. Quantum ad dicta SS. Patrum attinet quoad praesens, longum admodum foret, eadem recensere; dubium namque ipsis non erat, scilicet pluralitatem beneficiorum esse malam, & illicitam: immo vero hoc pro compertissimo tenebant, nullum asserere, quod liceat plura beneficia habere, nisi, qui ipsemet plura talia beneficia haberet, aut affectaret: hoc ipsum autem a SS. Patribus merito damnabatur, utpote non ex amore Dei, sed ex cupiditate proveniens, ut scilicet quis pro seipso, & pro causa propria testimonium diceret: quid enim tunc exspectandum est, nisi testimonium non conveniens, & vel ideo fide indignum? de sanctis Patribus ergo quidquid sit, immorandum non censeo, cum ipsorum mens abunde jam pateat ex praecedentibus, ubi ostendimus, unanimem sanctorum Patrum mentem esse, quod quidquid Clerici ultra necessarium, & honestum victum, ac vestitum possident, Clericorum non sit, sed impendi debeat ad causas pias: quapropter & hic unanimis ipsorum sententia est, quod quodcunque beneficium, praeter illud, quod est necessarium ad honestam vitae sustentationem, possident, injuste possideant, teneanturque jure divino, & naturali illud deserere, exceptis casibus referendis, in quibus justa summi Pontificis dispensatio accedere potest.

§. III.

Quid ex ratione naturali sentire oporteat quoad pluralitatem beneficiorum?

XXI. PRo rationibus intrinsecis sufficerent quidem deformitates in pluralitate beneficiorum repertae, & a nobis supra §. 1. hac quaest. declaratae. Nihilominus hic ex professo decertare animus est ex rationibus intrinsecis contra pluralitatem beneficiorum. Unde sic argumentor primo: De jure divino certum est, quod omnia temporalia sint propter hominem, & quidem propter hominem, ut is his mediantibus salutem consequatur aeternam, dicit enim scriptura; *Constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves universas, insuper & pecora campi*. Ps. 8. Ergo pariter

de jure divino certum esse debet, quod de temporalibus non liceat plus affectare, vel quærere, quam expediat, & faciat ad consequendam æternam salutem. Jam sic: quicunque Clericus habet unum beneficium unde congruenter & honeste sustentari valeat, si adhuc alterum, vel plura affectet, quærat, aut possideat, vel hoc facit rationabiliter, vel irrationabiliter; si rationabiliter, oportet, quod allegare possit motivum prudens: nullum autem tale quantum ad præsens est excogitabile. Si irrationabiliter hoc faciat, ecce res est in materia gravi: omnis autem affectio, quæsitio, vel possessio irrationabilis in materia gravi est mortaliter peccaminosa, utpote devians immediate, immo contra legem æternam. Sed quod hæc affectio, vel possessio pluralitatis beneficiorum sit irrationabilis peramplius ostendo; quæro enim, qua ratione, quo fine, qua radice affectat, quærit, vel retinet aliud, vel alia beneficia præter illud, quod est competens & sufficiens ad honestam sustentationem? Sane alia ratio, vel radix non est, nisi cupiditas, alius finis non est, nisi ut in temporalibus plus abundet, unde inepte responderet hic talis spiritualiter polygamus, se ideo alterum, vel plura beneficia præter competens affectare, quærere, vel retinere, ut eo expeditius suum munus obeat, Deoque serviat, quo minus stante pluralitate beneficiorum esset implicatus sollicitudine de sibi providendo de temporalibus: inepte, inquam, responderet; dixi namque abunde, & testis est experientia, quod pluralitas beneficiorum longe majorem sollicitudinem, & inquietitudinem inducat, quin & occasionem proximam præbeat, splendidius, sumptuosius, carnalius, verbo, scandalosius vivendi, stimulante nempe depravata voluntate, ad quærenda, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, semper pronissima.

XXII. Argumentor 2. vel ergo pluraliter beneficiatus dubitat, an affectando, quærendo, retinendo plura beneficia præter competens, graviter peccet, vel nullo modo dubitat? si nullo modo dubitat: ergo sententia in SS. Canonibus, Conciliis, & Rationibus fundatissima nullum ipsi ingerit dubium, de sententia, ut ajunt, benigna, quod quidem nullus, nec obiter quidem tinctus Theologus admittet. Reliquum ergo est, quod conferendo rationes utrinque pro una, & altera sententia dubitare debeat. Jam sic cum Guillelmo Parisiensi lib. de *Collat. beneficiorum*. Si dubium est, utrum liceat hoc, an non, scilicet cum beneficio competenti affectare, vel retinere plura beneficia, ipsa dubietas certitudo est, & determinatio, id est certitudinem facit, quoniam procul dubio non licet alicui committere se discrimini. Discrimini autem se committit, qui præsumit aliquid facere, de quo dubitat, an mortale peccatum sit: cum ergo dubietas facit discriminosam pluralitatem beneficiorum, idcirco vitanda est ex necessitate salutis tanquam illicita, & mortaliter peccaminosa. Quod idem tenet Doctor solemnis, Henricus noster Gandavensis, qui quodlib. 4. quæst. 33. inquit, quod, si quæratur, an liceat habere plura beneficia, periculosa vocetur illa (*sententia*) quæ affirmat; nam in illa potest esse peccatum, non in opposita: novit enim rationes ejus esse efficaciores, & expressiores auctoritates, quas adducit: & iste procul dubio exponens se illi periculo mortaliter peccat: quia quod agit, non est ex fide, h.e. conscientia, sed contra dictamen conscientiæ, & rationis rectæ.

XXIII. Argument. 3. ex forma collationis, & investitionis beneficiorum; nam dicitur: *Conferimus tibi beneficium istud, & te investimus de eo ad honorem Dei, & servitium Ecclesiæ istius*. Jam sic: Minister sacer licite accipit reditus Ecclesiæ, cui servit; *Dignus enim est operarius cibo suo*. Matth. 10. Et alibi: *Dignus est enim operarius mercede sua*, Luc. 10. Ergo vel respectu alterius Ecclesiæ, aut Ecclesiarum, quibus servitium suum non præstat, non est dignus *cibo suo*, vel *mercede sua*; *Quoniam si quis non vult operari, nec manducet* 2. Thessal. 3. Vel si vult se dignum cibo, & mercede reddere, debet & illis Ecclesiis servitium suum exhibere; duplex enim, vel triplex, aut multiplex cibus supponit quoque duplicem, vel triplicem, aut multiplicem laborem, & servitium; exigit enim justitia commutativa, ut, sicut inter cibum, vel mercedem, & laborem hujus sæculi debet esse æqualitas, ita quoque intercedat æqualitas inter mercedem, laboremque spiritualem, seu Ecclesiasticum; cum beneficium detur propter officium. Jam sic ulterius: qui possidet duo, tria vel plura beneficia, debet quoque ex vi justitiæ commutativæ, duo, tria, vel plura officia, seu servitia præstare, consequenter si hæc omittit, tot quotidie mortalia peccata incurrit, aut quædam tam multipliciter

mortalia, quot quotidie horas, vel servitia intermitterit. Subsumo; atqui pluraliter beneficiatus non est par ad præstanda plura servitia, cum vix sit par ad præstanda rite servitia Ecclesiæ, ad quam titulatus est, secundum illud notissimum: *pluribus intentus minus est ad singula*. Ergo denique reliquum est, ut se innumeris peccatis mortalibus obstringat, quorum numerum ipsemet ineat, sed precor coram Deo. Et hæc ratio non tantum efficaciam habet quantum ad actualiter possidentes plura beneficia, sed etiam quantum ad affectantes, vel quærentes talem pluralitatem; nam & isti per similem affectum vel quæstionem non tantum se faciunt indignos ad talia beneficia, sed insuper volunt talem causam, ex qua (moraliter loquendo) non possunt non sequi prædicti effectus, h. e. peccata mortalia, quæ omnino sunt ipsis imputabilia, eo quod scientes, & volentes, de se, ponant causam.

XXIV. Argumentor 4. quod est iniquum apud filios hujus sæculi, hoc ut æquum, & justum tolerari non potest apud filios lucis, intelligo in Ministris Dei, qui etiam justitias dijudicant; sed apud filios hujus sæculi reputatur, & est iniquum, si quis plura feuda possideat, & non totidem servitia præstet, ergo & iniquum est apud filios lucis, si quis plura beneficia possideat, & non totidem Ecclesiastica servitia, h. e. tot paria horarum, & aliorum hujusmodi præstat: quia sicut ratione uniuscujusque feudi determinatum debetur servitium, ita ratione uniuscujusque præbendæ determinatum debetur Ecclesiasticum officium.

XXV. Argumentor 5. iterum de jure naturali Iniquum est, ut quando quis conducitur tanquam Advocatus pro aliquo determinato tempore ad aliquam causam agendam, pro *eodem* tempore adhuc suscipiat aliam ventilandam; id enim citra injuriam alterius partis non fecerit: Atqui licet ministri Dei generaliter conducti, seu constituti sint in Advocatos pro agenda causa de promovendo cultu divino, specialiter tamen deputati sunt in Advocatos animarum, quarum beneficiis temporaliter sustentantur: Ergo iniquum est, si adhuc suscipiant causas aliarum animarum ad diversas Ecclesias pertinentium; moraliter enim possibile non est, ut unus, idemque Advocatus Ecclesiasticus eodem tempore diversis causis, & allegationibus, & quidem in re summi momenti possit ex æquo satisfacere. Unde quemadmodum Advocatus forensis in simili casu utrique parti patrocinari volens, alterutram manifesto periculo detrimentum patiendi exponeret, & si quid tunc pro opera promissa reciperet, fur & latro esset, ita multo magis Advocatus Ecclesiasticus plurium Ecclesiarum animabus patrocinari volens nec Patrocinium exequi valens, easdem manifesto periculo exponit, & vel inde fur, & latro existet, si quid pro suo Officio non præstito receperit.

XXVI. Quin immo beneficiarii non tantum sunt Advocati viventium, sed & vel maxime mortuorum; si autem possideant plura beneficia, mortuos quam maxime defraudant advocatia ipsis debita, h. e. servitiis; ergo & ex hoc capite pluralitas beneficiorum est injusta. Maj. patet: ex hac enim intentione pii fundatores sua bona Ecclesiæ contulerunt, & beneficia erexerunt, ut exinde non tantum qua viventes, sed præcipue qua mortui emolumentum haberent. Min. prob. & pono beneficiatum, tria possidere beneficia, quorum quodlibet seorsim sufficeret ad honestam sustentationem unius beneficiarii. Hoc posito sic ajo; evidenter verum est, quod animabus purgantibus plures prosint tres missæ una cum aliis piis suffragiis, citiusque accelerent earundem liberationem de crudelibus flammis; quam prosit una missa cum reliquis suffragiis: atqui si in quolibet horum beneficiorum constituti essent tres beneficiati, animabus purgantibus advenirent tres missæ cum ceteris piis suffragiis; Et si eadem tria beneficia unus beneficiatus possideat, ipsis advenit una missa: consequenter sic pluraliter beneficiatus defraudat mortuos. Maj. ut dixi, evidenter vera est; secus enim ad quid Ecclesiastica suffragia pro animabus purgatorii multiplicarentur? ad quid institutæ essent tot piæ congregationes, totque Chori laudes Deo canentium, & pro mortuis apud Deum advocantium? inaniter hæc omnia fierent, si plurima suffragia non valerent, quam unum. Aut si quis pluraliter beneficiatus eo usque suum servitium appretiaret, ut existimaret unum suum servitium valere duo, tria, quatuor, verbo tantum, quot beneficia possideret, aliud respondere non haberem, nisi quod hic talis ad supremum præsumptionis, impudentiæ, & imprudentiæ gradum ascendisse. Min. Syllog. per se patet: ergo, &c.

XXVII. Argumentor 6. ex pluralitate beneficiorum ipsa Ecclesia deformatur, ergo non est admittenda. Ant. prob. quemadmodum corpus superfluis, & quidem principalioribus membris instructum, monstrum est, ita corpus carens debitis, & his quidem principalioribus membris deforme est; quia truncatum, & mutilatum est; atqui Ecclesia quid aliud est, nisi corpus pulcherrimum tot diversis membris distinctum, ergo si ipsi debita, & subinde principaliora membra demantur, jam non erit corpus pulcherrimum, sed deforme, quia truncatum, quia mutilatum. Subsumo; atqui stante pluralitate beneficiorum Ecclesia membris sibi debitis detruncatur, & mutilatur; ubi enim subinde habere deberet tria, quatuor, sex, *&c.* membra, unum duntaxat numerat, pluraliter nempe beneficiatum; Et quod ad majorem deformitatem facit, truncatur subinde membris debitis non tantum in hoc, vel illo loco, sed etiam in pluribus. Hic quidem liceret, sed forte non expediret, pluralitatem beneficiorum tanquam perniciosam pestem, vel ignem devorantem, membra nimirum Ecclesiæ, pluribus prosequi: Dicerem quantum detrimentum patiatur cultus divinus, cum palam sit, honorem & gloriam Dei magis, & melius promoveri per pauciores. Dicerem, quantum defraudentur piæ causæ, seu creditores viventes, & mortui. Dicerem, quantum ad hanc iniquam pluralitatem alii digniores gemant, pauperes lacrymentur. Sed, *&c.*

XXVIII. Argumentor 7. paulo fusius partim Theologice, partim Ascetice. De jure divino & naturali beneficiatis incumbit, ut ita præsint, quatenus suam, suorumque salutem omni meliori modo promoveant; sed pluraliter beneficiati (excipio casus, de quibus infra; in quibus pluralitas beneficiorum ob legitimam dispensationem iniqua non est) vel non, vel saltem non nisi difficillime omni meliori modo suam, suorumque salutem promovebunt, ergo ex hoc capite periculosissima est pluralitas beneficiorum. Major quoad utrumque jus clara est, quoniam beneficiati severam supremo Judici rationem reddent pro sibi commissis animabus, id exigente justitia commutativa. Min. prob. Propria salus obtinetur observatione mandatorum Dei: aliena salus autem maxime promovetur verbo, & exemplo; Sed pluraliter beneficiatus in utroque deficiendi proximum habet periculum, ergo, *&c.* Min. prob quantum ad periculum proximum non observandi totam legem. Visum enim supra est, pluralitatem non esse ex caritate (præterquam in suis casibus, de quibus infra) sed ex cupiditate, vel ambitione. Jam sicut *non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Matth. 7. Ita radix iniqua cupiditas nempe, vel ambitio, quid aliud proferet, nisi actus iniquos: cum his autem quomodo componetur observantia totius legis? Sed hæc omnia per se patent.

XXIX. Jam quoad alterum membrum Min. seu quod pluralitas invehat periculum proximum deficiendi in promotione salutis alienæ. *Verbo* quidem aliena salus promovetur pugnando contra vitia, contra homines malos, & contra ipsos dæmones; Contra vitia quidem, & homines malos arguendo, increpando, obsecrando, in omni patientia, & mansuetudine: Contra dæmones autem, ipsorum deceptiones, technas, *&c.* populum edocendo, *&c. exemplo* autem quomodo salus aliena promoveatur; per se patet, id non fieri nisi præbendo, & frequentando coram populo, h. e. subditis animabus virtutum actus, ita ut hæ dicere possint, *curremus in odorem unguentorum tuorum*, Cant. 1. non multum quidem verba valent, sed plus exempla, secundum illud:

> *Verba movere solent mollis penetralia cordis:*
>
> *Ast exempla trahunt, abripiuntque magis.*

jam sic: in utroque, verbo scilicet, & exemplo deficit pluraliter beneficiatus, quemadmodum enim moraliter impossibile est, ut ubique, seu in quolibet loco beneficii pro debito serviat, ita quoque moraliter impossibile est, ut ubique secundum obligationem verbo & exemplo præluceat. Jam ascendo a minori ad majus.

XXX. Si in tanto suæ, aliorumque salutis discrimine versantur illi, qui non tantum plura, sed unum duntaxat, & hoc subinde potius renuentes, quam affectantes possident, eo quod tanta horum sit obligatio, ut Officium suum rite impleant, verbo, & exemplo præluceant, *&c.* amabo, in quanto salutis periculo versabuntur, qui se ad plura beneficia intrudunt? vere me-

melius istis erat si nati non fuissent, ad plura nempe beneficia. Quod ut magis elucescat, pauca de priorum periculo edisseram. Isaias Propheta Domini, eo quod vice quadam tacuisset, & peccata populi, Optimatum, & præcipue impii Regis Oziæ, ut sacri doctores Hieronymus, & Cyrillus declarant reprehendere neglexisset, vehementi timore perculsus exclamavit: *Væ mihi, quia tacui*, Isaiæ 6. heu! si tantus vir propter hoc silentium damnationem incurrisse sibi videbatur, qui de cetero *in omnibus* semetipsum præbebat *exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate*, &c. Tit. 2. in quanto non versabuntur periculo nostri temporis Prælati Ecclesiastici, quando *maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit*. Osee 4. Heu! quam periculosum est, hic omnes officii partes rite explevisse: arguendo, obsecrando, invigilando, vitiorum turpitudinem prædicando, peccatorum horrorem demonstrando, pœnarum atrocitatem exaggerando, inferni supplicia, ignem, flammas, tormentorum æternitatem intimando, verbo, nullum non movendo lapidem, ne quisquam damnetur. Hoc, inquam, periculosum est: & quidem adeo periculosum, ut, esto alias Prælati Ecclesiastici bono exemplo præluceant, si tamen in modo dictis perniciosum silentium servent, sinantque subditas oviculas perire, & quidem in æternum, nec ipsi forte lamentabilem damnationis sententiam sint evasuri. Et hoc existimo fuisse, cur Sanctus Gregorius *hom. 11. in Ezech.* Alte ingemuerit, omnibusque animarum curam habentibus inclamaverit: *O miseros nos! o miseros omnes sanctæ Ecclesiæ Prælatos! ecce, quibus periculis obnoxii sumus. Super ea mala, quæ propria habemus, alienas mortes addimus; quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videmus*. Hanc etiam causam fuisse reor, cur Sanctus Chrysostomus *hom. 3. in cap. 1. act. Apost.* terribilem admodum sententiam proferre non dubitaverit, inquiens: *Non temere dico, sed ut affectus sum, ac sentio: non arbitror inter Sacerdotes* (h. e. præcipue curam animarum habentes) *multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant. Quod alii peccant, Sacerdoti imputatur: & si vel unus tantum decedat non initiatus, nonne totam ipsius subvertit salutem? etenim si unius animæ salus tanti est, ut ob hanc filius Dei fieret homo, tantaque pateretur peritio; cogita, quantam conciliabit pœnam perditio? quod si quis ob hominem in hac vita perditum, morte dignus est, quanto magis ille?*

XXXI. Cum autem supra dixerim, me in hoc argumento 7. & Theologice, & Ascetice processurum esse, non abs re futurum existimo, si horridum quempiam eventum proposito nostro accomodatum, ac ex magno Exemplorum speculo *dist. 9. Exempl.* 12. desumptum recenseam. Refertur ibid. Decanus quidam, cui animarum cura commissa erat, cum gravi aliquando correptus morbo decumberet, invisit ipsum sanctus quidam vir, cujus magna utebatur familiaritate. Inter varia colloquia serio de animæ salute agebat probus ille vir, sed vix inceperat, & ecce statim ægrotantis cubiculum densissimis perfusum est tenebris, auditaque horrenda quædam vox instar nubium fragoris: *Surge, surge, spoliator Christi, & interfector pauperum, veni, & accipe indumentum*. Post animam ocyus reddidit infirmus, ejusque corpus obriguit carboni simillimum. Rediit ad Monasterium probus ille Religiosus, totus terrefactus, & ferventibus precibus Deum rogavit, ut dignaretur statum Decani illius manifestare. Die quadam cum oraret, apparuit defunctus horrenda specie: Religiosus, quis esset, interrogat. Cui ille: ego sum talis Decanus maledictus, & damnatus, quondam familiaris tuus. Tunc sanctus ille vir: Miror plane, quod, cum homo castus semper fueris, probus, & discretus, æternum damnatus sic. Respondit infelix ille: *Non mireris de hoc, sed mirare, quomodo Clericus habens Ecclesiam possit salvari, quomodo salutem obtinere, animarum qui curam habet*. Adjuratus, ut damnationis causam ediceret, non tacuit. Itaque plurimis causis, quæ damnationem Clericis parant, enarratis, etiam hanc ut præcipuam adduxit; quia nimirum prædicationem abhorrent, quia animas sibi commissas non pascunt: quia studium in eo non ponunt, ut subditi Christiano more pie vivant.

XXXII. Jam, ut dicebam supra, ascendo a minori ad majus: si in tanto salutis discrimine versantur, si præcipiti cursu ad inferos devolvuntur illi animarum Pastores, qui unum duntaxat beneficium, unam Ecclesiam habent, ut modo memoratus infe-

lix Decanus, væ illis, qui duo, tria, sex, immo adhuc plura subinde possident beneficia: si periculum tantum est, ne unius beneficii Pastor, ea, quæ sunt sui muneris, exequatur, an non cum beneficiis multiplicabitur periculum? Contra hos proinde credo, quod S. Chrysostomus præcipue tulerit formidabilem illam sententiam, dicens: *Miror, si possit aliquis Rectorum salvari*. Qua de re lubet unum & alterum tragicum exemplum recensere.

XXXIII. Apud Dionysium Carthusianum lib. *cont. pluralit. beneficior.* scribit Thomas Cantipratanus Cameracens. Episcop. Suffraganeus Dominicanus, in lib. 1. qui dicitur *Apum*, seu de bono universali cap. 19. p. 7. se fuisse Parisiis ann. Incarnationis Domini millesimo ducentesimo octavo, ubi Venerabilis Guillelmus Parisiensium Episcopus, qui in Theologia jam rexerat, convocationem fecit in Fratrum Prædicatorum Capitulo omnium Magistrorum, proposita quæstione de pluralitate beneficiorum, solerti, & valde longa disputatione probatum est, duo beneficia, dummodo unum valeret quindecim Parisiensium libras, cum salute non posse teneri. Hoc determinavit prædictus Episcopus, & frater Hugo Ordinis Prædicatorum postmodum Romanæ Curiæ Cardinalis, hoc fratres Joannes de Ruppella Fratrum Ordinum Minorum & alii quam plures Magistri Theologiæ, determinaverunt etiam hoc in scholis propriis successive, fuerat autem habita disputatio valde longa, & multo solemnior ante annos tres, in qua etiam omnes Magistri Theologiæ, exceptis duobus, determinaverunt idem per omnia, quod & supra. Quorum duorum unus fuit Magister Philippus Cancellarius Parisiensis, & Magister Arnoldus Episcopus postmodum Ambianus, Agonizantem autem Cancellarium in morte, dominus Guillelmus Parisiensis Episcopus paterna sollicitudine visitavit, rogans eum, ut singulari opinioni cederet de pluralitate beneficiorum, & omnia beneficia sua, excepto uno, in manus Ecclesiæ resignaret & hæc conditione media, ut si convalesceret, ei supplere vellet de suo proprio, quod dimisit. Renuit ille, experiri se velle dicens, utrum esset damnabile beneficia plura tenere: Mortuus est ergo sic. Post paucos autem dies, cum prædictus Parisiensis Episcopus post matutinos orare vellet, vidit inter se, & lumen quasi umbram quamdam hominis Tetranimis. Elevata ergo manu, consignat se, & si ex parte Dei sit, præcipit, ut loquatur. Et respondit apparens: alienus a Deo sum, & tamen mirabilis factura ejus. Et præsul: tu quis es? & ille: Ego sum, inquit, Cancellarius ille miserrimus. Rursus Episcopus elato altius gemitu: & quomodo, inquit, tibi est sic dolenti? male, ait, immo & pessime, sicut qui damnatus morte æterna. Et Episcopus: Heu, ait, carissime, & quæ causa est tuæ damnationis? & ille: Tres sunt, inquit, causæ, quare morte perpetua sum damnatus. Una est, quod crescentes fructus annuos contra pauperes tumide reservavi: Secunda, quod contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum, quasi licite sententiam propriam defensavi, & in hoc me periculo mortalis culpæ commissi: Tertia est, & illa gravissima omnium, quod abominabili carnis vitio, in scandalum multorum multo tempore laboravi .... Et hæc dicens, umbra ab oculis mirantis evanuit.

XXXIV. Non minus formidabile est, quod idem Dionysius Carthusianus loc. cit. ex eodem Thoma Cantipratano cit. commemorat simili modo (pergit Dio.) cum quidam Clericus maximæ litteraturæ, agonizans in morte, pro me mandasset, ut consilium quæreret, quasi in proximo moriturus, reduxi ei ad memoriam disputationem illam solemnem, & determinationem de pluralitate beneficiorum Parisiis, cui ille interfuerat Doctor magnus, consuluique illi cum magna instantia lacrymarum, ut unam præbendarum dimitteret, quoniam duas contra animam suam tenuerat, quarum una ad omnem vitæ copiam omni Clerico sufficere posset, tunc ille facie aversa dissimulans, hoc tantum respondit: Orate Dominum, ut inspiret. Nec diu postea cum recessissem, & tenuissimo spiritu vix hærente, hoc idem, quod consulueram ei, quidam consobrinus ejus juvenculus cum maximis lacrymis inclamaret, cum voce non posset, manu innuens exspiravit. Post cujus obitum, cum quidam ex nostris stupescens nimium cogitaret, cur tantus Clericus, si mortale peccatum esset, plura beneficia retinere, in tali statu mortuus extitisset, mox quasi semivigilanti defunctus ille apparens dixit: hæc sola præbendarum causa est, pro qua infelix ego æternaliter sum damnatus. Extarent adhuc plura tragica exempla, quæ si pluraliter beneficiati perlegerent, cordique haberent, mirum, si non contremiscerent,

rent, seque dum tempus est, in tuto collocarent, contra tam propinquum, & apertum pereundi periculum.

§. IV.

An sit illicitum, plura beneficia affectare, quærere, vel possidere, cum intentione reditus beneficiorum expendendi in bonos, & pios usus?

XXXV. HÆc quæstio prima fronte posset videri immunis ab omni specie mali; quid enim mali præseferat bona, & res, quæ Dei sunt, ea forma, & intentione, qua a piis fundatoribus Deo & Ecclesiæ conferuntur, administrare, vel dispensare? intentio autem Fundatorum est, ut reditus beneficiorum, qui post congruum victum, & vestitum residui manent, in pauperum alimonia, vel basilicarum fabricas impendantur: Satisfieri proinde videtur Fundatorum intentioni. Præterea videtur, longe plus commodi hac ratione Ecclesiis: vel pauperibus advenire; ponamus enim, quod unus beneficia possideat, quorum unum sufficiat ad competentem sustentationem, jam si reditus ceterorum beneficiorum in pios usus expendat, en! quantum Ecclesiis, & pauperibus adveniat. At vero si eadem tria beneficia tres distincti beneficiati possideant, cum unumquodque supponatur sufficiens ad congruam sustentationem, etiam quilibet tantum de eo vivere poterit, ita ut nihil maneat residui, quod ad pios usus erogari possit. Hæc inquam, & similia, prima fronte videri possent probabilitatem aliquam conciliare; sed quia hæc probabilitas speculativa duntaxat est, & ex radice libertatis contra legem, hinc inhærendo nostris innegabilibus principiis, contra

XXXVI. Respondeo, & dico: illicitum est; plura beneficia affectare, quærere, vel retinere, *ex vi* intentionis, quod pluraliter beneficiatus reditus expendere velit in usus bonos, & pios. Et ratio est primo; Si enim nihil prodest homini, *si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur*. Matt. 16. Multo minus proderit homini, si bona aliqua præstet, animam interea suam gravi periculo exponat; at vero, ut abunde visum est., si per pluralitatem non incurritur certo periculum animæ, dubiosum tamen maxime est, an non incurratur tale periculum. Dicit autem Augustinus Doctorum maximus, quod hoc unum est mortale, *quod quis incertitudinis periculo, aut mortalis peccati discrimini se committit*. Unde quid prodest, retinendo pluralitatem beneficiorum, superflua erogare in pios usus, dum interea mortale est, propter manifestissimum periculum, eandem pluralitatem retinere.

XXXVII. Ratio est secundo: omni jure sanctum est mala non esse facienda, ut eveniant bona: at vero ostendimus sæpius, quod pluralitas beneficiorum multa invehat mala, diminutionem nempe cultus divini, detrimentum Ecclesiæ, injuriam aliorum magis, vel æque dignorum ad beneficia Ecclesiastica, verbo, ut loquitur Concilium Trident. c. certum animarum periculum & totius Ordinis Ecclesiastici perversionem: & hinc est, quod dicit Guillelmus Parisiensis c. l. de Collat. beneficior. cap. 6. „ Quam periculosum sit, quod quidam dicunt, quod potest habere quælibet, & „ quantumcumque pinguia temporaliter beneficia quivis, dum ea bene expendat, „ ex his apparet, licet enim Medicus salarium in quantumcunque pios usus expendat, quod ab ægro pro eo medicando „ recepit, non omnino propter hoc satisfaciat ægro, qui nec minus ægrotat. Idem „ dicimus & de bellatore, quantumcunque „ large, & magnifice expendat stipendium, „ non propter hoc minus exhæredatur Rex, „ cujus bellum debuit agi. Similiter & de „ Vinitore, & de Advocato eis objici „ potest: non enim solam dispensationem „ temporalium suscipiant proventuum Clerici institutione, vel evocatione sua, sed „ officium medicandi sauciatum, de quo „ loquitur Lucæ 10. & officium, agendi „ bellum Dei; similiter & officium allegandi causam animarum, & officium „ operandi in vinea Domini.

XXXVIII. Ratio est tertio. Clerici plura beneficia possidentes, dum reditus beneficiorum superfluorum in pios & bonos usus expendunt, vel id faciunt ex vera caritate & amore erga causas pias, ac primario erga Deum, vel id faciunt ex alio quocunque demum motivo? si secundum, caritas Patris in ipsis non est, nam actus etiam ex objecto bonus, si vitietur per circumstantiam, vel finem, totus malus efficitur, implicat enim, eundem actum simul bonum, & malum esse, ut habet communis Theologorum: sed iste actus non est malus leviter; materia enim est gravis. Si vero dica-

dicatur, seu quod id faciant ex vero amore erga Deum, causas pias, sic insisto; amor Patris, & piarum causarum non stat in illis, qui cum possent, & deberent procurare majorem Dei honorem, ac majorem Ecclesiæ utilitatem, utrumque tamen intermittunt; & iterum a fortiori amor Patris non stat in illis, qui cum possent, & deberent ab Ecclesia amovere contagiosa exempla & scandala, hæc tamen non amovent: sed Clerici pluraliter beneficiati, esto reditus superfluos reliquorum beneficiorum in pios usus expendant, & honorem Dei, *&c.* non promovent, & contagiosa exempla, & scandala ab Ecclesia non amovent, ergo caritas Patris in ipsis non est. Maj. patet. Minor. probat. quoad dict. 1. p. Beneficia dantur propter munia spiritualia, ergo ubi plura sunt beneficia, plura quoque supponuntur fieri, aut saltem fieri debere munia spiritualia: Subsumo: atqui ubi fiunt plura munia spiritualia, sive in frequentandis Sacramentis sive in celebrandis Missis, sive in prædicando verbo Dei, *&c. &c.* etiam magis promovetur honor Dei, & Ecclesiæ utilitas, ut per se patet. Iterum subsumo: sed pluraliter beneficiari, esto reditus reliquorum beneficiorum bene administrent, vel dispensent, impediunt *plura* munia spiritualia: ergo impediunt & ipsum honorem Dei, & Ecclesiæ utilitatem, ergo multo minus promovent; eadem Min. prob. quoad 2. part. ex eo enim, quod alii videant ab hoc, vel illo plura beneficia possideri, facile inducuntur, ut & ipsi plura beneficia affectent, quærant, & possideant, non attendentes, quod ille, vel iste reditus in pias causas eroget, sed potius aliquo alio motivo temporali inclinati, a carne & sanguine inspirato, ut nimirum propinquos augeant contra SS. Canones, & præcipue contra Concilium Trident. aut ut propriæ ambitioni, superbiæ, vanitati, vel avaritiæ *&c.* famulentur: Discutiat modo æquus Judex, sed coram Deo, an propter diminutum cultum divinum, propter talia scandala, *&c.* non omni jure illicitum censeri debeat, retinere pluralitatem beneficiorum, etiam cum intentione expendendi reditus beneficiorum in bonos, & pios usus,

XXXIX. Ratio est quarto. Possent dicere pluraliter beneficiati, se ideo retinere plura beneficia, ut saltem ipsi hospitalitatem erga peregrinos exerceant, eleemosynas liberaliores faciant *&c.* istis nempe temporibus, quibus sæculares plerique in utroque passim deficiunt, eo quod vel plurimi sæculares ipsimet egeant: vel qui bonis abundant, exigua passim (non uti olim) reverentia, honore, caritate, *&c.* Clerum prosequantur: pauperes vero domibus, oppidis, urbibus expellant, bona interim sua in splendida ædificia, convivia, vanitatem, superbiam, luxuriam, *&c. &c.* dilapident, ut & ipsi quondam a civitate Cœlesti, & ter beata Patria excludantur cum Evangelico divite: hoc, inquam, si dicant, pluraliter beneficiati, dicunt id, quod quantum ad sæculares verum est, teste quotidiana, & lamentabili experientia: at pro se verum non dicunt; Respondeo enim ipsis ex Evangelica veritate, *quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*. Matthæi 6. Respondeo idem hospitalitatem, vel eleemosynas inquirentibus, ut & ipsi quærant primum regnum Dei, & justitiam ejus, sed in fide non hæsitantes, sed respicientes volatilia cœli, *quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater Cœlestis pascit illa* ibid. tunc non opus esset, ut nimium sollicitarentur animæ suæ, quid manducent, neque corpori suo, quid induantur. Jam vero quantum ad pluraliter beneficiatos prædictam rationem prætendentes sic ajo, bona est hospitalitas, bona est eleemosynarum largitio, immo non tantum bona sed & præcepta: at vero quemadmodum in Medico, Advocato, *&c.* bona non est eleemosyna, *&c.* ex illis, in quibus neuter sua obsequia præstat, ita multo minus bona esse potest in beneficiato, si ex illis faciat, in quibus sua munia spiritualia non præstat; & hinc ista hospitalitas, vel eleemosynæ largitio respectu beneficiati est supra quia est de non suo, de quo nemo tenetur, immo nec potest facere eleemosynam. Ut enim sæpius dixi, beneficium consequenter & reditus dantur propter officium, adeoque ubi cessat officium, & reditus cessant. Unde bene dixit Dionysius Cartusianus c. lib. con pluralit. beneficior. art. 12. *Hospitalitatem servare, & eleemosynas erogare, non est sufficiens causa habendi hujusmodi beneficia plura, cum ex hoc aliunde proveniant multa inconvenientia graviora. Deus quoque non exigit ab aliquo hospitalitatem, & eleemosynarum largitionem ultra vires ipsius, seu ultra id, quod sibi de uno competenti beneficio superest.*

§. V.

§. V.

An Pontifex super pluralitatem beneficiorum possit dispensare?

XL. IN primis ut certum suppono ex dictis quæst. 3. intentionem optantis beneficium Ecclesiasticum debere esse justam, & ordinatam, h. e. ut intuitu solius boni spiritualis, non vero intuitu motivi temporalis, Ecclesiasticum beneficium suscipiatur, & retineatur: dicit enim S. Bernardus ita in Apolog. ad Guillelm. Abbat. quod, si quis ea intentione gradus Ecclesiasticos, & Ministeria Sanctuarii quærit, immo quæritur (quæri etenim magis, quam quærere ipse debuerat) ut absque curis sæculi in Sanctimonia cordis, & corporis, illuminatus accedat ad Dominum, & suam, ac proximorum operetur salutem orationis studio deditus, aut verbo Prædicationis, bene se habet. Nam si eo quærit, aut tenet animo, eoque intuitu, ut hinc vitæ habeat necessaria, evangelizat, ut manducet, & perverso nimis ordine Cœlestibus terrena mercatur. Quis proinde finis sit in ordine ad suscipienda beneficia Ecclesiastica patet, cum autem nec S. Pater, uti nec alii distinguant inter beneficia, sed universaliter quantum ad omnia beneficia loquantur, intentionem scilicet præfatam esse annexam, hinc supposito, quod Pontifex possit dispensare super pluralitatem beneficiorum, ut certum tamen teneri debet, quod eadem intentio sit observanda. Hoc supposito.

XLI. Respondeo, & dico t. summus Pontifex justis ex causis, scilicet ob Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem potest impertiri Canonicam dispensationem super beneficiorum pluralitatem. Porro hæc Ecclesiæ necessitas, vel utilitas exprimitur in quinque casibus, quos Raymundus assignat apud Dionys. Carth. c. l. *primus est, quando Ecclesiæ sunt in reditibus tam tenues, quod una non sufficit ad competentem sustentationem personæ, ita quod totidem potest habere, ut sufficiat ei ad victum. Secundus est, quando una dependet ex altera. Tertius est propter raritatem, paucitatemque Clericorum. Quartus est, si Ecclesia sit annexa præbendæ, vel dignitati. Quintus est, si habeat unam intitulatam, & aliam ex justa causa commendatam ad tempus, donec cesset talis causa, scilicet donec inveniatur persona idonea, si propter ejus defectum fuit Ecclesia commendata.*

XLII. Alii assignant tres circumstantias, vel causas, ob quas obtineri potest Canonica dispensatio super pluralitatem beneficiorum. *Prima* est necessitas Ecclesiæ, ut si sit idoneorum ministrorum penuria, verbi gratia in locis, ubi hæretici dominantur, vel se in beneficia intrudere nituntur. *Secunda* ejusdem utilitas, ut si quispiam sua doctrina, authoritate, aliisque qualitatibus plus emolumenti videatur allaturus Ecclesiæ, quam plures alii. Qua de causa fit, ut in partibus septentrionalibus viri illustres permittantur plura habere beneficia, quo potentiores sint ad tuendam Ecclesiam, & repellendos hæreticos. *Tertia* est evidens meritorum in Ecclesiam prærogativa, ut si quis Ecclesiæ utilem præstitisset operam sua doctrina, consilio, scriptione; dicit enim Apostolus t. ad Timoth. 5. *qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina.* Jam sive quantum ad istas causas tres, sive quantum ad illos quinque casus dispensetur a Pontifice super pluralitatem beneficiorum, & depurabitur pluralitas a deformitatibus supra §. 1. allegatis: & iterum remanebit intentio requisita quantum ad suscipiendum, vel retinendum beneficium, de qua supra num. 40. & quæst. 3.

XLIII. Quod vero in relatis casibus dispensari possit, quia tolluntur prædictæ deformitates, more suo optime docet S. Thomas quodl. 9. quæst. 7. artic. 15. O. dicens: *Sunt quædam actiones; quæ absolute consideratæ deformitatem, vel inordinationem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur: Sicut occidere hominem, vel percutere, in se deformitatem quamdam importat; si addatur, occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum videtur habere plures præbendas; quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire, ita honestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur; ut puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & possit plus servire Ecclesiæ, vel tantumdem absens, quam alius præsens: Et si qua alia sunt hujusmodi: Et tunc* ipsis

ipsis conditionibus supervenientibus eum recta intentione, non erit peccatum, etiam nulla dispensatione interveniente, si consideretur tantum jus naturale; quia dispensatio ad jus naturale non pertinet, sed solum ad positivum; Si vero aliquis hac intentione plura beneficia habet, ut sit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius ad Episcopatum perveniat in aliquam Ecclesiarum, ubi est præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur; quia cum tali intentione & unum beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, esset illicitum. Et sic quidem esset dicendum secundum jus naturale, etiam nullo jure positivo superveniente. Nunc autem certum est per jura antiqua hoc esse prohibitum .... si ergo antiqua jura, quæ hoc prohibent, in suo robore maneant, contraria consuetudine non obstante, certum est non posse aliquem plures præbendas habere absque dispensatione; etiam illis circumstantiis supervenientibus, quæ secundum considerationem juris naturalis actum poterant honestare.

XLIV. Respondeo jam, & dico 2. si desit justa dispensandi causa, nullus Clericus citra grave peccatum retinere potest plura beneficia, etiamsi dispensationem super pluralitatem beneficiorum sive per se, sive per alios impetraverit. Intelligo autem *dicendum*, quando beneficiarius aliunde habet beneficium ad honestam vitæ sustentationem sufficiens. Et ratio est; quia dispensatio juri divino, & naturali contraria nulla est, nullumque effectum in foro conscientiæ parit: At vero cessante legitima causa dispensandi prædicta dispensatio est utrique juri contraria, ut hactenus satis visum est: unde etiam Pontifex, ut sua dispensatio robur & firmitatem habeat, formulæ dispensandi universaliter inserere solet, *si preces veritate nitantur*, h. e. si adsit justa dispensationem impetrandi causa, secus nunquam dispensaturus. Atque hinc bene dixit Guillelmus Parisiens. lib. de collat. beneficior. cap. 6. *Si quis objecerit nobis ex Ecclesiis, in quibus non compellitur fieri residentia: Dicimus, quod non est libertas ex constitutione, & fundatione, sed ex longa consuetudine, & Clericorum malitia usurpata. Quod si objecerit nobis de dispensationibus Apostolicis: Respondemus, quod illa supra nos sunt, & quod juridice diligentius considerata, irrita sunt: & de omni dispensatione facta idem sentimus, nec interpretari præsumimur. Hoc tamen indubitanter sciendum est, quod Romanus Pontifex quantumcunque largam dispensationis gratiam videatur facere in beneficiis cum aliquibus personis, tamen non dispensat eum avaritia, cupiditate, vel ambitione earum; non enim intendit pascere, vel nutrire pestes vitiorum de bonis temporalibus Ecclesiasticis, quæ plane novit ad sustentationem servorum Dei in ejus servitio sacrificata esse Domino, & oblata.* Refert. a Dionys. Carthus. d. l. art. 8.

XLV. Id ipsum clarissimis terminis expressit S. Bernardus Epist. 7. ad Adam Monachum scribens: *Apostolicam (inquiunt) licentiam quæsivimus, & impetravimus. Utinam non licentiam quæsisset, sed consilium; id est, non ut liceret, sed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam? ut liceret, quod non licebat, facere itaque volebatis, quod non licebat; sed quod non licebat, malum erat. Mala igitur erat intentio, quæ in malum tendebat.... Hujus patrandi mali quærendam putastis esse licentiam, sed ad quid? an ut quanto licentius, tanto securius, eo & periculosius peccaretis? mira cautela, & stupenda providentia! malum, quod jam corde conceperant, opere tamen cauti fecerunt non implere, nisi cum licentia. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præbuisset assensum. Quo lucro? quove saltem compendio mali? nunquid ideo aut malum esse desiit, aut vel minoratum est, quia Papa concessit? quis vero malum esse neget, assensum præbere malo? quod tamen summum fecisse Pontificem, nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.* Idem habet lib. 3. de *Considerat.* ad Eugenium Pap. cap. 4. scribens. *Quid inquit? prohibet dispensare? non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

XLVI. Hoc idem cum innumeris aliis Doctoribus docent tres, non minus doctrina, & meritis in Ecclesiam, quam Cardina-

dinalitia dignitate insignes, purpurati Patres, Cajetanus nempe, Toletus, & Bellarminus. Primus in Summ. verb. beneficium, num. 9. inquit: *Nec excusatur peccatum mortale propter dispensationem Papæ sine rationabili causa: quoniam dispensatio Papæ cadit super jus positivum, & non super jus divinum, aut morale. Pluralitas autem beneficiorum sine rationabili causa est contra jus divinum, & morale, quo communia Ecclesiæ bona distribui juste debent partibus Ecclesiæ.* Secundus vero, seu Toletus lib. 5. *de Instit. Sacerdotum* cap. 8. ita inquit: *Ut in foro exteriori possit aliquis illa* (plura beneficia) *habere, satis est dispensatio; tamen ut in conscientia, & coram Deo tutus sit, necessaria est causa dispensationis. Hec autem causa debet esse in utilitatem Ecclesiæ, vel ob ipsius Ecclesiæ necessitatem. Quando causa non est in bonum Ecclesiæ, non est bona dispensatio, nec est homo securus coram Deo.* Tertius denique, seu Bellarminus in Instruct. ad nepotem suum Episc. Theanens. *Quia plures sunt*, inquit, *qui plura beneficia possident, cum dispensatione summi Pontificis sciendum est, Pontificum dispensationem, quando non adest justa causa dispensandi, valere in foro fori, non in foro poli, ut aperte docet S. Thomas.*

XLVII. Sed en! latum modo si æque expediret, ac liceret, ingrederer campum. Plura beneficia habere vetat jus divinum, & naturale, si unum sufficit ad vitam honeste sustentandam: aut si utrumque jus concedit pluralitatem beneficiorum, non concedit aliter; nisi dispensatorie *ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personarum utilitatem.* Ast quot hodie numerare liceret beneficiorum polygamia laborantes, quod impedimentum nec una, nec altera circumstantia ex præfatis tollit: sed pro utraque jam non raro adest avaritia, ambitio, superbia: adest pessima particularium affectionum inclinatio, adest carnis, & sanguinis relevatio, quæ *quam perniciosa sit pestis Ecclesiæ Dei, quanta speciositate membrorum suorum detruncaverit eam, quanta vitiorum spurcitia eam fœdaverit, quantum decorem virtutum, & gratiarum ab ea deleverit, sed & ipsum Creatorem quanta sui cultus, & honorificentiæ parte ab eo tempore defraudaverit, & adhuc incessanter defraudet, pia corda non absque vehementi dolore cogitent, deplangant, ac ingemiscant.* Hæc Dionys. Carthus. l. c. art. 8.

XLVIII. Cogitent, inquam, pia corda: Quin immo utinam multo magis cogitasent corda avara, ambitiosa, superba, ne se eo usque obnubilari sinerent a carne, & sanguine, ut quod in sæcularibus est damnabile, hoc in domo Dei exerceatur: Damnant Dei ministri, & bene, in sæcularibus avaritiam, ambitionem, &c. & ipsorum multi, qui unum beneficium tantorum redituum de quibus sæcularibus Dominus decenter vivere posset, & viveret, possident, sibi tamen non sufficere arbitrantur, quasi vero Clericis non incumberet temperantius vivere de patrimonio Crucifixi, quam hominibus sæcularibus de bonis hæreditariis. Sed quæ horum causa? S. Bernardus respondeat super illa verba, *ecce nos reliquimus omnia* inquiens: *Honorati volunt incedere, placere student hominibus, delectari, & superbire, & huic sæculo per omnia conformari. Audi querelas Domini, quid super hac tanta hominum temeritate loquatur: ipsi, inquit Osee 8. regnaverunt, & non ex me principes extiterunt, & ego non vocavi eos . . . . Væ, væ in domo Dei horrendum videmus. Quod nisi idolorum servitus avaritia est, si non idolorum servitus ambitio est, si non quibusdam etiam venter factus est Deus suus. Quod enim quisque præ ceteris colit, id sibi Deum constituisse probatur. Quantos videmus, qui Domino Jesu Christo non serviunt, sed proprio ventri: Quantos, qui honorem, & gloriam hominum magis, quam Dei quærunt, & diligunt.*

XLIX. Cogitent hæc sine justa causa pluraliter beneficiati, & timeant, ne aliquando in supremo judicii die contra quemlibet ipsorum illud pronuntietur, quod S. Isidorus Pelusiota in Epist. ad Palladium Diaconum scripsit: Nempe *in altero sæculo pronuntiabitur contra eum a Judice incorrupto in illo horribili tribunali, cum clamabunt esurientes his vocibus: nos quidem neque cibos ad necessitatem naturæ ab hoc accepimus, hic vero deliciis perfluens, & opes congerens, reliqua in honores splendidos insumpsit. Nudi dicent: Durior hic, & difficilior, quam hyems nobis fuit. Ægroti: Gravior ipsa ægritudine extitit. Pupilli: Nullum patrocinium ab eo tulimus. Viduæ: non attulit nobis consolationem. Inclusi in carcere: Non stillavit in nos la-*

erymam compassionis. Calamitosi: Non porrexit nobis manum sublevationis. Et (ut summatim dicam) cum omnes, quorum est Episcopus ordinatus, in eum clamaverint: Quid existimas, facturum esse Judicem incorruptum? An non graviter puniet, quem nec honor fecit meliorem? omnibus sane liquet, ita fore. Si quis vero non credit pronuntiationem sententiæ, in Evangelio legere potest: Dividet (inquit) eum, & partem ejus cum infidelibus ponet.

L. Cogitent hæc illi, qui consanguinitatis, nepotismi, *&c.* vitio corrupti, nullum non movent lapidem, ut pro suis, uno beneficio ad honeste vivendum sufficienti provisis, nescio, quibus fallaciis alterum adhuc, vel etiam plura beneficia dispensatoris extorqueant magis, quam impetrent; Væ illis, & amplius væ! tum quia hi plerumque (ut sæculares) ad spiritualem dispensationem se intrudunt, ægre ferentes, & merito si Ecclesiastici vel a longe ad sæcularium negotiorum administrationem, vel Officiorum dispensationem sese ingerant; tum quia omnium malorum ex similibus inique impetratis dispensationibus provenientium, & subsequentium causa sunt. Quod sciens S. Bernardus, ubi a Principe Theobaldo Campaniæ Comite requisitus fuisset, ut apud Eugenium III. Pontificem Maximum pro filio suo Willelmo intercederet, & certum quoddam beneficium in ejus gratiam, qui tamen jam unum habebat, impetraret, sic respondit Epist. 271. *Scitis, quia diligo vos, sed quantum novit Deus, melius quam vos. Me quoque diligi a vobis non dubito, sed propter Deum: quem si offendero, non erit, quod me diligere debeatis; cum jam non fuerit in causa Deus. Quis enim ego sum, ut de me tantillo tantus princeps curetis, nisi quamdiu Deum in me esse credetis? Ergo ut offendam eum, fortassis nec vobis expedit. Offendo autem procul dubio, si facio, quod requiritis. Nam honores, & dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eos digno, ac secundum Deum administrare & velint, & possint. Porro eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis, vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Ecclesiis habere licet, nisi dispensatorie quidem ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personarum utilitatem. Quamobrem si vobis videtur hic durus sermo, & places, quod cogitastis implere, parcite mihi in hoc, nam vos satis (ni fallor) per vos, & per alios amicos istud obtinere potestis. Ita nec vos minus, quod vultis efficitis, nec ego peccavi. Sane Willelmulo vestro cupio bene per omnia, sed ante omnia Deum. Hinc est, quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum. Quod si alius securus voluerit, nolo per me habeat, ne perdam & ego Deum.* Quæ quidem dicta S. Bernardi, si illi, & illi altius cordi imprimerent, credo fore, ut non tam de facili caro, sangnis, nobilitas, *&c.* beneficiorum pluralitatem impetrarent, seu melius extorquerent.

QUÆSTIO VI.

De Residentia Personali.

PErsonalis Residentia (quæ in re nihil aliud est, quam assiduitas commorandi, sive subsistendi in loco beneficii propter servitium Ecclesiasticum personaliter explendum) de jure communi omni omnino beneficio annexa est; beneficium enim datur propter officium a beneficiato præstandum: specialiter tamen personalem Residentiam exigunt omnia beneficia curata, sive curam animarum habentia. Præsenti proinde quæstione, Deo dante, discutiemus primo, an Episcopi, & Parochialium Ecclesiarum Rectores divino, naturali, & Ecclesiastico jure ad mansionem, sive residentiam personalem in suis Ecclesiis adstringantur? Secundo, quæ causæ ab hac personali residentia excusent? & iterum an extra has causas, absentes graviter peccant, simulque onus restitutionis incurrant? Tertio an Pontifex Summus obligationem residendi Episcopis, aut Parochis, aliisve curam animarum habentibus remittere possit?

§. I.

Quo jure beneficiarii ad personalem residentiam tenentur?

I. QUantum ad jus divinum attinet, hanc quæstionem temporum iniquitas celebrem fecit, inquit Soto *de just. & jur.* lib. 10. quæst. 3. art. 1. ex antiquis enim nullus erat, qui, teste Ca-

Cajetano in 2. 2. q. 185. art. 5. asserere fuerit ausus, quod Pastores animarum præcepto divino ad personalem residentiam non tenerentur. Quapropter in Concilio Tridentino acriter controvertebatur Theologos inter ac Canonistas: tandem Sess. 23. *de Reform.* cap. 1. ita definitum fuit: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini Prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt; Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate pascant, & regant.*

II. Jam ex hoc Concilii loco colligo sequentia: beneficiarios animarum curam habentes, debere oves suas *agnoscere*, ut sciant inter eas discernere, quod pertinet partim ad ipsos tanquam ad judices, partim tanquam ad medicos; *Ad judices* quidem ut sciat judicare inter hædum, & agnum: ad medicos vero, ut sciant oves infectas, & aliarum infectioni obnoxias curare. Ex eod. Concilii textu colligo secundo, animarum curam habentes debere easdem *pascere* verbo, exemplo, & Sacramentorum administratione, *&c.* Quod pertinet ad ipsos tanquam ad Doctores. Colligo tertio eosdem beneficiarios debere aliorum curam gerere, quod pertinet ad ipsos tanquam ad pauperum Patres, vel Procuratores, *&c.* Jam

III. Respondeo, & dico 1. Beneficiarii curam animarum habentes de jure divino tenentur ad Residentiam personalem in suis Ecclesiis. Pro quo sic argumentor 1. de jure divino beneficiarii curati debent agnoscere oves suas velut judices, & medici, secundum illud: *Ego sum Pastor bonus: & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ*, Joann. 10. Sed nequeunt oves suas cognoscere nec ut judices, nec ut medici, nisi personaliter resideant, nec vicissim oves possunt cognoscere Pastores suos, sive ut judices, sive ut medicos. Quomodo enim Judex rite judicabit inter hædum, & agnum; cum omni jure cautum sit, ut audiatur & altera pars, at vero nisi judex resideat, audiri altera pars non potest, nisi ex aliorum relatione, quæ ad rite judicandum non est sufficiens. Deinde a fortiori, quomodo Medicus spiritualis, morbum, & statum animi cognoscet & curabit, nisi id ipsemet præsens, & propria observatione intelligat? cum ex aliorum relatione nec Medicus corporalis morbo mederi possit. Et tandem quomodo ipsæmet oves Pastorem suum cognoscent, quem non vident? non vident autem, nisi personaliter resideat.

IV. Argumentor 2. Beneficiarii curati de jure divino tenentur ovibus suis præesse etiam cum evidenti periculo vitæ: & qui se tunc ab ovibus subtraxerit, Pastor non est, sed mercenarius; dicit enim Christus Dominus Joann. 10. explicans indolem boni, & mali Pastoris: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves: Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.* Atqui bonus Pastor ovibus præesse non potest cum periculo vitæ, nisi personaliter resideat, ergo de jure divino tenetur residere. Min. prob. qui de jure divino obligatur ad finem, ex eodem quoque jure obligatur ad media conducentia ad finem: atqui ad hoc, ut beneficiarii curati præsint ovibus cum periculo vitæ, qui est finis, personalis Residentia est medium proportionatum ad hunc finem: ergo, *&c.* Neque sibi quis imaginetur, Christum Dominum c. l. velle tunc tantum obligatum esse beneficiarium, ut ovibus assistat, quando v. g. grassatur contagiosa lues, aut belli periculum; nam contra est, quod Christus Dominus loquatur indiscriminatim, boni Pastoris esse officium, & debitum, *animam suam dare pro ovibus suis*: non igitur oportet, ut nos distinguamus, ubi æterna Veritas non distinguit. Quin immo si nos in hoc distinguamus, oportet, quod hoc non sit ex amore veritatis, sed ex radice libertatis.

V. Argumentor 3. Beneficiarii cum animarum cura de jure divino tenentur oves pascere secundum illud: *Pasce oves meas*. Joann. 21. Per quod Christi Domini mandatum S. Petro incumbebat pascere agnos, & oves, h. e. filios & Patres, plebes, & Pastores, sive Episcopos in tota Ecclesia per mundum universum diffundenda. Petro enim per dicta verba, vi quorum ipse cum

suis Successoribus in Sede Apostolica primatum jure divino obtinuit, non designabantur aliquæ, sed sine distinctione omnes pascendæ. Nam ut inquit S.Bernardus lib. 2. *de Considerat.* cap. 8. *Habent illi* (Episcopi, vel inferiorum Ecclesiarum Rectores) *sibi assignatos greges singuli singulos, tibi* (Petro) *universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor*. Jam sic: quemadmodum S.Petrus vi hujus præcepti *pasce oves meas* de jure divino tenebatur pascere, h. e. docere, instituere, gubernare, *&c.* Oves, & Pastores omnes; ita reliqui inferiores Pastores eodem jure tenentur singulos greges pascere: ergo quemadmodum Petrus, & Successores ipsius non potuissent, & adhuc non possent pascere oves, & Pastores, nisi præsentes essent respectu totius corporis Ecclesiastici tanquam capita, adeoque per Residentiam personalem, ita etiam inferiores ovium Pastores non possunt pascere suas oves, nisi personaliter præsentes sint respectu corporis inferioris Ecclesiastici tanquam capita.

VI. Argumentor 4. ex eodem textu. Æterna Veritas signanter dicit, *pasce* oves meas, & non dicit, sis Pastor ovium mearum, nam Pastores, adeoque Episcopi, Præsules, *&c.* esse & dici possunt etiam socordes, & somnolenti, *&c.* qui curam gregis actu non exercent: ergo Christus Dominus evidenter significare voluit, beneficiariis curatis incumbere exercitium pascendi oves: exercitium autem hoc fieri non potest sine medio præcipuo, quod est actualis præsentia, seu personalis Residentia. Inde enim est, quod, ut dixi supra quæst. 3. ex Apost. 1. Tim. 3. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat:* h. e. Non ille bonum opus desiderat, qui Episcopalem, vel etiam inferiorem dignitatem curatam desiderat, seu ut sit Episcopus, Prælatus, *&c.* sed qui onus, & laborem Episcopatui, vel alteri beneficio minori curato annexum desiderat; secus enim, prout pluribus dixi c. l. desiderium tale erit mortaliter peccaminosum: quod si ergo bonum opus desiderat propter onus ad junctum, necessum est, quod desideret & medium necessario annexum oneri, quod est personalis Residentia; & tunc verificabitur, quod *oves vocem ejus audiunt & proprias oves vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: & oves eum sequuntur, quia sciunt vocem ejus; alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum*. Joan. 10.

VII. Argumentor 5. De jure divino animarum Pastores tenentur ad opera misericordiæ spiritualia, & corporalia; Nam *oportet Episcopum irreprehensibilem esse ... Hospitalem, Doctorem* 1. Timot. 3. & iterum dicitur de quolibet Ministro curato: *Prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina*. 2. Tim. 4. Adeoque partes beneficiarii ut Doctoris sunt, verbum divinum prædicare, ignorantes docere, peccantes arguere, increpare; e vitiorum cœno educere, ex lupi tartarei faucibus eripere: dissidentes sine judiciorum strepitu componere, & conciliare; pusillanimes solari, dubios consilio sublevare; spiritualiter laborantium, & præcipue consuetudinariorum morbis mederi; Verbo, omnes optimo, ac saluberrimo Christianæ doctrinæ pabulo reficere. Ex hoc autem, quod oporteat Episcopum, seu etiam inferiorem beneficiarium esse *hospitalem*, manifestum fit, quod pauperum, viduarum, orphanorum, peregrinorum, captivorum, *&c.* curam gerere debeat, cum præsertim superfluos reditus possidet, secundum illud, *quod superest, date eleemosynam*. Luc. 11. Ex quibus hactenus recensitis piis operibus aperte colliguntur opera misericordiæ spiritualia, & corporalia. Jam sic; Episcopi, aliique Rectores de jure divino tenentur ad præfata opera; ergo ex eodem jure tenentur ad personalem Residentiam, cum sine hac prædicta opera, saltem plura, & potiora exerceri non valeant.

VIII. Respondeo, & dico 2. Episcopi, aliique Rectores tenentur ex jure naturali ad Residentiam personalem in suis Ecclesiis. Pro quo adverto, Episcopos, aliosque animarum Rectores ab Evangelica veritate nuncupari salem, lucem, civitatem supra montem positam, *&c.* dicitur enim Matth. 5. *Vos estis sal terræ:* &; *vos estis lux mundi:* ac iterum; *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona:* ac denuo; *Non potest civitas abscondi supra montem posita*. Præterea vocantur animarum medici. Jam argumentor 1. ipsa natura dictat, lucem lucere non posse; nisi ut præsentem; ergo Rectores animarum dicantur *lux mundi* non quidem Physice, sed Metaphorice, & participatione veræ

lucis,

lucis, quæ est Ipse Christus, de quo Isa. 49. Pater æternus ait: *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*, pariter lucere non possent ex instinctu naturæ, nisi ut personaliter præsentes: lucent autem, in quantum ignorantiæ tenebras a populorum sibi commissorum mentibus dispellere, ac homines in viam salutis dirigere tenentur. Dixi, Rectores animarum esse *lucem Metaphoricè, & participatione veræ lucis, quæ est Christus*; Nam ipse est lumen illuminans, & non indiget alio lumine, ut lucere possit; sed ipso indigent cetera, ut luceant: Rectores vero animarum sunt lumen mundi, sed illuminatum a Christo, qui est vera lux.

IX. Argumentor 2. ex hoc, quod Apostoli, & qui Apostolorum locum tenent, aut functiones obeunt in Ecclesia, ut Episcopi, aliique animarum Rectores appellentur *sal terræ*, debent primo homines, nomine *terræ* significatos, sale sapientiæ condire, verboque Evangelico, ac doctrina cœlesti, sine qua nemo sapit. 2. debent mores eorum a corruptione, & putredine servare, tum ejusdem verbi prædicatione, velut salis conspersione; tum sanctæ conversationis exemplis, jam sic; Quemadmodum ex instinctu naturæ sal, si evanidum, marcidum, aut corruptum fuerit, terram non potest fœcundare, quia *ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*; ibid. sic a fortiori non potest terram fœcundare, si omnino physice applicatum non fuerit; ita pariter Episcopi, aliique animarum Rectores, si muneri suo physice desint per absentiam personalem, terram, nempe homines, sibi subditos non possunt fœcundare; Adeoque ut dixi, quemadmodum sal corruptum ad nihilum valet, nisi ut projiciatur, & a quibusvis prætereuntibus conculcetur, sic mystici salis, animas nempe egentium, pravitatem, languorem, fatuitatem, vel omnino Physicam absentiam, pœna gravis excipit. Non tantum pretium omne, usus omnis illi sali decedit, sed & illius jactura redditur irreparabilis, quia hi servi nequam, & muneri suo deficientes merentur ejici in tenebras exteriores.

X. Argumentor 3. per civitatem supra montem positam bene intelliguntur Apostoli, & qui ipsis in functionibus succedunt, hi enim instar civitatis supra montem positæ omnium oculis expositi esse debent, ut ipsos aspiciens populus, vitæque ipsorum sanctimoniam, & egregia virtutum exempla considerans, ad viam salutis redeat, si forte ab ea deflexerit; nam si populus viderit opera bona suorum Prælatorum, movebitur ad glorificandum Patrem, qui in Cœlis est: quoniam si luceat lux Prælatorum coram hominibus, *non solum* (inquit Sanct. Chrysost. hom. 15. in Matth.) *corrigetis orbem rectè, sanctèque vivendo, verum etiam glorificari Deum ex conversatione vestra facietis: quemadmodum si contraria feceritis, & homines perdetis, & Dei nomen blasphemiis offendi facietis.* Jam vero quomodo coram hominibus lucebunt, nisi oculis omnium pateant? quomodo autem oculis omnium patebunt, nisi personaliter præsentes sint?

XI. Argumentor 4. medici corporales vi justitiæ commutativæ, adeoque de jure naturali tenentur ad Residentiam personalem in locis, in quibus mercede conducti sunt: Ergo a fortiori Medici spirituales, seu animarum pastores vi justitiæ commutativæ, adeoque & de naturali jure tenentur ad residentiam personalem in Ecclesiis, ad quas mercede conducti, seu potius beneficiati, & intitulati sunt. Dico *a fortiori* quantum enim anima præstat corpori, tanto major est obligatio medici spiritualis, quam sit obligatio Medici corporalis. Jam sicut corporalis *medicus inter sanos non commoratur* ut habet Diogenis effatum, ita a contrario inter infirmos commorari debet ex lege naturæ, si mercede conductus est; Ita etiam Medicus spiritualis inter sanos non commoratur, de lege naturali tamen obligatur commorari inter infirmos, seu peccatores; At vero quis est, qui Pharisaico supercilio de justitia sua præsumat, & non potius se peccatorem esse agnoscat, & confiteatur, cœlestisque medici opem implorare non cesset, qui sanguine suo medicamentum facit ægrotis? *omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei*. Primus homo ita conditus est, ut si obediret Deo, semper beatus, & immortalis esset: Sed præceptum impositum neglexit, contempsit, ac intemperantia sua decidit in malam valetudinem hujus mortalitatis; sed ad afflictum, & laborantem Medicus cœlestis adest Christus; nam *non opus est sanis Medicus, sed male habentibus*. Matth. 9. Jam ex una parte si omnes peccaverunt, quis est, qui infirmus non sit? alius namque laborat in hoc, alius in alio: Ex alia vero parte,

animarum Pastores sicut sunt *lux mundi* participatione veræ lucis, quæ est Christus, sic etiam sunt medici spirituales participatione a Christo: Adeoque sicut Christus, ut sanaret male habentes, seu ut vocaret peccatores ad pœnitentiam, personalem præsentiam exhibere voluit, sic etiam reliqui animarum Medici nempe participative tales, si male habentes, seu si peccatores ad spiritualem sanitatem reducere volunt, ad quod vi officii obligantur, certe ex naturali dictamine ad personalem residentiam adstringuntur.

XII. Respondeo, & dico 3. Episcopi, ceterique animarum Pastores de jure positivo tenentur ad residentiam personalem in suis Ecclesiis. Si jus antiquum quoad hoc spectemus, responsio est indubitata, quem in finem nonnulla Canonici juris decreta adducere consultum judico. Primo igitur Concilium Lateran. sub Alexandro III. capit.13. relat. cap. *nonnulli*. Ext. *de Clericis non residentibus* statuit: *Cum Ecclesia, vel Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per se ipsam valeat exercere, quodsi aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra sacros Canones accepit, amittat; & qui dederit, largiendi potestate privetur*. Id ipsum ex eod. tit. sæpius expressis terminis colligitur, quod scilicet, præsentatus ad Ecclesiam non confirmatus, si apparet, quod nolit residere, non debeat institui per superiorem; confirmatus autem ex non justa causa non residens, privari debeat beneficio; appellatione remota: prout rescripsit Alexander III. c.relat. Eboracensi Archiepiscopo, Cœlestinus III. c.*ex parte vestra*: Innocentius III. cap. *qualiter*, & alii Pontif. ibid.

XIII. Eadem responsio probat. 2. ex aliis decretis relatis cap. 7. quæst. 1. nam Can. *placuit*, interdicitur Episcopo, *ne relicta principali Cathedra ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferat* (excepta causa visitationis, vel alterius urgentis necessitatis) *vel in re propria diutius, quam oporteat constitutus, curam, vel frequentationem propria Ecclesiæ negligat*. Et Can. *si quis in Clero constitutus ab Ecclesia sua diebus solemnibus defuerit, id est, Nativitate Domini, Epiphania, Pascha, vel Pentecoste, dum potius sæcularibus lucris studet, quam servitio Dei parere, convenit, ut triennio a communione suspendatur. Similiter Diaconus, vel Presbyter, si per tres Hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit, huic damnationi succumbat*. Nicolaus I. respondet, non minus juri naturali repugnare, ut Episcopus (idem est judicium de quolibet alio beneficiario curam animarum habente) Ecclesiam sibi commissam persecutionis tempore deserat, quam ut Proreta navim tempestate jactatam: inquit enim: „ præcipue nos, qui tanquam „ arietes ducatum gregibus præbemus, imo qui & horum Pastores sumus, Deo „ Auctore cum eis in periculis pro viribus „ persistere pro certo conveniat. Et cum „ tranquillitas reddita divina fuerit pietate, „ sopitaque furentium infestatio, mox gregem requirere & in unum colligere, & „ ejus animos cœlestis patriæ pace, ac potissimum securitate prædicata sursum erigere debemus. Et tam diu super eorum „ cautela oportet nos esse sollicitos, ut si „ Dei judicio præsentis temporis commoda „ fortassis amittunt, futuræ vitæ se sperent gaudia absque ambiguitate percipere „ sempiterna „.

XIV. Præterea vel quis Clericus non residet, quia est in duabus Ecclesiis conscriptus, vel quia in una duntaxat conscriptus, etiam illam deserit? secundum est aperte contra jus divinum, & naturale, ut sæpius visum, licet ob identitatem rationis etiam primum utrique Juri repugnet: contra SS. Canones tamen manifeste pugnat; nam 21. quæst. 1. *Can. Clericus*, dicunt: *Audivimus ex ipsa Dominica voce* Matth. *6. quod* nemo potest duobus Dominis servire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. *Unusquisque enim secundum Apostolicam vocem*. 1. Corinth. 7. *in quo vocatus est, in hoc debet manere, & in una locari Ecclesia. Quæ enim per turpe lucrum in Ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt a Deo*. Adeoque secundum Canonem residentia personalis est necessaria in Ecclesia, in qua Clericus est conscriptus.

XV. Hactenus quantum ad jus antiquum: De jure novo autem nihil constat esse innovatum, sed multo magis confirmatum fuit quando *placuit Sacrosanctæ Synodo* Tridentinæ Sess. *6. de Reform. c. 1. Antiquos Canones, qui temporum, atque hominum injuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare*: Unde monet omnes, & singulos

los beneficiarios curatos, „ ut attendentes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant, implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo Judice requirendus, custodiæ minime incumbant. Cum certissimum sit, non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & Pastor nescit „. Decernit proinde eadem Synodus ibid. Quod „ si quis a Patriarchali, Primitiali, Metropolitana, seu Cathedrali Ecclesia, sibi quocunque titulo, causa, nomine, seu jure commissa, quacunque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat legitimo impedimento, seu justis, & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Diœcesim morando absuerit, quartæ partis fructuum unius anni -- pœnam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum, -- eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum Canonum censuræ subjiciatur. Metropolitanus Suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem Suffraganeus Episcopus antiquior Residens sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras Romano Pontifici denuntiare teneatur, qui in ipsos absentes, prout cujusque major, aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ Sedis Auctoritate animadvertere, & Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverint expedire „. Mens præterea ejusdem Concilii abunde constat ex num. 1. hac quæst. a primo ad ultimum ergo stat, personalem residentiam jure divino, naturali, & positivo, seu Ecclesiastico præcipi.

XVI. Sed quæres, si ergo personalis residentiæ obligatio ex triplici jure descendit, in quo consistat hæc residentia? Respondeo, ex hoc, quod dicatur *personalis*, non esse intelligendam residentiam quamcumque corporalem, sed ea duntaxat, vi cujus beneficiarius curatus, ea, quæ sui muneris, & officii sunt, pro posse præstare satagit: adeoque vi residentiæ personalis Episcopus, vel Parochus, quantum fieri potest, tenentur per semetipsos officium Episcopi, vel Parochi obire: & hinc dum de facili officia sibi propria ad Vicarios devolvunt, a peccato immunes non erunt, a gravi, vel levi pro rata negligentiæ; dicit enim scriptura Ezechiel. 34. *nonne greges a Pastoribus pascuntur?* Hoc est, oportet, quod Episcopi, & Parochi, tanquam animarum Pastores, *divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio, & veritate pascant, & regant*, ut loquitur Concil. Trid. Sess. 23. *de Reform.* cap. 1. & merito; Episcopus enim respectu suæ Diœcesis, Parochus respectu suæ Parochiæ sol est, & lux: quemadmodum ergo sol non solum suo affixus est Cœlo; sed in continuo versatur motu, ut suum circumquaque lumen, & calorem diffundat, ita Episcopo, vel Parocho non sufficit, quod solum corporaliter suo affixi hæreant cælo, hoc est Diœcesi, vel Parochiæ, sed insuper necessum est, quod lumen, & calorem vivificum continuo diffundant in animas suæ curæ commissas, tum exemplari vita, tum fideli functionum suarum exercitio.

XVII. Id, quod optime explicat Concilium Aquilejense ann. 1596. c. 5. apud Nat. Alex. Theol. tom. 2. reg. 45. inquiens: *Quod vero de Episcoporum Residentia a Sacro Tridentino Concilio, & summorum Pontificum Constitutionibus cautum est; hoc non est intelligendum, ut præsentia assideant, nihil præterea agant: cum ex sacris Canonibus Residentia sit accipienda in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa: id, quod duobus præsertim Tridentinæ Synodi verbis egregie exprimitur:* ut pascant, & regant. *Quorum primum ad vitæ innocentiam, ad salutaris verbi Prædicationem, ad Sacramentorum administrationem, & bonum exemplam pertinet. Secundum ad disciplinam restituendam, ad mores purgandos, & juris Ecclesiastici dictionem, ad bonorum laudem, & vindictam malorum sustinendam spectat. Utrumque si præstiterint Episcopi, satis illa, quæ sunt Episcopalis muneris, videbunt præstitisse, & implesse.* Et c. 6. *Qui curam animarum ex officio susceptam habent, rei debent, quam sustinent, quæ singulis periclitatur momentis, præsentem operam dare: atque hi quidem, ut corporali insistunt Residen-*

sidentia, ita piis debent conatibus urgere, ne quid propter illorum incuriam, aut nequitiam pereat, & reddendæ rationis obligatione malum custodem obstringat. Debent curati meminisse, datos se populis mediatores inter Deum, & homines, ut sacra frequenter facere pro Ecclesia sancta Dei, & populo sibi commisso non omittant, ut verbum Dei, cujus dispensatores facti sunt, inculcare animis fidelium non desinant; ut Sacramenta petentibus ministrare, vel proponere, & suadere maxima diligentia studeant, ut vitæ integritatem in exemplum aliis prætendant, & quasi lucernis ardentibus viam demonstrent, qua per divinorum mandatorum observantiam in Cœlum ascenditur.

XVIII. Si ita est, quemadmodum & aliter esse nequit, en quanta obligatio animarum pastoribus incumbit, ut continuas excubias super gregem sibi commissum agant, adeo ut nec pernoctare deberent absque necessaria, & legitima causa extra parochiales ædes. Væ proinde illis, qui non raro quamcunque ratiunculam sufficientem arbitrantur, ut per aulas principum vagentur, sæculorum vanitates frequentent, vel lucrum aliquod temporale promoveant, magis nempe solliciti de his vanitatibus, nugis, &c. quam de sibi concreditis oviculis, quas domi pastore spoliatas relinquunt: Immo nonnunquam, ut sic spoliatas in domum æternitatis abire sinunt. Clamabat olim Genes. 4. vox sanguinis Abelis occisi de terra ad Dominum: Clamabunt aliquando hæ animæ neglectæ ad suos pastores: *Vobis commissæ fuimus, & nos neglexistis*. Et quid erit super, nisi quod *judicium durissimum his qui præsunt, fiet*. Sap. 6. nam ut cominatur D. Deus Ezech. 34. *ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum*.

XIX. Sed forte objicient mihi regulam Jur. 72. quæ dicit, quod *qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum*, ac proinde Pastor esto absens subinde sit, si tamen per substitutum, seu Vicarium curam animarum gerat, perinde erit, ac si per seipsum faciat. Sed contra Respondeo, id quidem nonnunquam fieri: Allegata autem juris regula tunc locum habet, quando actiones non sunt ita personales, seu personæ annexæ: At vero functiones Episcopi, vel Parochi sunt plane personales, seu personæ annexæ, quantum fieri potest; quia, ut sæpius dictum est, beneficium datur propter Officium, ergo quemadmodum beneficium dicitur, & est personale, h. e. Episcopale, vel Parochiale, *&c.* immediate personam Episcopi, vel Parochi afficiens; ita & Officium debet esse personale, seu ab ipso beneficiato, quantum fieri potest, proveniens. Accedit, quod Dominus de manu Pastorum, & non de illis immediate qui non sunt per se Pastores, gregem suum se requisiturum cominetur.

XX. Insisto jam, & amplius Væ illis, qui quidem corpore præsentes sunt, & resident, sed moribus, vita, spiritu Pastorali longe absentes sunt, semetipsos potius pascentes, quam gregem, cui scandalo sunt. Et utinam subinde tales Pastores non esset hodiedum numerare, in quibus præter nomen *Pastoris* cernas nihil, qui esto personaliter resideant, nihil minus tamen cogitant, quam pro viribus omnes pastoralis Officii partes adimplere: Deum nempe parum curant, sed magis negligunt exhortandi, instruendi, & docendi munus. Durum, & nimium esset omnem industriam, viresque omnes impendere ad obstruendas inferni fauces, ne in eas incidant illi, quorum regimen ipsis commissum est, quid ergo hos tales expectabit, nisi æternæ damnationis periculum. Non mea hæc est sententia, non alicujus ex sanctis Patribus, sed ipsiusmet Dei per Prophetam Ezechielem 3. protestantis: *Si dicente me ad impium morte morieris: Non annunciaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, & vivat: Ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram:* h. e. mortem ejus in te ulciscar, & lues pro illo.

XXI. Sed unde est, quod licet subinde animarum Pastores personaliter resideant, divino tamen Residentiæ præcepto non satisfaciant? pro prima responsione liceat mihi referre revelationem ab æterna sapientia factam beato Henrico Susoni in extasi constituto. Recensentur autem *in Libel. de 1. Rupib. cap.* 12. Contemplare, qualiter modo Sacerdotes sua consumant bona, quomodo Ecclesiæ proventus in luxuriis, comessationibus, crapulis, & superbia propudiose dilapident, ac dissipent; quam modicum attendant ad sui status, & vocationis dignitatem, & honorem: quam parum de iis, quæ ad Dei cultum, ac gloriam pertinent, curent, vel solliciti sint; omnis quippe illorum fervor,

vor, intentio, ac devotio erga Deum frigefacta, immo extincta est: nulla, vel modica, quæ Dei, & salutis animarum sunt, sollicitudine tanguntur, sed unicum eorum studium, labor, & cura est, qua via, quo medio Ecclesiæ reditus conradere, & augmentare, magnam rerum ad suum statum impertinentium notitiam haurire valeant, quo sic apud mundum, mundique amatores in numero, & æstimatione esse possint, vilium homunculorum favorem, & plausum pluris ducentes, & intentius sectantes, quam Dei amicitiam, & gratiam, futuramque beatitatem. Ita Christus ad Simonem. Faxit jam Deus, ne hæc lamenta ullos ævi nostri spirituales Pastores afficiant: aut si afficerent, Pastores non essent, esto gregi suo personaliter assisterent.

XXII. Ex his jam sequitur secunda Responsio ad factam quæstionem. Personaliter Resident animarum Rectores in suis Ecclesiis, damus: divinum verbum prædicant, Sacramenta administrant, transgressores mandatorum Dei corripiunt: verbo, zelant honorem, & animarum salutem: hi, inquam, corporaliter resident, damus; Sed utinam nulli sint, qui moribus, vita, spiritu longe absint; at vero moribus, vita, spiritu *&c.* longe absunt, qui dum alios erudire, & in viam salutis dirigere intendunt, ipsimet tamen virtutibus, & piæ conversationis exemplo deficiunt. Tunc autem quomodo alios erudient & in viam salutis dirigent? Dicit enim Apostolus Rom. 2. *Qui alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras?* Adeoque similibus animarum Medicis merito objici posset illa Cælestis Magistri Parænesis, *Medice cura teipsum* Luc. 4. h. e. si alios ad observantiam mandatorum Dei inclinare volunt, ipsi Prædicatores prius exemplo præluceant, quod observent, secus in vanum laborabunt; nam ut bene dicit S. Thomas Op. de er. Princ. lib. 5. cap. 9. *Bonum opus verbum confirmat: malum vero illud infirmat. Vita mala suspectam reddit doctrinam. Quis credat dicenti sibi, cibum aliquod esse venenatum, si eo vidente ipsum sumat? sic exemplum boni operis plus ædificat, quam sermo: sic exemplum mali operis magis corrumpit. Indignum est, cælestem doctrinam esse in vase immundo. Parum proficit ejus doctrina, cui repugnat vita.* Et hinc falsi animarum Pastores, qui bonam doctrinam malis moribus inficiunt in Ecclesiæ agro, infestis locustis comparari possunt, de quibus dicitur Apoc. 9. *de fumo putei exierunt locustæ in terram*, h. e. interprete S. Thoma com. 2. ibid. *Falsi Prædicatores in Ecclesiam, terrena amantes, & quærentes. Et isti comparantur locustis, & saliunt in alium per superbiam, cadunt in terram per avaritiam, plus diligunt terrena, quam cœlestia: quod signant crura locustarum, quæ retro sunt longiora. Tales sunt modo in Ecclesia multi Doctores, & Prædicatores;* unde Nah. 3. *custodes tui quasi locustæ, & parvuli tui quasi locustæ locustarum.*

XXIII. Si ita est, repeto; Damus, quod multi Pastores per corporalem Residentiam gregi suo Ecclesiastico invigilent, nego tamen exinde statim deduci, quod divino, naturali, & positivo Residentiæ præcepto satisfaciant, quoad usque ipsimet spirituales Pastores curent, ut a peccatis sint mundati, sancti, perfecti, in spiritualibus illuminati, divino amore accensi, *&c.* ut deinde valeant alios a peccatis mundare, sanctificare, perficere, alios in Cælestium agnitione illuminare, ac divini amoris flammis accendere. Si enim ad hoc non satagant, audeo dicere, quod Pastores non sunt, sed cæci duces, qui cum semetipsos in viam salutis dirigere negligunt, quomodo veraciter, ac fideliter poterit, quod sint alios in viam salutis directuri? *Qui* enim *sibi nequam, cui alii bonus erit*, juxta certum nimis Siracidis effatum Eccli. 14. & insuper: *Cæcus si cæco ducatum præstet*, nonne *ambo in foveam cadunt?* Matth. 15. Quin immo audeo dicere, quod a similibus malis Pastoribus omnis Christiani Orbis spiritualis ruina oriatur, quia *a Prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram* Jerem. 23. propter mala nempe exempla, dum *dicunt, & non faciunt*: aliud nempe faciendum prædicant, aliud ipsimet practicant: & mirum erit, si sicut Sacerdos, seu Pastor, sic & populus sit: Quod probe agnovit S. Pius V. Pontifex Maximus qui admonitus, Ecclesiam reformatione indigere, pie & sapienter respondisse fertur: *Prædicatores, & Confessarii suum, ut par est, munus exerceant, & ecce Ecclesia in omnibus reformata jam est.*

t §.II.

§. II.

An, & quæ sint Causæ excusantes a personali Residentia?

STatuto, quod personalis Residentia requiratur de jure divino, naturali & positivo, manifestum est, quod Episcopi, Parochi, vel alii quicunque beneficia curata habentes, lethalis peccati reatum incurrant, penes statutas a Jure pœnas contra non residentes, si nimirum personaliter non resideant, nisi habeant legitimam & Canonicam absentiæ causam. Resolvendum ergo hic est, quænam sit talis causa.

XXIV. Respondeo, & dico, nulla absentiæ causa legitima est & Canonica, nisi Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas. Responsio clara est ex Concilio Trid. Sess. 23. cap. 1, *de Reform.* ubi decernitur: *Cum Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant; decernit eadem Sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas a beatissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente, Suffraganeo Episcopo antiquiori Residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas: nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ Officium Episcopatibus adjunctum, cujus quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eos quidem significare Metropolitano necesse erit. Ad eundem tamen cum Concilio Provinciali spectabit judicare de licentiis a se, vel a Suffraganeis datis, & videre ne quis eo jure abutatur, & ut pœnis Canonicis errantes puniantur.*

XXV. Hæc Concilium quoad absentiam longiorem decernit: quoad absentiam vero minus diuturnam sic statuit c. l. *Quoniam autem, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; sacrosancta Synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summam tres menses excedere; & haberi rationem, ut id ex æquo fiat, & absque ullo gregis detrimento. Quod an ita sit, abscendentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam, & timoratam fore, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debeant, nisi ab Ecclesia sua Cathedrali nullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos alio vocent.*

XXVI. Extra has ergo causas nulli, sive Episcopo, sive inferiori beneficiario curato licet a personali residentia abscedere citra grave peccatum, & fructus restituendi obligationem pro rata temporis absentiæ: id quod iterum decernit Tridentina Synodus ibidem inquiens: *Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus decreti* (nempe de Pastorum Residentia) *dispositionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus præter alias pœnas adversus non Residentes, sub Paulo III. impositas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, cum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse: sed teneri aut ipso cessante, per superiorem Ecclesiasticum illos fabricæ Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare, prohibita quacunque compositione, vel conventione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur; ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur.*

XXVII. Hactenus Concilium specialiter contra Episcopos non Residentes mentem suam declaravit: pergit autem *ibid.* contra inferiores Curatos non Residentes sic statuendo: *Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas, de Curatis inferioribus, & aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, & decernit: ita tamen, ut quandocunque eos, causa prius per Episcopum cognita, & probata abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi, non obtineant. Quod si per Edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis, per*

cen-

censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem & subtractionem fructuum, aliaque Juris remedia, etiam usque ad privationem, compellere.

XXVIII. Ex his jam infero primo, ad exemptionem a Residentia personali tam necessariam esse unam ex allegatis causis, ut si nulla adsit, quicunque beneficiarius Curatus, etiam Episcopus Cardinalis, a peccato gravi, & fructus restituendi onere non sit futurus immunis: & hinc mansio, & servitium in Curia Romana Canonica absentiae ratio non est. Nam post Concilium Sanctissimi Romani Pontifices Pius IV. & S. Pius V. ac Gregorius XIII. (teste Synodo Ebrolcensi) omnes Curatos, etiam Episcopali, vel Cardinalitia dignitate fulgentes, vel de curia (esto ipso facto universali Ecclesiae ibidem servirent) ad residentiam compulerunt, vel coegerunt beneficiis cedere, ac gravissimas poenas in non Residentibus constituerunt, non obstante quocunque privilegio, vel consuetudine. Et hoc merito exequebantur praedicti sanctissimi Pontifices, tum quia optime noverant, residentiam personalem esse de jure divino, & naturali, in quo neutro potuissent dispensare, minus immutare, licet potuissent declarare, quod hic & nunc non obliget utrumque jus: ad declarationem autem talem necessaria erat una ex praedictis causis. Tum id exequebantur, ne aliis Residentiam deserendi praeberetur occasio, cum facili negotio possent adinvenire aliquam causam (ad excusandas nempe excusationes in peccatis) ut in Curia Romana morarentur, vel forsan vagarentur.

XXIX. Infero 2. Divinum Residentiae praeceptum violare illos, qui non resideant, praetexunt litigia, aut suscitant ipsimet devoluta, ne videantur sua beneficia pacifice possidere. Quare tribunalia frequentant, saecularibus negotiis se nimium implicant: Unde si in similibus casibus revera non subsistat gravis, & urgens Ecclesiae suae necessitas, hi tales litigantes a lethali peccato, & restitutionis onere immunes non sunt. Neque illi praedictum praeceptum implent, qui amicorum, consanguineorum vexationem, & oppressionem causantur, unde *Christianam caritatem* praetendentes iterum saecularia tribunalia frequentant, Principum aulas ingrediuntur, saeculares actiones continuant, ut reipsa & semet saeculares probent; hi, inquam, divinum Residentiae praeceptum non implent, quia hic non habet locum *Christiana caritas*, ubi, quod tales Clerici curati praestant, possunt ipsimet amici, vel consanguinei per se praestare, & quidem sine detrimento Ecclesiae, ad quam Clericus conscriptus est, quod tamen detrimentum an non sequatur ex absentia Curati, videri ipse.

XXX. Infero 3. Beneficiarium, qui per semetipsum potest Parochialem Ecclesiam regere, & Pastorales functiones in ea obire, divinum Residentiae praeceptum non implere, si Ecclesiam regat, vel functiones obeat per Vicarium, aut conductitium Sacerdotem. Quin immo moraliter absens censeri debet a Residentia, & vel ideo gravi peccato, & restitutionis oneri obnoxius. Ratio sumitur ex dictis num. 3. 4. 5. & 6. hac quaest. ubi saepius dixi, animarum Rectoribus ex divino praecepto incumbere munus pascendi oves secundum mandatum a Christo Domino, S. Petro datum Joan. 21. *pasce oves meas*: At vero munus pascendi personale est, unde personam sequitur. Quapropter in hoc casu Vicarius, aut conductitius sacerdos *Pastor* non est, ergo mercenarius est, ad quem nemo non pertinet de ovibus. Deinde quaero, quare Vicarium adhibet; vel enim occurrit aliqua causa ex allegatis n. 24. vel nulla occurrit? si aliqua occurrit: Ergo habet fundamentum impetrandi dispensationem super Residentiam, ubi potest relinquere Vicarium, sed non quemcunque, minus Sacerdotem conductitium, sed ab Ordinario approbandum juxta Trid. n. 27. allegatum. Quod si vero nullam causam habeat beneficium per Vicarium administrandi, quid aliud remanet, nisi quod pro ratione stet libertas, ut nempe onere & labore rejecto liberius otium & commoditates sectentur, saecularium conversationes frequentent, urbes & oppida percurrant, Magnatum gratiam & favorem aucupentur, verbo, ut saecularizent.

XXXI. Praeterea (ut ex proprio ore, similium nempe Pastorum, judicem) hi Pastores gravis peccati, & restitutionis faciendae reos pronunciabunt Judicem, Consulem, Praetorem, Ducem, Medicum, *&c.* si mox recensiti officia sua *personaliter*, seu per functiones personales non expleant, sed per Vicarios administrent; dicent namque, & bene, ex una parte per administrationem Officii a Vicario gravem inju-

riam oriri bono Communi, & Reipublicæ, eo quod contractus si non expressus, saltem tacitus non sit initus inter Rempublicam & Vicarium, sed Rempublicam, & hanc in individuo personam Judicis, Consulis, *&c.* ex alia vero parte dicent, Judicem, Consulem, *&c.* injuste stipendia recipere, adeoque cum onere restitutionis: nam stipendia a Magistratu, vel supremo Judice propter personales functiones decreta sunt. Ita judicant hi Pastores de Ministris sæcularibus. Jam quæro, an ignorent, inter se quoque, & Ecclesiam suam, seu oviculas sibi concreditas initum esse rigorosum contractum vi electionis ad beneficium, ut in propria persona animas Christi sanguine redemptas regant, pascantque verbo divino, doctrina, Sacramentis, exemplo? *&c.* Ergo dum hoc non præstant in propria persona, cum possent, violant contractum graviter obligantem; ergo graviter peccant. Quæro iterum, an ignorent, se beneficii reditus, decimas, oblationes, *&c.* ex unico titulo officii recipere? Ergo dum officium in propria persona non explent, sed Vicario, aut conductitio Sacerdoti committunt, injuste decimas, reditus, *&c.* recipiunt, ac vel inde cum, & sub onere restitutionis.

XXXII. Hoc tamen *tertium illatum* non extenditur ad eum casum, quo beneficiarius haberet Parochialem Ecclesiam, Dignitati, vel Præbendæ annexam; quia tunc si resideret in Ecclesia Majori, satisfaceret suo officio, dummodo perpetuum in Parochia Vicarium Canonice institutum, & congrua portione de Parochiæ reditibus donatum haberet. Hæc tota limitatio colligitur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 32. ubi habetur: *Qui vero Parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per seipsum illi deserviat, nisi forte dignitati vel Præbendæ Parochialis Ecclesia sit annexa: in quo casu concedimus, ut qui talem habet Præbendam, vel Dignitatem, cum oporteat eum in Majori Ecclesia deservire, in ipsa Parochiali Ecclesia idoneum, & perpetuum habeat Vicarium Canonice institutum, qui congruam habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus portionem: alioqui illa se sciat auctoritate hujus Decreti privatum, libere alii conferenda, qui velit, & possit, quod dictum est, adimplere.* Refert. cap. *Extirpandæ*, Ext. de *Præbendis*.

XXXIII. Infero quarto, graviter peccare illos, qui dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis obtinent, si diutius, quam tribus ad summum mensibus, sive continuis; sive interruptis, a beneficiis suis absint. Nam Concilium Tridentinum Sess. 24. *de Reform.* cap. 12. ita decernit: *Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: Salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, aut Residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eo anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia contra eos juxta sacrorum Canonum Constitutiones procedatur.* Et hoc Decreto Sacra Synodus omni consuetudini (dixero, corruptelæ) non residendi, aut ultra tres menses vacandi, aut fructus in absentia percipiendi derogatum voluit. De cetero in hoc Decreto Concilii notari oportet, quod dum tres menses pro absentia secundum indulgentiam conceduntur, menses non esse necessario accipiendos ut omnino continuos, sed sufficere, quod fiunt interpolati. Quapropter siquis etiam hoc modo absit, dies autem absentiæ trimestre superent, tunc pœnis contra non Residentes latis a sacris Canonibus ex mente Tridentini subjacebit.

XXXIV. Infero quinto, cum solum illi Canonici, vel alii Cathedralium, aut Collegiatarum Ecclesiarum beneficiati jus ad distributiones quotidianas habeant, qui divinis officiis personaliter non interfuerint, jus ad easdem distributiones non habere, & si receperint ad restitutionem teneri. Hoc illatum iterum habetur ex Concilio Trid. c. I. ubi inquit: *Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant, & juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit, Consuetudinem: quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus. Omnes vero divina per se, & non per substitutos, compellantur obire officia; & Episcopo celebranti, aut alia Pon-*

Pontificalia exercenti assisteee, *& inservire*, *atque in Choro ad psallendum instituto*, *Hymnis*, *& Canticis Dei nomen reverenter*, *distincte*, *devoteque laudare*. A fortiori ergo distributiones percipere non possunt, qui plane ab Ecclesia sen Cathedrali, seu Collegiata absunt, adeoque qui tribus mensibus a Concilio indultis absunt, jus ad distributiones quotidianas non habent. Iterum jus ad distributiones non habent absentes studiorum causa, vel etiam illo duo Canonici, qui Episcopo Diœcesim visitanti inserviunt.

XXXV. Sed quia nulla lex sine exceptione, sic hoc quoque Concilii Decretum limitari debet, adeo in certis casibus etiam personaliter absentes a divinis officiis jus habent ad quotidianas distributiones. Nam licet Bonifacius VIII. in allegato c. consuetudinem, quod Refert. tit. de Clericis non Residentibus in 6. & a Concilio Trident. confirmatur: dicat: *Statuimus*, *ut distributiones ipsa quotidiana*, *in quibuscunque rebus consistant*, *Canonicis*, *ac aliis beneficiatis*, *& Clericis Ecclesiaeum ipsarum*, *qui eisdem officiis*, *in ipsis Ecclesiis adsuerint*, *tribuantur*: adeoque ex hoc statuto videatur, distributiones non esse tribuendas iis, qui officiis in ipsis Ecclesiis non adfuerint, quacunque demum ratione abfuerit. Sed hoc non obstante, dico prædictum Tridentini Decretum debere, & posse limitari, præcipue ex triplici capite: primo ex infirmitate beneficiarii: secundo ex ipsius justa, & rationabili corporis necessitate: tertio ex evidenti Ecclesiæ utilitate. Ad infirmitatem corporalem reducitur etiam senium, vel etiam cura pro Corporis valetudine vel recuperanda, vel conservanda necessario facienda. Ad corporis necessitatem autem reducitur, si quis injuste in jus vocetur: aut ne divinis officiis intersit, injuste vexetur, vel omnino injuste in carcerem mittatur, supposita, & consecutive probata innocentia. Quantum ad evidentem Ecclesiæ utilitatem, illi etiam ab officiis divinis absentes jus ad distributiones habent, qui absunt ob negotia Capituli, vel Episcopo Pontificalia celebranti assistunt, aut docent, prædicant, vel confessiones ex officio audiunt, dum alii in choro divina obeunt, vel denique si quis functiones Curæ animarum suæ Dignitati, vel Præbendæ incumbentis peragit: cum is *tanquam præsens sit*, *ac divinis intersit*, *in Ecclesiis Cathedralibus*, *ac Collegiatis habeatur*, ut loquitur idem Concil. Sess. 22. *de Reform. cap. 9.*

XXXVI. Infero sexto, ex hoc, quod Concil. Trident. dicat cit. Sess. 24. *de Refoem.* cap. 12. quod oporteat *in Choro*, *ad Psallendum instituto*, *Hymnis*, *& Canticis*, *Dei nomen reverenter*, *distincte*, *devoteque laudaee*, infero, inquam, etiam ex personali assistentia in Choro distributiones non lucrari, qui ex consuetudine festinanter cantant, versus anticipant, inter canendum garriunt, serius ad divina conveniunt, vel citius abeunt; hæc enim omnia non consistunt cum reverenti, distincta, devotaque Dei laude, ut patet: quapropter & Clemens V. in Concilio generali Viennens. Prælat. Ecclesiasticis, ad quos respective pertinet, præcipit, ut diligenter invigilent: quatenus divina Officia debite sine dictis inconvenientiis, & erratis celebrentur; inquit autem Pontifex: *Gravi nimirum turbatione movemur*, *quod plerique Ecclesiarum ministri*, *modestia Ordinis Cleeicalis abjecta*, *dum offerre Deo sacrificium laudis*, *fructum labiorum suorum*, *in puritate conscientiæ*, *& animi devotione deberent*, *horas Canonicas dicere*, *seu Psallere*, *teansceurendo*, *syncopando*, *extranea quidem*, *& pleeumque vana*, *profana*, *& inhonesta intermiscendo colloquia*, *taede ad Chorum conveniende*, *seu Ecclesiam ipsam*, *absque rationabili causa*, *ante finem Officii exeundo* . . . . *minus indevote pexsumunt* . . . . *ne igitur teansgeessiones invalescant hujusmodi*, *aliisque veniant in exemplum*, *sacri Concilii approbatione*, *hoc fieei prohibentes*, *sancimus*, *ut illi*, *ad quos id pertinet*, *& in eoeum defectum*, *locorum Ordinarii*; *si vero exempti fuerint*, *superiores ipsoeum circa reformanda præmissa*, *& eorum singula corrigenda*, *nec non*, *ut in Cathedralibus*, *Regularibus*, *& Collegiatis Ecclesiis horis debitis devote Psallatur*, *si Dei*, *& Apostolica Sedis indignationem evitare volueeint*, *sollicitam curent diligentiam adhibere*: *Contradictores per censuram Ecclesiasticam*, *aliisque oppoetunis eemediis compescendo*: *Facientes*, *prout ad eos spectat*, *in his*, *& aliis*, *quæ ad divinum cultum*, *& morum reformationem pertinent*, *ac Ecclesiaeum*, *& cœmeterioeum eespiciunt honestatem*, *sacrorum statuta Canonum*, *ad quæ scienda diligens curent adhibere studium*, *irrefragabiliter observari*. Refert. cap. graviter de celebr. Missar. in Clementinis. Idipsum S. Caros lu-

lus in Concilio Mediolanensi 1. tit. *de iis, qui Dignitates, Personatus, aut Canonicatus obtinent*, aperte declarat inquiens: *Auctoritate Tridentini Concilii, praecipimus, ut cum in Choro psallendum est, ipsi quoque, quantum honoris gradu ceteris praestant, tanto studiosius Psalmis, Hymnis & Canticis una cum aliis modulantes, Dei laudes concelebrent. Cui Officio si defuerunt, pro absentibus habeantur, & earum horarum, quas ea ratione abierint, distributionibus mulctentur.*

XXXVII. Infero 7. Distributiones, quas beneficiati absentes, vel praesentes quidem, sed suo officio non rite fungentes, amittunt, aliis praesentibus non accrescere, sed eas esse fabricae, vel alteri pio loco applicandas: dicit enim Conc. Trid. Sess. 22. *de Reform.* cap. 3. si beneficiati *personaliter competens ibi servitium, juxta formam ab eisdem Episcopis praescribendam, quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquomodo Dominium acquirant, sed fabricae Ecclesiae, quatenus indigeat aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicetur.* Nec video rationem, cur absentium vel corporaliter duntaxat, non spiritu praesentium, negligentia, vel socordia deberet aliis beneficiatis patrocinari. Neque potest haec esse praesumpta mens Ecclesiae, sed multo magis contrarium praesumi debet, ut si nempe cultus & honor Dei non promovetur, eo quod plures, & omnes, quos tangit obligatio, Deum non laudent Hymnis, & Canticis, saltem promoveatur per distributiones amissas, in pios usus impensas: *Cum beneficia ad divinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda sit instituta, ne qua in parte minuatur cultus divinus, sancta Synodus* Trident. Sess. 21. *de Reform.* cap. 3. *statuit*, &c. At vero certe in parte minueretur cultus divinus, si distributiones amissae non impenderentur dicto modo: Ergo &c.

XXXVIII. Infero octavo, ex hoc quod dixi n. 24. Legitimam, & Canonicam causam a personali Residentia excusantem esse Christianam caritatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, & evidentem Ecclesiae, vel Reipublicae utilitatem: infero, inquam, esse aliquos beneficiarios, qui Canonice a Residentia abesse possunt. Quod priusquam declarem, has causas breviter explicandas censui. *Christiana caritas* igitur est, si quis absit a loco beneficii ad ferendam opem proximo, v. g. ad odia, & lites componendas. *Urgens necessitas* est, si quis absit propter corporis infirmitatem, injustam vexationem, persecutionem, vel etiam ob aliam gravem causam. *Debita obedientia* est, si quis absit ex mandato Papae, ejus Legati, aut Episcopi, obsequium, & justum, ac debitum officium imperantis, vel beneficiatum ad suum servitium in Ecclesiae utilitatem assumentis, sicut Honorius III. concedit Episcopis, ut possint habere duos Canonicos in sui servitio ad Ecclesiae utilitatem; dicit enim in cap. *ad audientiam* de Cleric. non Resident. *Decernimus, ut duo ex Canonicis Ecclesia memoratae, in tuo servitio existentes suarum fructus integre percipiant praebendarum: cum absentes dici non debeant, sed praesentes, qui tecum pro tuo & ipsius Ecclesia servitio commorantur. Denique evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas* est, si quis absit ob negotium Ecclesiae, vel vocetur ad Synodum Dioecesanam, Provincialem, Imperatoriam, &c.

XXXIX. Infero nono. Professores Theologiae actualiter docentes, vel etiam studentes per quinquennium, legitime excusari a personali Residentia in Ecclesiis, in quibus Dignitates, Praebendas, aut alia beneficia obtinent, posseque ut absentes beneficiorum suorum fructus percipere. Dicit enim Concil. Trident. sess. 5. *de Reformat.* cap. 1. *Docentes vero ipsam sacram Scripturam, dum publice in Scholis docuerint, & Scholares, qui in ipsis Scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum Praebendarum, & beneficiorum suorum, in absentia a Jure communi concessis, plane gaudeant, & fruantur.* Porro cum favores, & privilegia conveniat ampliari, hoc ipsum Tridentini indultum extenditur etiam ad Professores, & Studentes in Jure Canonico. Quantum ad Studentes vero monendi sunt, ne hoc favorabili indulto abutantur, vel vacando otio, vel nimiis recreationibus, aut aliis exercitiis ad rem non facientibus pretiosum tempus perdant, vel omnino se ad villas aut Castella, in quibus nullum est, vel minus competentes Studiorum exercitium, transferant: quodcunque enim horum attentaverint, sciant, se fructus beneficiorum suorum injuste, & cum restitutionis onere percipere, & poenas contra non Residentes incurrere; agunt enim in fraudem legis: fraus autem, & dolus nemini debet patrocinari.

XL.

XL. Præter hos casus nonnulli inferunt, etiam illos personali Residentia excusari, qui talia beneficia obtinent, quæ publicum in Ecclesia servitium non postulant, ut sunt illa beneficia, quæ tantum habent onus annexum privatim recitandi officium Canonicum; vel, etiam illa beneficia simplicia a Canonicatibus, & aliis supra dictis distincta v. gr. Capellaniæ, vel certorum Altarium deservituræ, *&c.* Nam hujusmodi beneficiati (inquiunt) ex usu, & consuetudine licite ab Ecclesiis suis abesse possunt, dummodo alios substituant, qui in illis debita ministeria obeant, nec litteræ Fundationales requirant, ut per seipsos missas, aliave divina officia præstent. Vel denique illa beneficia simplicia sint modica, & tenuia, quæ ad sustentationem sunt insufficientia; quia (inquiunt) nemo absque justo, & debito stipendio, pari cum reliquis obligatione militare cogitur, & grave videtur ut beneficia simplicia commodam sustentationem insufficientia cum alio beneficio connumerentur, quod per omnia sufficiat ad commodam sustentationem: nam beneficium tenue pro non beneficio habetur. Sed hæc omnia ut vera sustineri possent, si libertas contra apertam legem, & in beneficiis non distinguentem legem stare posset, lex autem Residendi est aperta, ut satis visum est, aut ergo beneficiarius resideat, vel causam Canonicam a Residentia excusantem alleget, aut fructus beneficii injuste recipit. Quantum ad beneficium tenue spectat, suppono, quod illud sciens, & volens suscipiat; ergo sibi imputet, quod tale beneficium acceptet sua sponte, quod respuere poterat. Hoc tamen verum est, quod hujusmodi inopiæ ordinario, vel extraordinario subsidio subveniri debeat secundum Decretum Tridentini Concilii Sess. 24. *de Reform.* cap. 13.

§. III.

An Summus Pontifex quantum ad obligationem Residendi, Episcopis, aut Parochis, aliisque animarum curam habentibus dispensationem possit impertiri?

XLI. Dicit S. Thomas, quod *in qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis. Obligant autem se Episcopi ad exequendum Pastorale officium propter subditorum salutem. Et ideo ubi subditorum salus exigit personæ Pastoralis præsentiam, non debet Pastor personaliter gregem suum deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus Pastor animam ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium provideri, tunc licet Pastori, vel propter aliquod Ecclesiæ commodum vel propter personæ periculum corporaliter gregem deserere*, 2. 2. quæst. 185. art. 5. O. ergo per S. Thomam rigorosa est obligatio Residendi, & ita rigorosa, ut Episcopi, vel etiam alii inferiores animarum Pastores sine plane gravi causa Residentiam personalem dimittere non possint. Sed quid dico, *rigorosa est obligatio* per S. Thomam? abunde namque ostensum est §. 1. eandem obligationem descendere ex jure divino, & naturali: contra Jus divinum autem, & naturale, quemadmodum nulla currit dispensatio, ita neque fieri potest remissio, nisi adsit plane urgens ratio. Item ad §. titulum.

XLII. Respondeo, & dico, nec Summus Pontifex, nec Ecclesia quantum ad obligationem Residendi potest proprie dispensare cum Episcopis, aut Parochis, aliisque curam animarum habentibus. Ratio ex dictis clara est, quia nullus Judex inferior potest proprie dispensare in jure superiori; at vero Pontifex Maximus, & Ecclesia sunt inferiores quoad jus divinum, & naturale: ergo proprie dispensare non possunt. Dico *proprie dispensare*, quia quod Summus Pontifex possit minus proprie, seu minus stricte dispensare cum Episcopis, & aliis animarum Rectoribus, extra dubium est, teste experientia: porro dispensatio minus propria nihil aliud est, quam Juris divini interpretatio, & declaratio, in quantum scilicet Pontifex declarat Jus divinum in hoc vel illo particulari casu non obligare ob supervenientem aliquam circumstantiam.

XLIII. Interea vero cum Summum Pontificem oporteat esse dispensatorem fidelem in iis, circa quæ potest proprie dispensare: sane in præsenti multo maxime oportet, ut agat fidelem dispensatorem, non dissipatorem, qualem ageret, si non ex gravi causa personalem Residentiam deserendi copiam faceret. Porro quænam intelligantur nomine causæ gravis, dixi ex Concilio Trident. n. 24. Cajetanus autem apud

apud Nat. Alex. Theol. tom. 2. Regul. 36. illas causas a Tridentino assignatas ad tria capita revocat: *primum* dicit esse necessitatem impedimenti: *secundum* qualitatem negotii: *tertium* conditionem personæ.

XLIV. Per necessitatem impedimenti intelligit aliud impedimentum intrinsecum, aliud extrinsecum. Intrinsecum dicit esse infirmitatem, quæ quidem, si spes recuperandæ sanitatis affulgeat, justam præbet ad tempus ab Ecclesia discedendi causam, v. g. pro facienda mutatione aeris, vel pro adhibendo balneo &c. impedimentum extrinsecum dicit esse persecutionem, quæ tamen non sit communis, hoc est, ut etiam subditi periclitentur ex absentia Episcopi, Parochi, &c. uti fit tempore belli: Et tunc ista persecutio particularis, seu immediate respiciens personam Episcopi, Parochi, &c. etiam præbet justam absentiæ causam pro tempore durantis persecutionis, mandavit enim Dominus Apostolis, quorum successores sunt Episcopi, &c. *cum persequentur vos in civitate istâ, fugite in aliam.* Matth. 10. unde Augustinus in Epist. ad Honoratum (Ep. 180.) relatus a S. Th. l. c. supra, inquit: *Fugiant de civitate in civitatem servi Christi, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia; cum autem omnium est commune periculum, illi, qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigent.* Ut enim dicit Nicolaus Papa, & habetur 7. quæst. 1. *si perniciosum est, proretam in tranquillitate navem deserere, quanto magis in fluctibus.*

XLV. *Qualitas negotii* pro justa causa absentiæ a Cajetano relata reducitur jam ad Christianam Caritatem, jam ad Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem: Christiana Caritas est, ut dixi, dum quis a propria Ecclesia abest, gratia componendi lites, & inimicitias, vel dum quis legatione fungitur in ordine ad componendam pacem inter Principes Christianos. Necessitas autem, vel utilitas potest esse triplex, propriæ, alienæ, vel universalis Ecclesiæ. Necessitas propriæ Ecclesiæ justam absentiæ causam infert, in quantum nempe Jura propriæ Ecclesiæ periclitantia urgent sui defensionem vel coram Romana Sede, vel etiam coram inferiori tribunali, tunc enim Episcopus, vel Parochus, &c. est quidem absens corpore, non tamen operatione, quia præsens est Ecclesiæ negotiis, secundum cap. *ex parte* Ext. de Cleric. non Resident. *Præpositure tuæ Jura fideliter prosequeris, tum per hoc censeri debeas residens.* Ratione utilitatis vel necessitatis alienæ Ecclesiæ videtur raro posse contingere, ut quis legitime a propria Ecclesia absit, ut procuret alterius utilitatem, vel succurrat necessitati; qui cum ratione Ecclesiæ alienæ aliud non urgeat, quam Caritas, hinc videtur, quod Caritas potius illos obliget, qui cum minori dispendio eidem Ecclesiæ subvenire possunt; si tamen nulli essent, qui possent, & vellent subvenire, poterit Episcopus, aut Parochus ad tempus a propria Ecclesia abesse, ita jubente Caritate secundum illud, quod sumus omnes *unum Corpus in Christo, singuli autem alterius membra.* Rom. 13. Præterea ad Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem etiam referri possunt negotia gravioris momenti, quæ tractari solent in comitiis Regni, vel Provinciarum, unde ut similibus Comitiis intersint Episcopi, vel alii Prælati Ecclesiastici, quibus jus suffragii competit, possunt ad tempus a suis Ecclesiis abesse, substituto tamen Vicario; oportet vero, ut Prælati Ecclesiastici bene cordi habeant, ne nimium se temporalibus negotiis implicent, quia *nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus* 2. ad Timoth. 2.

XLVI. Tandem *conditio personæ* a Cajetano pro causa a Residentia excusante statuta, tunc revera est talis causa, quando persona talis est ut melius, aut æque bene regat Ecclesiam in absentia, ac regeret in præsentia & hac ratione, ut refert Nat. Alex. c. l. Cardinales Episcopi sex Diœceseon Urbi finitimarum a mansione in illis Ecclesiis excusantur: Quia hi Residentes in Ecclesia communi, ut est Romana, fictione juris censentur residere in propriis Ecclesiis: Sed hoc non est extendendum promiscue etiam ad alios residentes in Ecclesia communi, h. e. Romana, ut censeantur residere ubique: nam licet id verum esset fictione juris positivi, verum id tamen non est quoad Deum, quia reliqui Episcopi, vel Prælati non æque bene vel melius regerent suas Ecclesias, quemadmodum dicti Cardinales Episcopi. Jam a primo ad ultimum, quo omnia hactenus dicta hoc §. collimabant, si occurrat aliqua ratio personalem residentiam deserendi, & iterum occurrat aliqua causa

ex

ex recensitis, ad Romanum Pontificem pertinet auctoritate sua declarare, quod jus divinum, & naturale hic & nunc Episcopum vel alium Praelatum Ecclesiasticum non obliget, quominus ad tempus a propriis Ecclesiis abesse possint: Hoc autem non est proprie dispensare, ut patet, ergo, *&c.*

QUAESTIO VII.

De Resignatione, seu Renuntiatione Beneficiorum.

CUm beneficiorum resignatio non levi Simoniacae labis incurrendae periculo sit exposita, serio hic invigilandum erit, ut probe sciatur, quando ea resignatio sit licita, quando illicita. Quaeremus ergo in praesenti, Deo dante, primo quid, & quotuplex sit resignatio? Secundo ob quas causas fieri possit? Tertio an liceat resignare sub pacto tacito, vel expresso; sive an liceat resignare in favorem? Quarto an liceat permutare beneficium?

§. I.

Quid, & quotuplex sit resignatio beneficii?

I. REspondeo, & dico 1. ex S. Antonino p. 2. tit. 1. c. 5. §. 11. Renuntiatio beneficii est *juris proprii spontanea refutatio . . . quae fieri debet in manibus ejus, a quo habetur institutio, & confirmatio*. Dicit S. Pater, quod debet esse renuntiatio *juris proprii*; quia nemo juri alieno renuntiare potest, *nisi quis esset constitutus Procurator pro altero: & super hoc haberet speciale mandatum; potest enim quis renuntiare sicut per seipsum, ita per alium nomine suo*. Dicit item quod debeat esse *spontanea*; & ratio est, *quia si non esset spontanea, sed coacta; non obesset repetere volenti*. Et hinc effectus renuntiationis est, *ut qui renuntiavit, ad id, cui renuntiavit, regressum non habeat, nisi ex jure novo concedatur, vel antiquo sibi restituto jure*: Quod porro debeat fieri in manibus ejus, a quo habetur institutio, & confirmatio per se patet; quia cum beneficiarius sicut fructuum, & redituum, ita nec beneficii est plenarius, & absolutus Dominus, sed Administrator tantum, sic nec potest alteri beneficium dare, vel remittere, sed si vult resignare, debet remittere illi, ad quem dispensatorio modo primario spectat beneficium, hic autem est Ecclesia, cujus munere hic & nunc fungitur instituens, & confirmans, ergo in hujus manibus fieri debet resignatio.

II. Respondeo, & dico 2. resignatio beneficii alia est tacita, alia expressa. Resignatio tacita est, qua beneficium nulla verborum expressione, sed facto aliquo, ex juris dispositione resignationem beneficii indicante, spontanee dimittitur, ut si beneficiatus matrimonium contrahat, militiae nomen det, vel possessionem alterius beneficii incompatibilis cum priore beneficio consequatur, vel denique professionem emittat in alia Religione, nulla prius facta expressa resignatione; nam licet secundum jus antiquum ingressi Religionem potuerint resignare beneficia, etiam in favorem, Tridentina tamen Synodus Sess. 25. *de Regular.* c. 16. decernit, quod *nulla renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causae piae, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: Aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus*. Quod a Concilio optime statuitur, ut Novitio usque ad ultimam probationis horam liberrimum sit vel in Religione profiteri vel ad saeculum redire.

III. Expressa resignatio fit, quando beneficium disertis, & expressis verbis dimittitur: Quod iterum dupliciter fieri potest, pure, vel conditionate. *Pure* fit, quando resignationi nulla adjicitur conditio, aut pactum, ita ut Ordinarius Patrono, & aliis, quorum interest, requisitis, beneficium cuilibet alteri conferre possit. Dixi, *Patrono*, &c. *requisitis*, quia sine consensu Patroni, aut Electorum, per se loquendo, alium instituere non potest, si beneficium quod dimittitur, sit patronatum, aut electivum; id enim fieri non posset sine laesione juris alieni, nempe Patroni, & aliorum, quorum interest. *Conditionate* fit sive *in favorem*, quando fit resignatio sub certa conditione, pacto, & modo, ut si resignetur beneficium in favorem certae personae, hoc est, sub ea conditione, ut illi

illi personæ beneficium conferatur. Porro resignatio conditionata subdividitur, quod alia sit simplex in favorem, & alia qualificata in favorem. *Simplex* est, quando fit nihil ex beneficio reservando: *Qualificata* autem est, si fiat cum reservatione certorum fructuum, vel certæ pensionis, vel reservato sibi jure regressus, hoc est, ut resignans ad beneficium regredi possit. Sed de his plura infra. Ulterius resignatio in favorem alia est, quæ fit causa mortis, & alia, quæ nullo metu mortis fit, & tandem alia est, quæ fit causa permutationis.

§. II.

Ob quas Causas fieri possit beneficiorum resignatio?

IV. CErtum primitus est, quod Resignatio beneficii de se, & ordinarie Ecclesiæ non videtur favorabilis, tum propter incommoditates, tum propter malas consequentias, esto favorabilis plerumque sit vel Resignanti, vel Resignatario. Certum itidem est, quod si resignatio Ecclesiæ favorabilis non est, gravis causa adesse debeat cohonestans resignationem. Porro ab Innocentio III. in cap. *nisi cum pridem* Ext. *de renuntiatione* referuntur sex causæ, ob quas valide, & licite fit resignatio. Quas causas hoc distichon complectitur:

> *Debilis, ignarus, male conscius, irregulaeis.*
> *Quem male plebs odit, dans scandala cedere possit.*

Si nulla proinde ex his causis adsit, beneficium Ecclesiasticum sine gravi peccato resignari non potest; quia universaliter resignatio beneficii fieri debet vel ob majorem Ecclesiæ utilitatem, vel ob spiritualem resignantis profectum: hoc utrumque aute fieri non potest, nisi una ex memoratis causis adsit. Unde Pontifex *ibid.* inquit: *Si propter aliquam causam utilem, & honestam, in hujusmodi proposito cedendi beneficio perseveres, de licentia nostea cedas: alioquin cedendi licentiam Auctoritate Apostolica tibi scias esse penitus interdictam.* Si autem penitus licentia resignandi interdicta est, ergo à sensu contrario præceptum Pontificis est de non resignando: sicut ergo præceptum est in materia gravi, ita illud violare non potest non esse grave peccatum.

V. Innocentio III. Relat. suffragatur Auctoritas S. Pii V. constitut. 58. sub init. *Quanta Ecclesiæ Dei* pariformiter decernentis: *Episcopi, & alii facultatem habentes, eorum duntaxat resignatione recipeee, & admittere possint, qui aut senio confecti, aut Valetudinarii, aut corpoee impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel beneficio inservire seu qui unum aliud, vel pluea beneficia obtinueeint; vel quos ad aliud contigerit peomoveri; Religionem quoque ingressuei, vel Mateimonium contracturi, si statim postea id reipsa exequantur. Denique cum quis ex aliis casibus accideeit; qui Constitutione felicis eecord. Innocentii Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficii residere securi.* Prohibet ergo Sanctissimus Pontifex, ut §. 2. præmittit, *ne resignationes pro cujusque aebitrio, nullisque vel eerte levibus casibus passim, & temere admittantur:* Quin & graves pœnas contrafacientibus intentat §. 6. graves autem pœnæ supponunt grave peccatum; cum pœnam delicto conveniat esse proportionatam.

VI. Sed quæres, quid per sex causas ab Innocentio Papæ III. pro Canonica resignatione statutas, singillatim intelligatur: Respondeo ex allegato cap. *nisi cum pridem*: Dicitur ergo primo *conscientia criminis non cujuslibet, sed duntaxat illius, propter quod ipsius officii executio post peractam pœnitentiam impeditur: cum si omnes, quos arguit conscientia cujuslibet culpæ, cederent, pauci vel nulli in illo ministerio remanerent.* Dicitur secundo, *debilitas coeporis: quæ vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit: nec tamen omnis, sed illa solummodo, per quam impotens redditur* beneficiarius *ad exequendum officium Pastorale. Nam si pro qualibet corpoeali debilitate suscepta servitutis officium posset deseri, frustra fateretur se Apostolus in suis infirmitatibus gloriari; cum inteedum non plus hoetetur senilis debilitas aliquem cedere, quam moralis matueitas (quæ in senibus esse solet) ipsum in suo suadet officio permanere. Pro talibus enim de se dicit Apostolus: cum infirmor, tunc fortior sum, quia nonnunquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat.* Dicitur

tur tertio, *defectus scientiæ: quia cum ipsa circa spiritualium administrationem sit potissimum necessaria: Et circa curam temporalium opportuna, Præsul, qui commissam sibi debet Ecclesiam regere in utrisque, salubriter ei renuntiat, si scientiam (in qua ipsam regat) ignorat ..... Quamquam etsi desideranda sit eminens scientia in Pastore: in eo tamen sit competens toleranda: quia secundum Apostolum scientia inflat, caritas autem ædificat: imperfectum scientiæ, potest supplere perfectio caritatis.* Dicitur quarto: *malitia plebis*; nam *propter malitiam plebis cogitur interdum Prælatus ab ipsius regimine declinare, quando plebs adeo duræ cervicis existit, ut proficere nequeat apud ipsam, sed propter ejus duritiam, quo magis satagit, eo magis justo judicio deficere permittatur: dicente Domino per Prophetam: linguam tuam adhærere faciam palato tuo: quia domus exasperans est. Et Apostoli leguntur dixisse Judæis: ecce convertimur ad gentes; quia verbo Dei vos indignos fecistis. Non tamen pro qualibet culpa Pastor debet gregem deserere; ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: sed de superioris licentia, tunc demum potest non tam timide fugere, quam provide declinare, cum oves convertuntur in lupos: & qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt. Cum etsi tales sint graviter pro crimine puniendi, sunt tamen pro tempore utiliter tolerandi: quia sanguinem elicit, qui nimis emungit.* Dicitur quinto: *grave scandalum.* Nam *pro gravi scandalo evitando (cum aliter sedari non potest) licet Episcopo petere cessionem: ne plus temporalem honorem, quam æternam videatur affectare salutem, memor illius, quod dicit Apostolus si esca scandalizaverit fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Dicitur denique sexto, *irregularitasque personæ:* irregularitas nempe, *ut si forte bigamus, vel viduæ maritus, est causa, propter quam petere potest licentiam aliquis resignandi, attestante Apostolo qui dicit: oportet Episcopum esse unius uxoris virum.* Hæ ergo modo sic explicatæ causæ sunt legitimæ, & Canonicæ renuntiandi beneficiis Ecclesiasticis: & extra has resignare graviter est erratum. Unde

VII. Infero 1. lethalis peccati rei sunt, qui beneficia Ecclesiastica resignant, ut a laboribus exempti, commodius deinceps vitam transigant, nam liberum ipsis erat, divino sese mancipare obsequio: liberum autem ipsis non est ex illa causa Dei obsequio se subtrahere; *cum enim præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre ... & in cetera munia Pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.* (Verba sunt Trident. Sess. 23. *de Reform.* cap. 1.) Hinc aut divino huic præcepto se non subjiciant, aut si semel subjecerint se, gregem non deserent, nisi mercenariorum more. Hinc & Innocentius Pontifex loc. cit. hanc resignandi voluntatem damnat, inquiens: *Si propter alias causas cessionem affectes, non est in hoc tibi postulanti favendum: quoniam (ut id tanquam notissimum omittamus, quod otiositas, & voluptas arma sunt hostis antiqui ad miseras animas captivandas) propter laboris angustias, aut persecutionis incursus non debes deserere sponsam tuam Ecclesiam.* Vere sic non deseruit sponsam suam Orbis Ecclesiastes, qui dicebat: *Coarctor e duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Philipp. 1. Hujus exemplum secutus est ferventissimus Antistes S. Martinus, qui viribus corporis, non animi destitutus profitebatur: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.*

VIII. Infero 2. Episcopum non posse resignare beneficium, etiam si non commodioris vitæ ducendæ gratia, sed animo ingrediendi Religionem, vel denique melioris vitæ in humilitate, ac solitudine ducendæ, &c. &c. studio resignet; dicit enim Pontifex in sæpius allegato cap. *nisi cum pridem*, De Renuntiatione: *Si in hujusmodi cessione frugem tibi melioris vitæ promittis, scire debes, non esse Sanctificatio in utero Sanctiorem, & ideo non oportet te Prædicationis jam susceptæ deserere ministerium, cum ille cujus fieri bajulus recusabat, tandem prædicandum receperit verbum Dei. Quod si forsan humilitatis causa de culmine quæris Pontificali descendere, eo ipso humilitatis videris erigere male verticem; ... quia tunc in te veram humilitatem custodies, cum & per eam locum sublimem fugies, & per obe-*

dientiam non dimittes.

IX. Sed quid si Episcopus vovisset Religionem, possetne, an vero etiam teneretur renunciare Episcopatui, ut ingrediendo Religionem votum adimpleret? videtur enim, quod tale votum non teneat, eo quod nullum votum præjudicans meliori bono teneat, sed præfatum votum videtur præjudicare meliori bono, nempe Pastorali officio, quod creditur esse opus magis meritorium, quam vita contemplativa Religiosorum. Sed hoc non obstante in hoc casu judico dictum votum tenere quidem, non quidem absolute, sed conditionate seu involvere in se conditionem affirmativam, si Papa consenserit: & hinc in virtute voti tenetur Episcopus, quantum in se est, hunc consensum sollicitare. Ad id, quod in contrarium adduxi, nempe Pastorale officium esse melius, & perfectius statu Religiosorum; dici debet *de perfectione activa*, quatenus Episcopo incumbit per rectam gubernationem sibi subditos ad perfectionem vitæ Christianæ manuducere: non autem *de perfectione passiva*, quæ est in ipsa Episcopi persona, & ante præsupponitur, quam quod Episcopatus ad eam directe promoveat.

§. III.

An liceat resignare in favorem?

X. Periculosa res est, si beneficia Ecclesiastica hæreditariæ successionis discrimini sint exposita: Et vere huic periculo exponuntur, si beneficia Ecclesiastica passim *in favorem* resignare liceret, hoc est, ea lege, ut beneficium resignatum determinatæ, & a renuntiante designatæ personæ conferatur; nam si Resignatarius postmodum etiam taliter resignet, alter tterum aliis, en successionem respective hæreditariam, quam sacri Canones merito aversantur: unum pro multis adduco ex 8. quæst. 1. Can. *plerique*, ubi Hilarius Papa in Synodo Romana inquit: *Plerique Sacerdotes in mortis confinio constituti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare: ut scilicet, non expectetur electio, sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu. Quod quam grave sit, æstimate. Atque ideo si placet, etiam hanc licentiam generaliter de Ecclesiis auferamus: Ne, quod turpe dictu est, homini putet quisquam deberi, quod Dei est: Ab universis acclamatum est: Hæc præsumptio nunquam fiat: Quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt*. Per ista proinde jam patet responsio ad §. titulum.

XI. Respondeo tamen clarius, & dico, Resignatio beneficii in favorem jure Ecclesiastico illicita est, tunc scilicet, quando fit post conventionem factam cum beneficii collatore, qua promisit, illud conferre personæ a renuntiante designatæ, seu de qua conventum est: Ita tamen, ut Resignans ita sit animo comparatus, ut nullo modo resignaret, nisi certus esset de conventione exequenda. Ratio 1. est, quia ubi fundamentum jure Ecclesiastico illicitum est, etiam id illicitum est, super quod tale fundamentum radicatur: conventio autem, seu pactio est fundamentum resignationis, quæ hoc ipso radicatur in conventione; at vero quod hæc conventio sit illicita, est, quia in spiritualibus exercetur, in quibus *omnis pactio, vel conventio cessare debet juxta Canonicas sanctiones*, ut inquit Innocentius III. cap. *tua nos* Ext. *de Simonia*.

XII. Ratio est; quia, ut dixi ab initio ejus §. si liceat resignare *in favorem*, jam manifestum habetur periculum hæreditariæ successionis in spiritualibus; si enim licet uni, cur non & alteri? si alteri, cur non & tertio, & sic ulterius? hanc autem successionem damnat Tridentina Synodus Sess. 24. *de Reform.* cap. 7. inquiens: *Cum in beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ Successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus, sint odiosa, & Patrum decretis contraria: Nemini imposterum, &c.* Unde & Pius Papa V. Bulla 134. quæ incipit: *Romani Pontificis*, decrevit: *Nos volentes omnem hæreditariam beneficiorum Ecclesiasticorum Successionem de Ecclesia Dei tollere, ac libertati collatoris beneficiorum hujusmodi providere, ut de persona magis utili, & idonea, prout requiritur, facilius providere valeat*, & Bulla citat. nempe: *Quanta Ecclesia Dei*, ita cavit: *Caveant autem Episcopi, & alii prædicti, itemque omnes Electores, Præsentatores, & Patroni, tam Ecclesiastici, quam Laici, quicunque, ut verbo quidem, aut nutu, vel signo futuri in hujusmodi beneficiis, & Officiis Successores, ab ipsis Resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscunque intercedat; Qui vero contrafecerint*, &c.

XIII.

XIII. Ratio tertia est, quia in conferendis beneficiis Ecclesiasticis libertas ordinariorum collatorum debet manere indemnis, ita ut possint ad eadem beneficia præsentare, instituere, *&c.* quos digniores, aptiores, *&c.* judicaverint, sed stante licentia resignandi in favorem eadem libertas collatorum non manet indemnis, ut patet: Cum hoc ipso, quod dicatur *in favorem resignare*, facile contingere possit, quod Resignans in Resignatario non merita, sed carnem, & sanguinem respiciat: quem tamen respectum longe abesse petunt res spirituales: Immo & abesse debere, agnoscunt ipsimet sæculares Monarchæ; unde, referente Nat. Alex. Theol. Tom. 2. Reg. 8. *hanc ob causam Regum Christianissimorum ad Tridentinam Synodum Oratores in mandatis habuere, ut Resignationum in favorem abrogationem postularent, ac diligenter urgerent. Id tamen obtinere non potuerunt; potestas enim ipsas approbandi penes summum Pontificem remansit: Episcopis autem, aliisque collatoribus est adempta.*

XIV. Quapropter signanter dixi in Respons. Resignationem in favorem *jure Ecclesiastico* esse illicitam, non item jure divino, vel naturali; esset enim utroque jure naturali nempe, & divino prohibita, si Resignans temporale quid in Resignatione in favorem respiceret; quia tunc foret aperte Simoniaca; Si tamen Resignans respiciat vel utilitatem Ecclesiæ, vel merita Resignatarii: adhuc quidem erit illicita, non quia ab intrinseco mala, sed quia prohibita Canonicis Sanctionibus, seu jure Ecclesiastico: Jam vero respectu SS. Canonum, & juris Ecclesiastici summus Pontifex est superior, adeoque habet potestatem dispensandi, ideoque summus Pontifex acceptare, & approbare Resignationem in favorem, non item potest collator summo Pontifice inferior, ob eandem rationem. Jam

XV. Infero 1. ad hoc, ut Resignatio in favorem effectum dispensationis Pontificiæ in foro fori, & in foro poli sortiatur, oportet, quod in resignatione nihil committatur, quod repugnet juri divino, & naturali, adeoque oportet ut resignans in favorem unice resignet intuitu utilitatis Ecclesiasticæ, in quantum nempe Resignatarium judicat esse magis idoneum ad præstandum obsequium Deo, & Ecclesiæ. Et hinc Resignatio in favorem, in manus summi Pontificis facta, ab eoque approbata, Resignantem a Simoniæ labe immunem non præstat, si ea intentione suum beneficium alteri resignet, ut commodum aliquod temporale sibi proveniat v. g. quia Resignatarius est consanguineus, *&c.* ex quo deinde Resignans sibi, aut familiæ suæ temporale emolumentum expectat, verb. grat. quod familia sua magnificetur, aut nobilitetur. Hæc enim resignatio contractum quempiam involvit, *facio ut des*, & quia in spiritualibus committitur, & quia hic contractus in spiritualibus fit, per se, & ab intrinseco Simoniacus est, ideoque divino jure prohibitus; Super quod nulla currit Papæ dispensatio. Nam *in his, quæ in sua natura Simoniaca sunt* . . . (ut dicit Gloss. in c. *cum pridem* de pactis) *ut vendere Sacramenta, & hujusmodi spiritualia, ibi non excusat auctoritas Papæ; in his vero, quæ per constitutionem Ecclesiæ Simoniam inducunt, excusaret auctoritas Papæ, quia potest dispensare in talibus.*

XVI. Præterea hanc Resignationem, si principaliter fiat ob aliam rationem, quam Ecclesiæ utilitatem, vel Resignatarii merita, esse ex natura sua Simoniacam, & consequenter a Papa indispensabilem, est aperta mens S. Thomæ in 4. sentent. dist. 25. quæst. 3. art. 3. ad 7. inquientis: *Ille, qui dat ratione consanguinitatis præbendam alicui principaliter, aut intendit temporale bonum illius, cui datur, & non alterius, sic peccat graviter, sed Simoniam non committit, quia non vendit, cum nihil accipiat: Aut intendit aliquod bonum in se ipsum redundans, sic quod magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua vel quod ipse in consanguineis sit fortior: & sic ipse aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat, & Simoniam committit, & reducitur ad id munus, in quo continetur commodum, quod ex tali datione sperat.* Ergo per S. Thomam, qui in resignatione in favorem aliud, quam Ecclesiæ utilitatem, vel personæ merita respiceret, Simoniæ labem incurreret, a qua Pontificis auctoritate purgari non posset, ut visum num. præced.

XVII. Infero 2. quicunque alteri beneficium resignat habito vel minimo respectu carnis, & sanguinis, vel nepotismi, lethaliter peccat: nec Resignatarius illud bona conscientia retinere potest, etiamsi a Summo Pontifice sub alio forte specioso titulo dispensatum fuerit. Ratio clara est, quia di-

dispensatio plus non operatur, quam quantum preces pro dispensatione, veritate nituntur: si autem subsit vel minimus respectus carnis, sanguinis, *&c.* Jam preces veritate non nituntur, unde nec dispensatio valida est; mens nempe Pontificis in concedendis hujusmodi dispensationibus in eo duntaxat est, ut ex tali resignatione sequatur major honor Dei, & Ecclesiæ utilitas; Pontifex enim hac intentione dispensat, in quantum judicat, sibi talem nominari, cum quo dispenset, qui prudenter omnibus ponderatis (secluso omni carnis, & sanguinis respectu) habeatur ut magis idoneus ad implenda beneficii munia, & si hæc in re non essent, nunquam foret dispensaturus.

XVIII. Atque hinc justæ illæ piæ Matris Ecclesiæ lacrymæ: dum non paucos hodie videre debet, qui beneficia sibi ab Ecclesia commissa, non tanquam sacra deposita reverentur, sed tanquam dignitates valde utiles, & commodas, ad se, suosque coram mundo exaltandos suspiciunt. Infirmatur namque subinde beneficiarius; & ecce! statim (præsertim si spes convalescendi non affulgeat) de Successore beneficii per resignationem in favorem, cogitat, & jam deligit, ne beneficium de familiæ suæ finibus exeat. Siccine ergo res hodie se habet cum beneficiis Ecclesiasticis? ut perinde disponere liceat de iis, sicut cum fundo, vel feudo temporali? siccine jam naturam Patrimonii induunt? ergone jam hæreditate possidetur Sanctuarium Dei? hinc, hinc inquam, lacrymæ, & planctus Ecclesiæ: quibus vitium carnis & sanguinis in resignationibus in favorem deplorat, dum videt suos Ministros, utut subinde æternitati proximos plus esse sollicitos, ut familiæ suæ bene sit, quam gregi per mortem deserendo: dum videt Ministros suos quos oportet hic & nunc bene meminisse, an gregi suo secundum omnes officii partes præfuerint: si ita, ne in fine corrumpant, sed multo magis satagant, ut & ab alio Ministro Successore grex spiritualis bene instituatur, si vero minus bene suum officium impleverunt: ergo vel modo ratio & conscientia dictat, ut defectus per alium Ministrum ferventiorem suppleantur, & corrigantur; deplorat, inquam, Ecclesia, dum videt suos Ministros, hæc talia parvi pendere, immo nec cogitare quod ex respectu carnis & sanguinis gloriæ Dei, Ecclesiæ utilitati, ac ordinariorum Collatorum libertati præjudicent, injuriis in SS. Canones, & SS. Patrum documenta. Non mea hæc est sententia, sed Zachariæ Papæ ad Bonifacium Moguntinum Archiepiscopum Can. *petiisti* 7. q. 1. ita scribentis: *De eo autem, quod tibi Successorem constituere dixisti, ut te vivente, in tuo loco eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur: quia contra omnem Ecclesiasticam Regulam, vel instituta Patrum monstratur.*

XIX. Infero 3. quicunque resignat beneficium Ecclesiasticum apposita conditione expressa, vel etiam tacita regrediendi ad beneficium resignatum, illicite, & cum mortali peccato resignat: Neque potest ad illud regredi sine nova collatione, aut si regrediatur sine collatione, est in malo statu, nec fructus facit suos. Hoc illatum habet potissimum locum in Resignante, constituto in gravi infirmitate & mortis periculo. Ratio autem illati est, quia tali modo Resignans semetipsum constituit virtualiter Resignatarium, & quidem ex favore: de Resignatario autem debet esse præsumptio, immo moralis certitudo, quod sit futurus magis idoneus ad præstanda beneficii munia, sed ad præstandum servitium Deo, & Ecclesiæ: Atqui, ut pluribus dixi quæst. 3. nemo hoc de se præsumere potest, immo ex hac ipsa præsumptione redderetur indignus beneficio, ergo, *&c.* unde optime Concilium Tridentinum decrevit Sess. 25. *de Reform.* cap. 7. inquiens: *Cum in beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ Successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa, & Patrum decretis contraria: Nemini imposterum accessus, aut regressus, etiam de consensu, ad beneficium Ecclesiasticum cujuscunque qualitatis concedatur. Nec hactenus concessi, suspendantur, extendantur, aut transferantur. Hocque decretum in quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis, ac in quibuscunque personis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat.*

XX. Hunc ipsum regressum proscripsit S. Pius V. Constitutione supra cit. cujus initium: *Romani Pontificis*, & est 134. loquitur autem SS. Pontifex: *Volentes omnem hæreditariam beneficiorum Ecclesiasticorum Successionem de Ecclesia Dei tollere, ac libertati beneficiorum hujusmodi providere, & ut de persona magis utili, & idonea, prout requiritur, facilius provideri valeat: omnes, & singulos regressus, accessus,*

ressus, & ingressus, etiam eventuales, aut pœnales, aut Coadjutorias etiam de consensu, aut alias quomodolibet, seu quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis efficacissimis, etiam motu proprio, & ex certo silentia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine, clausulis irritantibus, & aliis Decretis, quomodolibet per quosvis Romanos Pontifices Prædecessores nostros ad beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, & sacularia, & quorumvis Ordinum Regularia . . . quibusvis personis, cujuscunque status, gradus, Ordinis, & conditionis existentibus, etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarcheli dignitate, aut Cardinalatus honore pollentibus concessa . . . . motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Auctoritate Apostolica tenore præsentium revocamus, cassamus & abolemus. Hæc Pontifex, quibus sat luculenter damnavit hos iniquos ad beneficia regressus, *&c.* ut proinde regrediens & peccato gravi, & fructuum restitutioni sit futurus obnoxius. Si vero nonnemo diceret, hanc Pontificis Constitutionem non esse ubique receptam, cum hoc non multum esset disputandum, dum ratio, & Concilium Tridentinum suadent, & persuadent (ut visum numer. præced.) iniquum esse similem ad beneficia regressum. Quin & hoc pluribus SS. Canonibus ostendi posset, qui videndi sunt in margine Concilii Tridentini loc. cit. relati, nimirum cap. *plerique*, Can. *Apolica* 8. qu. 1. *ex transmissa*, & *ad extirpandas Successiones* de filiis Presbyterorum, Can. *Consulit* de jure Patr. c. *ad hæc* de dec.

XXI. Infero 5. quicunque resignat beneficium suum alteri, ut ille vicissim suum resignet in favorem nepotis, vel consanguinei ipsius Resignantis, graviter peccat, & Simoniæ Crimen incurrit. Ratio est, quia ille incurrit Simoniam, qui facit verum contractum, *facio, ut des*, ex re spirituali cum commodo temporali, sed ita est in præsenti, nam taliter resignans sic dicit: cedo meo juri spirituali, si tu cesseris tuo, ut exinde Nepos, vel consanguineus meus habeat emolumentum, quod propter consanguinitatem redundat in ipsum Resignantem. Unde optime dicit S. Thomas 2. 2. qu. 100. art. 5. ad 2. *Si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionem, est quidem illicita, & Carnalis collatio, non tamen Simoniaca, quia nihil ibi accipitur: Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur Simonia. Si tamen aliquis det beneficium Ecclesiasticum alicui ex pacto, vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta Simonia.* Et innititur S. Thomas auctoritati Urbani Papæ a se relat. dicentis: *Quisquis res Ecclesiasticas non ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra . . . . . largitur, vel adipiscitur, Simoniacus est.* Habent proinde DD. Canonici, quod sibi valde caveant, ne similibus iniquis pactionibus ad invicem conveniant, de promovendis scilicet suis consanguineis, nepotibus, *&c.* & vere cavebunt, si tantum animæ suæ, salutisque æternæ jacturam metuant, quantum suos, suamque familiam vane, & mundane subinde diligunt.

XXII. Infero 5. Resignans non potest sibi reservare fructus, aut pensionem ex beneficio resignato. Nam Innocentius III. c. *ut nostrum* ; tit. *Ecclesiastica beneficia sine diminut. Conferant.* Ita respondet Mediolanens. Archiepiscopo, *non licuit ex pactione, vel conventione quacunque sub dono, vel tenore præscripto concedere nudum Officium, & sibi retinere proventus, cum in Lateranens. Concilio* (sub Alexandro III. cap. 7.) *prohibitum sit, ne quis conferendo Ecclesiasticum beneficium, partem proventuum suis usibus retinere præsumat, & alibi cautum reperiatur in Canone, quod Ecclesiastica beneficia sine diminutione debent conferri.* Deinde talis resignatio in effectu, & reipsa esset permutatio beneficii pro parte fructuum, & redituum, fructus autem, & reditus a beneficio separati, cum sint res temporales, consequenter esset permutatio rei spiritualis pro temporali, ergo in effectu hæc talis resignatio esset Simoniaca.

XXIII. Summus Pontifex tamen posset similem resignationem admittere hoc sensu, ut resignanti constitueret aliquos fructus, vel pensiones. Neque inferas, ex hoc sequi, tenere illud a quibusdam Decantatum procardicon: *Simoniam coram Summo Pontifice non committi.* Nam contra est, quod Summus Pontifex in hac causa non dispenset super Simoniam, nam non dispensat in eo, in quantum resignans dat beneficium tanquam rem spiritualem pro fructibus, vel pro parte fructuum a be-

beneficio ſeparatorum tanquam rei temporalis, quod eſſet Simoniacum, ſed diſpenſat ſimpliciter in hoc, quod reſignanti partem fructuum conſtituat, abſque relatione ad rem ſpiritualem, ſeu in quantum fructus eſſent pretium rei ſpiritualis, & hoc non eſt Simoniacum. Ad illud, quod incidenter adduxi, nonnullorum ſomnium, *Simoniam coram Summo Pontifice non committi*, Reſpondeo, plus quam falſum eſſe non poſſe; Nam *opinio erronea eſt* (verba ſunt S. Thom. in 4. Sentent. diſt. 25. quæſt. 3. art. 4. ad 2.) *ſi enim Papa pro aliquo ſpirituali munus acciperet, Simoniam committeret, ſicut & alius homo; quia ſub Petro, cui Papa ſuccedit, Simoniæ vitium damnationem inchoavit in novo teſtamento. Et quamvis res Eccleſiæ ſint aliquo modo Papæ, non ſunt tamen ejus omnibus modis habendi, ſicut illud, quod ad manum habeat. Non eſt autem dubium, quod Simoniam committeret, ſi quis aliquod ſpirituale debitori ſuo daret, ut quod ſuum eſt, recuperaret: & ita etiam in propoſito Papa a Simonia non excuſaretur, ſi (quod abſit) ſpiritualia pro temporalibus rebus Eccleſiarum daret.*

XXIV. An vero etiam Epiſcopus *pure, & ſimpliciter* reſignanti poſſit conſtituere talem penſionem, videtur eſſe dubium, cenſeo tamen affirmativam eſſe veram pro certis caſibus, ut ſi v. gr. reſignans jam eſſet ætate decrepitus, aut infirmus, vel habens beneficium litigioſum, adeoque pro bono pacis, & Eccleſiæ utilitate reſignaret: quam in finem etiam ante reſignationem Epiſcopo ſupplicaret. Deberet nihilominus Epiſcopus eandem penſionem in titulum erigere (quantum tamen admitteret conſtitutio reſignantis) v. g. ſub obligatione ad aliqua divina officia peragenda; vel ad certas miſſas; vel ad horas Beatiſſimæ Virg. &c. & tunc talis penſio indueret rationem beneficii ſimplicis, conſequenter in effectu beneficium reſignatum commutaretur in ſimplex.

XXV. Infero 6. Reſignatarius non poteſt bona conſcientia retinere beneficium, quod a reſignante dolo, fraude, vi, aut metu extorſit: atque adeo, quodcunque horum interveniat, penes reſignantem adhuc remanet rigoroſum jus ſuum beneficium repetendi: eo quod talis reſignatio in effectu nulla ſit. Quantum ad dolum, fraudem, & vim res patet: Reſignatio enim ut ſit valida, debet eſſe voluntaria & libera, ubi autem non eſt voluntaria, minus libera eſſe poteſt: voluntaria autem non eſt, ubi ceſſat *cognitio finis* & iterum ubi non eſt *ab intrinſeco*: dolus autem & fraus tollit cognitionem finis: vis autem, quod non ſit ab intrinſeco. Unde dicit Clemens III. c. *ſuper hoc* Ext. de Renunt. *Supervacuum eſſe non credimus, cauſam reſignationis diligenter inquiri: quam ſi forte probabilem, id eſt, non vi, nec metu, nec oppreſſione, nec interventu pecuniæ, nec promiſſione, extortam Judex invenerit, ... admittere non poſtponat. Porro licet negantis factum, per rerum naturam nulla ſit probatio, ejus tamen, qui ſpontaneam renuntiationem agat, ... probationes credimus admittendas.* Et rationem ibidem præmittit Pontifex; quia cum beneficii reſignatio res magni momenti ſit, ſine gravi ratione facta præſumi non debet: non poteſt autem præſumi gravis ratio, ubi non adeſt ſufficiens voluntarium, quod tollit fraus, & dolus: verba Pontificis ſunt: *Nulla ratio hoc veriſimile reddit, ut quiſquam beneficium multis forte expenſis, & laboribus quæſitum, quo ſuſtentari debet facile, ſine magna cauſa, ſua ſponte reſignet.*

XXVI. Jam licet hæc probent etiam quoad reſignationem metu factam, quod nempe ſit nulla, id tamen amplius oſtendo: Reſignatio, quæ non fit libere, in effectu, & foro conſcientiæ, præſumitur & eſt nulla: ſed ſtante metu, cadente in conſtantem virum, reſignatio non fit libere, ergo nulla eſt, & ideo reſignatario in foro interno, nec in externo tribuit jus ad beneficium. Maj. patet ab inductione omnium contractuum. Min. probat. metus cadens in conſtantem virum, valde perturbat hominis judicium (quo perturbato valde minuitur, vel omnino ſubinde tollitur libertas, teſte experientia) atque hinc ſolet contingere, quod urgente metu ad ea homo impellatur agenda, de quibus extra talem metum nunquam cogitaſſet, verb. grat. eſt quis in gravi infirmitate, vel mortis periculo conſtitutus, frequenter ex hoc timore ad nuncupandum Deo Religionis votum impellitur, & tamen ecce hoc ipſum votum Deo factum non obligat, quia præſumitur non cum ſufficiente libertate emiſſum; Dicit enim Alexander III. cap. *Litteraturam* de voto: *Cum ex quadam minatione nimio fuiſſes mortis pavore perterritus, hac verba protuliſti. Non diu hic morabor:*

rabor: proponens in animo, quod Religionis habitum esses aliquando suscepturus: tibi igitur respondemus, quod si plus non est in voto processum, transgressor judicari non poteris, si non impleas, quod dixisti. Quapropter si quis beneficiarius in gravi infirmitate, vel quocunque propinquo mortis periculo constitutus beneficium suum resignet, non est præsumendus, quod libertate sufficiente resignaverit, quia extra hoc utrumque discrimen nunquam resignasset: poterit proinde cessante infirmitate, vel mortis periculo, beneficium resignatum repetere, & Resignatarius tenetur illud reddere coram Ordinario. Id, quod totum decrevit Innocentius III. cap. *ad audientiam* Ext. *de iis, quæ vi, metusve causa fiunt*, inquiens: *Quia vero, quæ vi, metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis. Mandamus, quatenus si eundem ad resignationem constiterit vobis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit, & debuerit cadere in virum constantem, non obstante juramento prædicto, quo non ad non repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur, præfatam Ecclesiam ei restitui faciatis.* Ceterum adverto, quod hoc illatum potissimum locum habeat in resignatione pura, & simplici: quia quantum ad resignationem in favorem, non videtur, quomodo tam faciliter intervenire possit dolus, fraus, vel metus, ut facile consideranti patet.

§. IV.

An liceat permutare beneficia?

XXVII. Permutatio beneficiorum ad resignationem conditionatam reducitur: Est autem permutatio beneficiorum mutua beneficiorum resignatio inter permutantes facta sub ea conditione, ut Resignatarius, in cujus favorem resignatur, suum quoque beneficium, quod obtinet, resignanti resignet. Dico permutatio *beneficiorum*; quia jus ad beneficium, verbi gratia, quod quis adeptus est ratione præsentationis, vel gratiæ expectativæ (in quantum talis gratia datur) non potest permutari cum beneficio actuali alterius: Tum quia beneficiorum permutatio ad justitiam commutativam pertinet, in qua oportet servari æqualitatem: Non est autem æqualitas inter jus ad rem, & inter jus in re, quia jus in re plus in effectu operatur, quam jus ad rem: tum quia beneficiorum permutatio, in quantum pertinet, sola beneficia quæsita respicit, non vero quærenda.

XXVIII. Respondeo, & dico 1. permutatio beneficiorum secundum datam definitionem, cum consensu Patroni, collatoris, *&c.* licite nonnunquam fieri potest coram Ordinario, tunc nempe, quando pro fine intenditur majus bonum Ecclesiæ: dixi 1. *secundum datam definitionem*; quia si permutatio stricte sumatur, tunc in ea debet transferri dominium rei permutatæ ab uno in alium, ergo debet permutans habere dominium rei permutandæ, quia ut sæpius dixi, *nemo potest plus Juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*, Reg. Jur. 79. at vero beneficiarii non habent dominium sui beneficii, ut abunde ostensum est, q. 4. ergo nec possunt proprie transferre dominium beneficii, adeoque nec proprie permutare. Dixi in respons. secundo *cum consensu Patroni, collatoris*, &c. quorum interest; quia si compermutantes Patronum, collatorem, &c. præterirent, ipsorum juribus graviter præjudicarent. Dixi tertio *Coram Ordinario*, quia permutatio ab eo debet approbari, & acceptari, secundum ea, quæ dicit Urbanus VIII. in cap. *quæsitum*. Ext. de rerum permutatione: *Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam licite potest de uno loco ad alium transferre personas: Ut quæ uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.* Dixi quarto, *si intenditur majus bonum Ecclesiæ*, quod etiam fit, si sequatur majus bonum personarum permutantium, quod tamen consecutive redundet in bonum Ecclesiæ. Ex hoc Capite, declinare inimicitias, noxiam aeris intemperiem, aliaque corporalia damna compermutantium ad Ecclesiæ utilitatem reduci possunt, quia illis sublatis melius Deo, & Ecclesiæ deserviri potest. Unde etiam utilitas unius personæ ex compermutantibus cedens in bonum Ecclesiæ sufficit ad Resignationem causa permutationis, ut alii loquuntur, dummodo ex parte alterius permutatio Ecclesiæ non sit damnosa. Ex quibus ergo constat, causam permutationis non esse aliam, quam majorem Ecclesiæ utilitatem, vel etiam necessitatem. Atque hinc

XXIX. Respondeo, & dico 2. permutatio beneficiorum, ex pacto, & conventione, aut commodi alicujus temporalis in-

intuitu facta inter compermutantes, illicita, & simoniaca est. Ratio clara est; quia omne pactum vel conventio in spiritualibus de re temporali rejicitur, & reprobatur tanquam simoniaca: Atqui ita esset in præsenti, ergo, *&c.* itaque superest, ut responsionem ex SS. Canonibus ostendamus. Dicit igitur Urbanus VIII. l. cap. præc. num. *generaliter itaque teneas, quod commutationes prebendarum de jure fieri non possunt: præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet Simonia.* Et Gregorius IX. capit. *pactiones*. Ext. *de pactis*, inquit: *Pactiones factæ a vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis; cum in hujusmodi omne pactum, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti*, eandem Responsionem confirmat auctoritate Sancti Thomæ in 4. Sent. dist. 25. quæst. 3. ad 8. dicentis: *In permutatione est Simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius, talis commutatio fiat: Si autem pro aliquo spirituali, utpote quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est Simonia: Unde tunc potest fieri commutatio auctoritate Episcopi Diœcesani*, Atque hinc opus est in praxi tam magna in his vigilantia, quo majus est periculum, nec permutantes beneficia se, commodumque temporale quærant, secus a Simoniæ labe nunquam immunes evasuri.

XXX. Respondeo & dico 3. permutatio, qua beneficium opulentum permutatur cum tenui, compensata fructuum inæqualitate, est illicita. Hoc exinde patet, quia non fieret compensatio inter temporale, & temporale, sed fieret compensatio ex re temporali pro re spirituali; rem declaro: in permutatione beneficii ratione bonorum beneficii verb. gr. agrorum, fundi, *&c.* compensatio fieri non potest: Quia quemadmodum agri, fundus, *&c.* non sunt in dominio beneficiarii permutantis, ita neque quoad dominium possunt transire, consequenter, nec aliquid intuitu ipsorum per modum compensationis licite accipi potest, ergo si aliquid accipiatur, accipietur intuitu illius, quod beneficiarius habebat: is autem tantum jus spirituale, vel saltem spirituali annexum habet, consequenter, quod compensatur, est pro titulo, & jure spirituali, & hoc est illicitum: alias absolute beneficia sine Simonia vendi possent, si venditor diceret, seipsum titulum beneficii alteri donare, & tantum reditus annuos vendere, quod est absurdum, & SS. Canonibus contrarium: Dicit enim Paschalis Papa cap. *si quis objecerit*, 1. quæst. 3. *quisque horum alterum sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit.*

XXXI. Auctoritate tamen Summi Pontificis posset fieri permutatio beneficii pinguioris cum tenui, compensata fructuum inæqualitate, quia Papa potest jus redituum separare a titulo, sive jure spirituali, quod est in beneficio, cui prædictum jus erat annexum. Facta autem hac separatione juris redituum a jure quod est in beneficio, illud ipsum jus redituum redditur temporale, & consequenter quando deinde fit conventio, vel pactum de compensanda inæqualitate fructuum, non fit conventio, vel pactum de re temporali relate ad rem spiritualem, sed fit conventio inter rem temporalem, & temporalem; quod non est illicitum. In hoc casu proinde primo deberent permutari tituli, deinde alio contractu distincto jura proventuum per Apostolicam separationem facta *temporalia*. Neque obest mox allatus textus cap. *si quis objecerit*. Ex quo videtur, non posse permutatis titulis jura proventuum retineri, quia unum sine altero non stat; jus enim proventuum annexum est beneficio; ergo hoc dimisso & illud dimitti debet, aut hoc retento & illud retineri debet. Ad hoc Respondeo, & dico, quod hoc ipso, quia separato jure proventuum a titulo, sive jure spirituali in effectu non est in totum, sed in partem scilicet quantum ad inæqualitatem fructuum, & nec est perpetua, etiam illud jus proventuum tantum lato modo dici debeat a titulo, sive jure spirituali separatum, & vel inde *temporale*: Hoc nempe sensu, in quantum Summus Pontifex concedit compensationem inæqualitatis pro damno temporali, quod alter patitur, privando se fructibus sui beneficii: & hinc illam compensationem non concedit tanquam pretium beneficii, sed tanquam conditionem, qua alter se indemnem servat, & sine qua indemnitate nollet permutare. Quin immo si unus beneficiarius minus forte idoneus cum alio magis idoneo suum beneficium pinguius commutet, posset ei in hoc casu subinde, etiam cum auctoritate Episcopi in beneficio dimisso quasi per compensationem aliqua pensio ad tempus vitæ constitui. Ex

his

his ergo jam patet, quod textus cap. *si quis objecerit*, nihil in contrarium faciat, loquitur enim Pontifex ibid. de separatione adæquata & perpetua, facit enim inter consecrationes, & res ipsas quæ ex consecratione proveniunt, comparationem cum anima ad corpus, quod sine anima corporaliter non vivit, ubi patet, quod conjunctio, & separatio est adæquata, ergo, *&c.*

QUÆSTIO VIII.

De Beneficiis simoniace Acquisitis.

CUm quæstione præcedenti sæpius *Simoniæ* mentio facta sit, operæ pretium esse duxi specialem quæstionem movere de beneficiis simoniace acquisitis: tum quia res periculo plena est, ne vel Collatores beneficiorum, vel ipsimet beneficiandi simoniæ labem incurrant. Hic tria discutiam: primo quid, & quam grave peccatum sit Simonia: secundo quomodo, vel quando in beneficiis Ecclesiasticis incurratur: tertio de pœnis, quæ Simoniacis infliguntur.

§. I.

Quid, & quam grave sit peccatum, Simonia?

I. SImonia a Simone Mago dicta est: is enim, *cum vidisset, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: date & mihi hanc Potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Act. 8. Existimabat ergo iste nequam, & Hæresiarcharum omnium antesignanus penes alios plures errores *donum Dei pecunia possideri:* adeoque res sacras, & spirituales tam viles æstimabat, ut instar rerum profanarum, ac temporalium venales proponi, ac per emptionem & venditionem libero hominum arbitrio, & potestati subjici, ac distrahi possent. Simonis ergo asseclæ sunt, & vel inde Simoniaci nuncupati, quotquot res spirituales, aut spiritualibus annexas pretio distrahere, vel emere, aut pacisci præsumunt. Jam quantum ad definitionem.

II. Respondeo, & dico cum S. Thoma 2. 2. quæst. 100. art. 1. Simonia est *studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituali annexum.* Dicitur 1. *Studiosa voluntas*, quia omne peccatum in actu, & quidem deliberato consistit. Dicitur secundo: *Emendi aut vendendi*, per quod intelligitur omnis contractus non gratuitus, ut sunt, *permutatio, transactio, locatio, do, ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias.* Dicitur tertio: *Aliquid spirituale:* per quod intelliguntur præcipue, & primario dona, & gratiæ supernaturales, & quidquid a Deo tanquam Auctore gratiæ procedit, nec humanis viribus obtineri potest; & ista dicuntur spiritualia per essentiam. Dicitur quarto: *Aut spirituali annexum*, hoc est, illud, quod non secundum se quidem spectatum spirituale est, sed in quantum spiritualibus adhæret; nam *sicut anima vivit secundum seipsam*, ait S. Thom. l. c. ad 6. *Corpus autem vivit ex unione animæ; ita etiam quædam sunt spiritualia secundum seipsa, sicut Sacramenta, & alia hujusmodi: quædam autem dicuntur spiritualia ex hoc, quod talibus adhærent.*

III. Spiritualibus proinde annexa possunt esse illa, quæ in se temporalia, jure non quidem divino, sed humano, & ex institutione Ecclesiæ per potestatem a Christo Domino acceptam, spiritualia efficiuntur. Porro annexa sunt dupliciter, antecedenter, vel consequenter. *Antecedenter* annexa sunt, quæ in se temporalia, præcedunt rem sacram, ad quam referuntur: sic jus Patronatus, sive jus nominandi, vel præsentandi alterum ad beneficium Ecclesiasticum, in quantum hoc jus consideratur in ordine ad beneficium secundum partem ipsius beneficii temporalem, sive secundum jus percipiendi fructus beneficii temporales, & quid temporale, &, ut patet, necessario antecedit ipsum beneficium. Iterum hujus generis sunt calices, Altaria, Sacra vestimenta, quæ cum primario, & ex se materialia sint, spiritualem formam induunt ex consecratione illis accedente. *Consequenter* spiritualibus annexa sunt, quæ rem spiritualem sequuntur, & ab ea dependent, sic jus ad proventus Ecclesiasticos consequitur ad divinum officium; nam propter spirituale officium dantur reditus Ecclesiastici.

IV. Ex his ergo Simonia alia est juris divini, alia juris humani. Simonia juris divini est, qua pro pretio temporali venditur,

tur, aut commutatur res proprie spiritualis, quæ a Deo tanquam Auctore gratiæ gratuito confertur. Unde Simonia juris divini proprie committitur in Sacramentis, Sacramentalibus, usu potestatis spiritualis, v. g. absolutione, dispensatione, benedictione, præsentatione, electione, collatione, aut in aliis actibus jurisdictionis Ecclesiasticæ. Simonia juris humani est, quando emitur, venditur, *&c.* res ex se quidem temporalis, sed propter connexionem, quam habet cum re spirituali, ab Ecclesia prohibetur ipsius venditio, vel emptio ex motivo virtutis religionis, & ideo mala, quia prohibita. Talis Simonia juris humani committitur in venditione beneficii Ecclesiastici secundum partem temporalem, hoc est, secundum jus percipiendi reditus Ecclesiasticos. Utraque hæc Simonia adhuc subdividitur ulterius in mentalem, conventionalem, & realem, de quibus auctores passim. Jam ad §. titulum.

V. Respondeo, & dico 2. Simonia est natura sua crimen gravissimum non admittens parvitatem materiæ. Simonia namque oppositionem habet cum pluribus virtutibus. Primo enim repugnat Religioni, quia quæ liberæ potestati humanæ vendendi, emendi *&c.* subjlant, vilia censentur: *quis* enim *non vile putat esse, quod venditur?* inquit Hormisdas Papa in Epist. ad Epis. Hisp. Ergo dum venduntur, *&c.* spiritualia, vilia censentur: at vero hæc vilipensio per se redundat in ipsum Deum. Quod Simonia justitiæ opponatur, patet, quia ex vi justitiæ commutativæ inter datum, & acceptum debet esse proportio, seu æqualitas: at vero spiritualium valor quantum excedat pretium temporale quodcunque nulli non perspectum est. Præterea Simonia bono communi Ecclesiæ graviter præjudicat: Simonia enim aditum parat indignis ad Ecclesiasticas dignitates; quid ex similibus iniquis promotionibus, proh dolor! sequitur, nisi Ecclesiæ ruina? ex quibus facile constat, quam grave sit crimen Simoniæ, adeo ut reliqua crimina in gravitate superet, quod sæpius probari posset Ext. De *Simonia*, dicit enim ibid. Lucius Papa cap. *sicut: Simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincit*: Innocentius III. ibid. cap. *per tuas* ait: *ad cujus* (Simoniæ) *comparationem cetera crimina quasi pro nihilo reputantur*. Quod idem jam ante Innocentium dixerat Paschalis Papa, nempe quod omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur, 1. quæst. 7. cap. *patet*. Atque ex his etiam vel obiter considеranti patet, in Simonia reperibilem non esse parvitatem materiæ.

§. II.

Quomodo, vel quando in beneficiis Ecclesiasticis Simonia incurratur?

Certum est, quod beneficium Simoniace acquisitum dimitti, & fructus inde percepti in integrum restitui debeant, etiam ante sententiam judicis; quia talis acquisitio beneficii ipso facto est nulla, adeoque neque beneficium, neque ejus fructus ullo titulo acquiri, aut retineri possunt. Jam.

VI. Respondeo, & dico: in beneficiis Ecclesiasticis universaliter, & semper incurritur vitium Simoniæ, quando ea conferuntur, vel acceptantur aut intuitu pretii *muneris* (quo non intelligitur sola pecunia, sed quæcunque res, aut commoditas temporalis, quæ ex pacto datur pro re spirituali) aut intuitu pretii *linguæ* (quo intelligitur laus, adulatio, preces pro alio interponendæ, commendatio apud Patronum, aut Collatorem ex pacto tacito, vel expresso, ut res spiritualis vicissim conferatur) aut intuitu pretii *obsequii* (quo intelligitur quodcunque ministerium, sive obsequium præstitum, vel præstandum sub obligatione, & pacto conferendi vicissim vel beneficium, vel aliam rem spiritualem) ex quo proinde sequitur, quod Simonia incurratur, etiamsi illud temporale non intendatur tanquam pretium, sed sufficere, ut intendatur tanquam motivum, quo inducatur collator beneficii ad illud tali personæ conferendum, quod patet ex sequentibus duabus propositionibus damnatis, nempe 45. & 46. sub Innocentio XI. ann. 1679. 4. Martii. Prior ita habet: *dare temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra*. Posterior autem propositio sic sonat, *& id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale: immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut*

ut aliud pluris æstimetur, quam res spiritualis. Jam

VII. Infero 1. Episcopus Simoniam incurrit, si conferat beneficium intuitu temporalis obsequii sibi præstiti, v. g. illi, qui curam gessit Patrimonii ipsius Episcopi, aut ejus consanguineorum; dicitur enim cap. *cum essent, de Simonia*, esse Simoniacum promittere, multo magis dare beneficium Ecclesiasticum pro obsequio temporali. Unde S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 5. ad 1. inquit: *Si Clericus alicui Prælato impendat obsequium inhonestum, vel ad carnalia ordinatum, puta, quia servit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel Patrimonii sui, vel aliquid hujusmodi, erit munus ab obsequio, & est simoniacum*. Dixi, *intuitu obsequii temporalis*; nam alia ratio esset, si obsequium præstitum spirituale esset, & ad bonum Ecclesiæ Episcopo commissæ ordinatum: tunc enim nedum posset Episcopus sine Simoniæ periculo beneficium tali bene merito conferre, sed etiam teneretur, quia *Ecclesiasticis utilitatibus desudantes, Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere, ut qui se voluntariis. obsequiorum necessitatibus sponte subjiciunt, digne nostris provisionibus consolentur*, ut inquit S. Gregorius cap. Ecclesiasticis 12. q. 2. talia autem obsequia sunt, quæ præstantur a Vicario Generali, Promotore, Prædicatore, *&c.* quia horum munera respiciunt bonum commune Ecclesiæ Episcopo commissæ, non vero bonum particulare Episcopi, ut sunt munera a Capellanis, vel aliis domesticis præstari solita: his enim satius erit mercedem suam constituere, ne quoddam Simoniæ periculum immineat, secundum saluberrimum Decretum S. Caroli in Concilio Mediolanense II. tit. *quæ pertinent ad collationem beneficior*. Ubi statuit: *ut omnis ad Simoniam aditus intercludatur, monemus, & obtestamur Episcopos, aliosque, quibus est jus conferendi beneficia, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne illi hoc subsidio destituti, beneficia Ecclesiastica tanquam suæ operæ, & laboris pretium, præcipue sibi proponant: fraudari tamen Ecclesias nolumus probatorum hominum ministerio, si qui sint in eorum familia, quorum doctrinæ, & pietati utiliter sacrum munus committi possit*.

VIII. Infero 2. Episcopus, vel quicunque alius Collator beneficii, simoniæ reus est, qui alteri confert beneficium, exinde hominum gratiam, favorem, vel laudem, aut ab ipso beneficiario aliquod obsequium spetans, vel expectans, etiam si collatio beneficii fiat sine omni pacto; hæc enim est Simonia mentalis. Id enim colligitur ex S. Gregor. relat. Can. *sunt nonnulli*, 1. quæst. 1. ubi ait: *Sunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros Ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non retribuunt; quia de impenso officio Sanctitatis, nummum expectant favoris*. Ex quo inferri debet (quemadmodum l. c. in titul. præmittitur *de multiplici genere Simoniacorum*) in proposito casu Simoniam mentalem committi, quia pro re spirituali favor, *&c.* principaliter speratur, vel expectatur. Quod ipsum S. Thomas docet in 4. Sent. dist. 25. quæst. 3. art. 3. ad 4. ubi ait: *Qui dat aliquod spirituale pro favore, vel laude acquirenda, non est dubium, quin Simoniam committat*.

IX. Infero 3. Simoniam incurrit Collator beneficii, qui preces pro indigno factas admittit; ratio est, quia tunc preces succedunt in locum pretii: ergo manifestum est, quod Simonia committatur. Nam *Ordinationes, quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio alieni personæ ea intentione impenso . . . . falsas esse dijudicamus: quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium, id est, per Christum intrant, sed ut ipsa veritas testatur, fures sunt, & latrones*, 1. quæst. 1. cap. *Ordinationes*. Unde & S. Thom. loc. cit. inquit: *quando fiunt preces pro indigno, vel ab aliquo potente, qui periculum cominatur, quæ dicuntur preces armatæ, manifeste Simonia committitur, si propter hoc beneficium Ecclesiasticum datur*. Id ipsum docet in terminis 2. 2. quæst. 100. art. 5. ad 3. inquiens: *Munus a lingua dicitur vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo si aliquis principaliter ad hoc intendit, Simoniam committit: videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit*.

X. Infero 4. Simoniæ reus est Collator beneficii, qui preces pro digno quidem fa-

ctas

ctas admittit, sed tamen potius ex respectu alicujus favoris humani, quam meritorum personæ, pro qua fiunt preces. Ratio eadem est, quia etiam in hoc casu preces succedunt loco pretii. Deinde in collatione beneficii oportet habere manus vacuas ab omni munere, Quia ut dicit S. Gregorius cap. *sunt nonnulli*, 1. quæst. 1. *Cum virum justum describeret Propheta, ait* (qui excutit manus suas ab omni munere) *neque enim dicit, Qui excutit manus suas a munere: sed adjunxit* (ab omni): at vero, esto persona, pro qua fiunt preces, de se sit digna, Collator tamen, quia movetur a respectu favoris humani, manus suas non excutit ab omni munere, quia non excutit a *munere linguæ*. Unde S. Thomas ex mox cit. lib. Sentent. *ibid.* ait: *Si* (preces) *pro digno fiant, quantum ad judicium hominum, probabile est, quod dans magis moveatur intuitu dignitatis personæ, quam favore precum: & ideo non reputatur Simonia.*

XI. Infero 5. secundum aliquos ex SS. Patribus dici posse, illum Simoniam committere, qui favore suarum precum ad beneficium curatum promovetur; Dicit enim S. Raymundus lib. 1. tit. de Simonia §.7. *Aut eligitur quis, vel ordinatur suis precibus, aut alienis: in primo casu, quantumcumque sit dignus, est Simonia.* Et S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 5. §. 4. confirmat inquiens: *Si porrigat preces pro se pro obtinenda dignitate, vel beneficio, seu Ecclesia habente curam animarum, tales preces induunt Simoniam secundum Hugonem, Raymundum, & Hostiensem, Thomam 2. 2. & in Directorio Juris, lib. 3. etiam quandocunque alias esset dignus: quia eo ipso, quod se ingerit, præsumptuosus, & ambitiosus videtur, & per consequens indignus.* S. Thomas autem a S. Antonino cit. 2. 2. quæst. 100. art. 5. ad 3. ait: *Si aliquis pro se rogat, ut obtineat animarum curam, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno.* Porro ratio horum SS. Patrum, cur beneficium curatum pro se rogans Simoniam committat, esse potest: quia etiam hoc modo preces succedunt loco pretii: unde S. Thom. in 4. Sentent. dist. 25. quæst. 5. art. 3. ad 4. inquit: *Si principaliter moveatur favore precum, quantum ad judicium divinum Simoniam committit, & rogatus, & rogans, si hoc intendat, sive aliquis pro se roget, sive pro alio.* Et addit: *Nec tamen est Simonia nisi pro tanto, quod ex ipsa præsumptione indignus reddatur, & tunc preces suæ ex hoc ipso, quod rogat, pro indigno fiunt.*

XII. Quantum ad sacros Canones attinet pro hoc illato videtur hoc idem posse dici, loquuntur enim universaliter, quod qui *intervenientibus precibus* intrant, *non per hostium, id est, per Christum intrant*, & ideo, *ut ipsa veritas testatur, fures sunt, & latrones*, Can. *Ordinationes* 1. quæst. 1. unde, ut ait S. Gregorius cap. *in scripturis* 8. quæst. 1. *locus regiminis desiderantibus negandus est*. Concordat Gloss. in capit. *tuam* de ætat. & qualitat. præficiendor. ubi, *nota*, inquit, *quod cum quis eligitur, vel ordinatur, aut suis precibus intervenientibus, aut alienis: si suis, dicunt quidam, & Hugo cum eis, quod quantumcunque sit idoneus, Simonia committitur, argumento*, 8. quæst. 1. in scripturis & 1. q. 7. si quis omnem. Et 1. quæst. 1. Ordinationes. *Et* de jur. Patr. per vestras: *Illud credo, si est indigens, secundum quod dicit textus; sed si dignus est, potest etiam preces porrigere superiori, cum indiget; quia tum non præsumitur ambitiosus, sed potius propter necessitatem; alias potest dici, quod Simonia esset, argumento*, 1. quæst. *Can.* filium §. non ita quorumlibet. *Et argumento de Simonia, Tua.*

XIII. Dixi autem 1. qui pro se rogat, ut beneficium *curatum* obtineat, *&c.* nam alia ratio esset in beneficio simplici, tum quia ibi cessat periculum præsumptionis: tum quia de tali, ceteroquin digno, præsumi potest, & debet, illum rogare intuitu indigentiæ, & necessitatis, ac meritorum personalium, unde hic preces non obtinent rationem motivi principalis, sed illud supponunt, necessitatem nempe, & merita personalia, adeoque nec preces succedunt loco pretii. Id quod docet S. Thomas in in cit. lib. Sentent. inquiens: *Potest aliquis pro se petere, si dignus sit, beneficium Ecclesiasticum, non habens curam animarum, si indiget, sed non si habeat curam animarum, quia præsumptuosum est.* Dixi secundo, qui *favore suarum precum*, &c. nam si ex alio motivo (ut hodie communiter fieri suppono) v. g. ex titulo necessitatis, & indigentiæ: vel ut magis laborare possit in vinea Domini, tunc credo, prædictos SS. Patres, & Canones non fore contrarios, eo quod tunc preces non succedant *loco pretii*. Quin & titulus *præsum-*

ſumptionis tunc purgabitur, eo quod taliter beneficium curatum pro ſe petens prudenter in Domino ſperare poſſit, ſibi non defuturum pro officio ſuo adminiſtrando divinum auxilium, cum facienti, quod eſt in ſe, Deus non deneget gratiam. Et in hoc utroque ſenſu hoc illatum intelligi poteſt.

XIV. Infero 6. Simoniam incurrunt quicunque in inſtitutionibus, collationibus, confirmationibus, admiſſionibus ad beneficiorum poſſeſſionem, vel aliis proviſionibus, aliquid exigunt, vel recipiunt. Hoc ex SS. Canonibus ſæpius demonſtrari poſſet, prout videre eſt in margine Concilii Tridentini Seſſ. 24. *de Reform.* cap. 14. ſufficiat tamen ejuſdem Concilii cit. lib. auctoritatem allegaſſe, dicit autem, *in pluribus Eccleſiis, tam Cathedralibus, quam Collegiatis, & Parochialibus ex earum conſtitutionibus, aut ex prava conſuetudine obſervari intelligitur, ut in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia proviſione, ſive admiſſione ad poſſeſſionem alicujus Cathedralis Eccleſiæ, vel beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem proventuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas certæ conditiones, ſeu deductiones ex fructibus, ſolutiones, promiſſiones, compenſationeſve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Eccleſiis dicuntur turnorum lucra, interponantur. Hæc cum S. Synodus deteſtetur, mandat Epiſcopis, ut quæcunque hujuſmodi in uſus pios non convertuntur, atque ingreſſus eos, qui Simoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant; ipſique diligenter de eorum conſtitutionibus, ſive conſuetudinibus ſupra dictis cognoſcant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas ac ſcandaloſas rejiciant & aboleant. Eos vero qui adverſus hæc in præſenti decreto comprehenſa, quavis ratione commiſerint, pœnis contra Simoniacos editis, ſacris Canonibus, & variis ſummorum Pontificum conſtitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit, non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis, conſtitutionibus, etiam immemorabilibus, etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis: De quorum ſurreptione, obreptione, & intentionis defectu Epiſcopus tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatus, cognoſcere poſſit.*

XV. Hoc tamen decretum Tridentini non debet in omni rigore ſumi, adeo ut etiam illi Simoniam incurrere cenſendi ſint, qui parva aliqua munera beneficiorum Collatoribus, aut Eccleſiaſticis Judicibus, vel Proviſoribus, in reverentiæ, gratique animi conteſtationem largiuntur: Tum quia hic nulla, ut ſupponitur, intercedit pactio, vel venditio, cum iſta parva munera non induant rationem pretii. Sed quoad hoc omnis dubitatio ſublata eſt argumento cap. & ſi *quæſtiones* Extr. *de Simonia*, ubi Alexand. III. Strigonenſi Archiepiſcopo in hæc ſequentia reſpondet: *In accipiendis, vel dandis muneribus tria ſunt maxime attendenda: Perſona ſcilicet dantis, accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus. Qualitas perſonarum, ut a quo, & cui, videlicet an a paupere diviti, vel e converſo, ſive a divite locupleti datum fuerit, æſtimatio muneris, & donationis tempus, ſi magni, vel minoris pretii res data exiſtat, & in inſtante neceſſitate, ſeu alio tempore conferatur. Si ergo prædictorum Cardinalis, & Fratris tui perſonam, & qualitatem penſamus, non fuit magnum ab eodem Fratre tuo Cardinali equum unum tranſmitti, quem etiam jaculatori non potenti vir tantus, & tam abundans forte donaret: verum ſi temporis neceſſitatem perpendimus, non alia neceſſitate hoc e [illegible] factum fuiſſe, quam ut ſubveniretur Cardinali in articulo prænotato. Quod autem ſcriptum eſt. Beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere, de illis donis dictum eſt, quæ allicientis animum allicere, vel pervertere ſolent: quoniam ſi ipſa etiam perſona Electi offerat Ordinatori, vel Conſecratori ſuo electuarium, aut de vino, ſive de aliis hujuſmodi, quæ modici pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant: Non tamen Eccleſia Romana in his interpretari conſuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem.* Hæc clara ſunt: An vero hodierna praxis in dandis, vel recipiendis ſubinde muneribus inter perſonas Eccleſiaſticas præcedenti cap. excuſetur, hic non diſcuſſero, offenſionibus enim obnoxium eſſet a quæſtione juris ad quæſtionem facti deſcendere.

XVI. Infero tandem 7. Simoniam incurrunt, quicunque conferunt, vel recipiunt beneficium Eccleſiaſticum propter Clerici ſuſtentationem tanquam finem, & motivum principaliter intentum: ratio eſt, quia

quia qui in re spirituali primario, & principaliter respiciunt commodum temporale cum gravi injuria rei spiritualis, temporalitatem, sive id, quod in ea temporale est pluris æstimant, quam spiritualitatem, adeoque hoc, quod in ea spirituale est, temporali vilius reputant: Hoc autem non fiat nisi cum Simoniæ labe; unde merito Innocentius XI. damnavit hanc propositionem num. 46. *& id quoque locum habet* (hoc est, ut proposit. 45. præmittitur, dare temporale pro spirituali non est Simonia) *etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale: immo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis*. Ex hoc ipso etiam sequitur, quod Simoniam incurrant DD. Canonici, qui Chorum frequentant propter distributiones tanquam propter finem præcipuum; quia ut inquit S. Thomas quodl. 8. quæst. 6. artic. 11. *celebrare divinum officium in Ecclesia est actus spiritualis ex parte principii. Competit enim alicui ex hoc, quod est Clericus. Et ideo Simoniam committit, qui hujusmodi actum vendere intendit, in qualibet enim venditione pretium accipitur quasi finis: si enim hujusmodi distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum, Simoniam committit: Et ita mortaliter peccat. Si autem habens principalem finem Deum in tali actu, ad hujusmodi distributiones respicit secundario, non quasi ad finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat quod non vendit actum spiritualem, & ita Simoniam non committat, non peccet. Sic enim acceptio distributionum non erit causa, quare ad Ecclesiam vadat, sed proprie hujusmodi determinationis, quare nunc vadat, & non alia vice*. Ex quo clarissimo textu ad oculum patet, qualem oporteat esse intentionem sive in suscipiendis beneficiis Ecclesiasticis, sive in aliis divinis officiis peragendis, ut non incurratur periculum Simoniæ.

§. III.

Quænam sint pœnæ Canonicæ Simoniam consequentes?

XVII. PŒnas Canonicas Simoniam consequentes complectitur Constitutio Pauli II. quæ incipit: *Cum detestabile*, inter Extrav. comm. a pluribus Pontificibus Successoribus confirmata: ea autem Constitutio ita habet: *Cum detestabile scelus Simoniacæ pravitatis tam divinorum, quam sacrorum Canonum auctoritas abhorreat, atque damnet: nos considerantes, quod plures pœnarum gravitas, quam Dei timor arcere soleat a voluntate peccandi, ac summis desideriis affectantes, ut hoc pestiferum vitium non ex usu solum, sed etiam ex mentibus hominum, saltem propter pœnarum metum, penitus evellatur, Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, ac etiam omnes & singulas excommunicationis, suspensionis, privationis, & interdicti sententias, censuras, & pœnas confirmantes, & innovantes, apostolica auctoritate declaramus, quod omnes illi, qui Simoniace ordinati fuerint, a suorum sint ordinum executione suspensi. Per electiones vero, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas Simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant, in Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, personatibus, Officiis Ecclesiasticis, & quibusvis beneficiis, aut aliquo eorum, cuipiam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus: statuentes, quod universi, qui Simoniam commiserint, aut, quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi a Romano Pontifice pro tempore existente, non possint absolvi, præterquam in mortis articulo constituti*.

XVIII. Ex hac Constitutione in ordine ad §. tit. infero 1. quicunque beneficium Ecclesiasticum per Simoniam alicui conferunt, vel procurant, vel alio recipiuntur, tanquam pœnam Canonicam incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, & suspensionem a beneficiorum administratione, cujus pœnæ remissio soli Apostolicæ Sedi est reservata. Atque hinc quantum ad istos nemo præter Romanum Pontificem absolutionem ab hujusmodi censuris impertiri potest: quoad recipientem vero, si ex Simonia non personali, sed aliena beneficium adeptus esset, dispensare potest Episcopus, ut beneficium taliter acquisitum (si agatur de simplici) retineat: dicit enim Gregorius IX. *Si alicujus electionem propter Simoniam, eo ignorante, & ratum non habente commissam, contingerit repro-*

reprobari, cum eo ſuper Prælatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non poteſt Epiſcopus diſpenſare, quamvis circa eum, qui ignoranter recipit ſimplex beneficium per Simoniacam pravitatem poſt liberam reſignationem Epiſcopi diſpenſatio toleretur, capit. *ſi alicujus* de electione.

XIX. Infero 2. quicunque beneficium, vel penſionem Eccleſiaſticam per Simoniam recipiunt, ſub gravi peccato tenentur & beneficium, & penſionem dimittere, fructuſque inde perceptos reſtituere. Ratio clara eſt, quia nemo poteſt retinere beneficium vel penſionem, cujus collatio Canonice nulla eſt, ſed collatio beneficii, *&c.* ſimoniace facta Canonice nulla eſt, ergo tenetur illud dimittere: ex quo altera pars illati per ſe patet: quia ut quis recipiat, retineatque fructus, debet habere jus fundatum in beneficio, atqui, ſi ipſa collatio beneficii nulla eſt, ubi tunc jus ad fructus erit? Sed clarius hoc totum docet S. Thomas ſæpius c. l. nempe 2. 2. q. 100. art. 6. o inquiens: *Dicendum, quod nullus poteſt licite retinere id, quod contra voluntatem Domini acquiſivit: puta, ſi aliquis diſpenſator de rebus Domini ſui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem Domini ſui, ille, qui acciperet, licite retinere non poſſet. Dominus autem, cujus Eccleſiarum Prælati ſunt diſpenſatores, & miniſtri, ordinavit, ut ſpiritualia gratis darentur, ſecundum illud Matth.* 10. gratis accepiſtis, gratis date. *Et ideo, qui muneris interventu ſpiritualia quæcunque aſſequitur, ea licite retinere non poteſt.* Et ibidem ad 3. ait: *Dicendum, quod hoc, quod aliquis privetur eo, quod accepit, non ſolum eſt pœna peccati, ſed etiam quandoque eſt effectus acquiſitionis injuſtæ: puta cum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere poteſt. Et ideo ſi aliquis ſcienter, & propria ſponte ſimoniace accipiat ordinem, vel Eccleſiaſticum beneficium, non ſolum privatur eo, quod accepit, ut ſcilicet careat executione Ordinis, & beneficium reſignet cum fructibus inde perceptis: ſed etiam ulterius punitur, quia notatur infamia, ut dicit* cap. *ſi quis præbendas* 1. quæſt. 3.

XX. Infero 3. electio, collatio, confirmatio, *&c.* ſimoniaca inhabilitatem inducit ad idem, vel etiam ad alia beneficia deinceps obtinenda, quoadusque inhabilitas tollatur a Romano Pontifice, præſertim ſi ſit publica, & ad forum contentioſum deducta. Et hoc, præterquam quod ex prædicta conſtitutione Pauli II. colligatur, habetur inſuper ex Concilio Tridentino Seſſ. 24. *de Reform.* cap. 18. Quod licet expreſſe de dantibus & accipientibus aliquid occaſione examinis loquatur, in re tamen accipi de omni ſimonia in beneficiis Eccleſiaſticis occurrente, ita ut per eam inhabilitas ad beneficia induci intelligatur. Dicit autem citat. lib. *Caveant, ne quidquam prorſus occaſione hujus examinis, nec ante, nec poſt accipiant: alioquin Simoniæ vitium tam ipſi, quam alii dantes incurrant: a qua abſolvi nequeant, niſi dimiſſis beneficiis, quæ quomodocunque etiam ante obtinebant, & ad alia impoſterum inhabiles reddentur.*

XXI. Infero 4. quicunque tandem ad ſimoniacam beneficiorum electionem, collationem, *&c.* cooperantur, quæ recipiunt intuitu hujus ſimoniacæ cooperationis, tenentur reſtituere, etiam ante ſententiam Judicis; non enim videtur ulla ratio eſſe, cur expectari debeat ſententia judicis, cum talis electio, collatio, *&c.* ipſo facto ſit nulla: quomodo ergo effectum pariat, ut ſimoniace accepta retineri poſſint, quoadusque ſuperveniat ſententia Judicis? quando igitur Alexander III. in cap. *De hoc autem* Extrav. *de Simonia* dixit: *Regem autem, & principes ejus debes inducere, ut ſi quæ receperint a præfato Epiſcopo, ut ejus electioni præberent aſſenſum, Eccleſiæ Oxonienſi ſine diminutione reſtituant; cum ea ſine gravi ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint:* quando, inquam, hoc dixit Pontifex, non eſt putandum, quod ibi loquatur de ſententia definitiva Judicis, ſed eſt intelligendum, quod loquatur de ſuavi diſpoſitione ad faciendam reſtitutionem, cum ceteroquin merito timeri poſſit, ne reſtitutio plane omittatur, eo quod reſtitutionis obligatio ſua quærentibus jugum durum, & importabile videatur. Porro reſtitutio non debet fieri ei qui dedit, ſed Eccleſiæ ſecundum allegatum cap. *de hoc:* vel pauperibus ſecundum doctrinam S. Thomæ 2. 2. quæſt. 32. art. 7. ubi ait: *Alio modo eſt aliquid illicite acquiſitum, quia quidem ille, qui acquiſivit, retinere non poteſt, quia ſcilicet contra juſtitiam accepit, & alter contra juſtitiam dedit: ſicut contingit in Simonia, in qua dans, & accipiens contra juſtitiam legis divinæ agit, unde non debet fieri reſtitutio ei qui dedit, ſed debet in eleemoſynas erogari.*

XXII. Ultimam nunc tandem appono manum, sed quæres forsan, amice Lector, qua de causa præcipue hunc *Tractatum Beneficiarium* componere, & evulgare decreverim? Respondeo, me ex illis præsertim commotum fuisse, quæ adduxi *in Argumento Operis*. Considerabam nempe ibi singularem, & eximiam Sacerdotalis dignitatis excellentiam, & ecce continuo menti meæ obversabatur gravissima ratio, quam quondam Sacerdotes de munere suo adeo sublimi supremo Judici reddere oportebit: si enim *durissimum judicium his, qui præsunt*, etiam temporali officio, *fiet*, Sap. 6. quale judicium sit futurum his, qui supra Regum, Principumque dignitatem sublimati, in ipsummet Corpus Christi verum, & mysticum spiritualem exercent potestatem, qui Legationis, ac inter Deum, & homines mediatorum funguntur munere, nisi dignitatis suæ memores, Deo suo cum sincera conscientia, se præsentent, in Sanctitate, & justitia ei deserviant, Sacramenta reverenter pertractent, omniumque Sacramentorum, ac sacrificiorum dignissimum digne consecrent, offerant, sumant, atque dispensent; quale, inquam, his sit futurum judicium, facile intelligit, qui quid incarnata Veritas asserat, novit: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo*: Luc. 12. Consequenter proinde cui plus datum est, plus ab eo requiritur: districtius itaque Sacerdotes, & animarum præsides dijudicabuntur, ac intolerabilius condemnabuntur, si officii sui partes neglexerint; *exiguo* quippe *conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur*. Sap. 6. Sed cur in Ministros Dei durissimo judicio vivorum & mortuorum Judex sit animadversurus, intelligi datur ex sequentibus rationibus. Prima est, quod Ministrorum Dei peccata sint graviora, nam ex sententia Hilarii Papæ, *reatu majori delinquit, qui potiori honore perfruitur: & graviora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium*: 35. q. 1. Canon. *nulli fas*. Cui sententiæ aurei Oris effatum correspondet; nam *homo Christianus fortiter cadit in peccato propter duas causas, aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis*, distinct. 40. Canon. 5. quanta vero sit Sacerdotalis gradus eminentia, quæ in præfatione præmisi, faciunt manifestum. Secunda durissimi judicii causa illa est, quod Pastores animarum non tantum operum suorum, sed aliorum etiam, suæ fidei commissorum reddituri sint in die judicii rationem strictissimam, tam malorum, quæ patrarunt tam bonorum quæ omiserunt, & facere obligabantur: *Ipsi enim* (animarum Pastores) *pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Hebr. 13. &: *Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum*, Ezech. 34. quod intime commeditans Hipponensis præsul in aurea sua, ex S. Spiritus instinctu conscripta regula quemlibet præpositum Ecclesiasticum adhortatur, ut semper recogitet, *Deo se pro vobis redditurum esse rationem*. Jam vero si coronatus inter Prophetas, qui audiebat vir secundum Cor Dei, usque adeo horrendum Dei judicium extimescebat ut deprecetur, *non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; Psal. 142. quia *si iniquitates*, (*nempe personales*) *observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?* Ps. 129. quantum exhorrescere debet formidabile Dei judicium Sacerdos curatus, si subditorum suorum criminum ob negligentiam, vel conniventiam participem se faciat? *Etenim* (verba sunt D. Chrysostomi hom. 34. in Epist. ad Hebr.) *si unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantoque pateretur; perditio, cogita, quantam conciliabit pœnam? quod si quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est, quanto magis ille*. Tertia durissimi judicii causa est, quod ministri Dei, si ipsimet mandata Domini transgrediantur, pluribus noceant, ac ruinæ spiritualis materiam subministrent; *ut hinc nullum puto, fratres Carissimi*; inquit S. Gregor. hom. 17. in Luc. 10. *ab aliis majus præjudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. Quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus*. Quocirca dum olim Deus omnes habitatores Jerusalem, qui non fuerunt insigniti fronte signo *Thau*, *jussit* interficere, dixit: *Et a Sanctuario meo incipite*, Ezech. 9. septuaginta habent *a Sanctis*, h. e. ut exponit Theodoretus: primo Sacerdotes mihi consecratos occidite, utpote quia gradu, & scelere excelluerunt, etiam reliquos supplicio præcedant, quia aliis extiterunt occasio ruinæ spiritualis, etiam evadant exemplum necis. Plures, easque non minoris efficaciæ rationes calamo de facili suppeterent, ob quas si nullas alias, certe pri-

primum, & plurimum ex sola tremendi judicii memoria toto corpore contremiscere deberent, ut cum Bethlemitico doctore S. Hieronymo, sive ederent, sive biberent, sive aliud quid facerent, continuo sibi terribilem illam tubam audire viderentur: *Surgite mortui, venite ad judicium*; & profecto regalis Sacerdotii dignitatem, ac potestatem oneri potius sibi ducerent, quam honori; in eo potissimum, omne studium viresque omnes collocaturi, ut in omnibus, & per omnia sancti sint Deo suo, & non polluant nomen ejus, Levit. 21. Sanctos vero decet, ut *quæ suæ sint partes cognoscant, ac se, non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro gloria Dei vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint, non ea, quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes*, ut admonet sacra Synodus Tridentina sess. 25. *de Reform.* cap. 1. Sanctos item decet, ne pedes in diversis ponant, unum in divinis, alterum in carnalibus, intelligo, ne secundum acceptam potestatem spirituales audiant, & habitu, ac moribus mundani inveniantur: Non nostrum hoc est monitum, sed præfatæ Synodi Sess. 14. *de Reform.* cap. 6. decernentis: „ Quia vero etsi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, Religionisque contemptus, ut propriam dignitatem, & honorem Clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice Laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis alterum in carnalibus „. Sanctos præterea nempe Sacerdotes quam maxime condecet, ut quacunque dignitate fulgentes, quibuscunque divitiis abundantes, præter modestiam in vestibus, modesta quoque supellectili, nec non frugalitate in mensa utantur. Adeoque *Ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendant Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint*. Prout adhortatur, immo præcipit eadem Synodus Sess. 25. *de Reform.* cap. 1. Sanctos porro, si quid aliud sane præ aliis decet, ut quemadmodum audiunt *genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum* 1. Petr. 2. sic omne, quidquid vel a longe puritati corporis, & animi videtur contrarium, cane pejus & angue extimescant, declinent, abominentur: Memores, se esse separatos a ceteris populis, *Levit.* 21. ut sint sancti, quoniam sanctus est, quem consecrant, tangunt, manducant, juxta monitum S. Chrysostomi hom. 60. ad Pop. *quo igitur non oportet esse puriorem, tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem illam dividentem? os quod igni spirituali repletur? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit?* Ergo sanctos esse Clericos: & Sacerdotes quam maxime oportet, ut durissimum Dei judicium secure subeant, ubi gravissimam de suo munere Clericali, & Sacerdotali sunt reddituri rationem.

Amice Lector, hæc & similia, dum tacitus mecum ponderarem, continuo me extimulari sentiebam, ut invocato Dei auxilio, in quo unico tota spes mea viget, causas investigarem, cur hac nostra tempestate pia Mater Ecclesia non paucos animarum Pastores numeret, qui regale Sacerdotium non eo studio, & pietate prosequantur, nec ea sanctitate condecorent, qua primitivi Dei ministri sub ipsius Orthodoxæ fidei incunabulis prosequebantur, condecorabant, continuo memores durissimi judicii. Ecce reliquas inter causas deprehendebam, & actu esse arbitror, quod non pauci subinde plus æquo temporalium bonorum cura afficiantur: ubi jam sanctitas? cum nimiam temporales substantias superflue coacervandi, & possidendi sollicitudinem in filiis hujus sæculi merito detestabilem judicemus, quoniam *radix omnium malorum est cupiditas*. 1. Tim. 6. sanctis maxime convenit, ne pedes in diversis ponant, unum nempe in spiritualibus, in carnalibus alterum, juxta cit. decretum Tridentin. Cum nimio autem temporalium affectu, nonne pes alter in carnalibus figitur, ubi jam sanctitas? olim Sacerdotum, atque Levitarum possessio Deus erat *Deut.* 10. si ergo hodie Deus apud nonnullos haud sufficit, ubi sanctitas? *an parum tibi est*, inquit August. in Ps. 30. *Si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat sine auro, & argento, non vis illum? quid tibi de his, quæ fecit Deus, sufficit, si Deus ipse non sufficit?* Atque hæc tempo-

ralium bonorum nimia cura, quæ cum sanctitate, & dignitate Sacerdotali nedum non conjuncta, sed durissimo Dei judicio quam maxime est obnoxia, me, ut dixi, commovit, ut *tractatum hunc* in gratiam omnium Dei Ministrorum sæcularium, veritatem, virtutem, & securitatem sectantium evulgarem, quo qualem vitam, qualem subditorum curam, præcipue autem, ac primario qualem redituum beneficialium administrationem ab iisdem Dei Ministris exigant sancti Patres, sacrique Canones, & Concilia, ostenderem: spe firma fretus, fore, ut, quicunque vitam, ac Pastoralem curam ad mentem eorundem sanctorum Patrum, SS. Canonum & Conciliorum instituerit, ac mentem suam a superfluorum temporalium bonorum affectu abstraxerit, aut saltem ad fines a jure divino, naturali, & positivo præfixos impenderit, fore, inquam, ut sanctitas regali Sacerdotio debita salva semper consistat, & immaculata.

Quæ quidem omnia hactenus dicta de verbo ad verbum judicio, & correctioni S. Matris Romanæ Ecclesiæ humillime subjecta sunt.

Soli Deo Honor, & Gloria.

IN-

INDEX
RERUM, ET VERBORUM.

A

B

Cle-

D

Re-

V

F I N I S.